ROMANUS PONTIFEX

TAMQUAM

PRIMAS ECCLESIAE,

ET

PRINCEPS CIVILIS

E MONUMENTIS OMNIUM SECULORUM

DEMONSTRATUS.

ADDITA AMPLISSIMA LITERATURA.

AUCTORE

AUGUSTINO DE ROSKOVÁNY,

EPISCOPO NITRIENSI.

Tomus I.

Monumenta et Literaturam de primatu e primis XV seculis complectens.

NITRIAE ET COMAROMII. 1867.

TYPIS FRATRUM SIEGLER.



ROMANUS PONTIFEX

TAMQUAM

PRIMAS ECCLESIAE,

ET

PRINCEPS CIVILIS

E MONUMENTIS OMNIUM SECULORUM

DEMONSTRATUS.

ADDITA AMPLISSIMA LITERATURA.

AUCTORE

AUGUSTINO DE ROSKOVÁNY,

EPISCOPO NITRIENSI.

COLLEGE
213
LIBRARY
R732

Tomus I.

Monumenta et Literaturam de primatu e primis XV seculis complectens.

NITRIAE ET COMAROMII. 1867.

TYPIS FRATRUM SIEGLER.

44575 Roskovany, A de

tamen, quae ad regimen universalis Ecclesiae, praecipue vero ad relationem inter Summum Pontificem et Episcopos, sive in Conciliis congregatos, sive per orbem dispersos, attinent, ac cumprimis supremum, errandi periculo neutiquam obnoxium, magisterium S. Sedis Apostolicae propius respiciunt, fere omnia collectioni nostrae inseruimus.

Disquisitiones de Primatu Romani Pontificis, ac signanter similem Monumentorum ipsorum conspectum, serie seculorum ininterrupta et chronologice deductum, semper equidem fuisse, at hodie praesertim esse in summis indigentiis, negari non potest. Notum quippe est, quantopere et prioribus aetatibus, et his nostris diebus non modo heterodoxi, verum etiam ii, qui Catholicos se appellant, conspirantibus prope animis in Pontificiam Petram aperto marte decertarint, irruperint, et debacchati fuerint, ac decertare, irrumpere, et debacchari non cessent: sentientes nimirum, quod, sicut collapso fundamento omnem inde aedificii molem ruere necesse est, ita unius Romani Pontificis Praefectura, ut verbis utamur Chrysostomi, labefactata, totius Ecclesiae auctoritas intercidat et evertatur. Hinc ille continuus Stygii Principis eiusque legatorum ac satellitum nisus, Primatum Papae funditus convellendi; hinc omnis propemodum irarum in Romanam Sedem conversio, conatuumque intensio, ut immobilis sanctitas, et sancta immobilitas Pontificiae Sedis loco exturbetur suo, divinaque praeeminentiae praerogativa ei auferatur. Verum *Roma, per B. Petrum, Deo sic disponente, Sedes Christianitatis, centrum Catholicae communionis, et arx solidissima veritatis constituta,* tanto licet bellorum impetu lacessita, tot hostium iactata furoribus, his tamen omnibus vel extinctis, vel profligatis, vel incassum circumlatrantibus, per XIX secula semper immota restitit, stabitque sempiternum: quippe non ter-

ris sed coelis radices egit, nec fluxae hominum voluntati, sed divino innixa est promisso: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Hanc Pontificiae Petrae immobilitatem, et perpetuam perdurationem sistunt ob oculos Monumenta per nos collecta: dum serie seculorum haud interrupta demonstrant, omnes, quotquot vel olim fuere, vel actu existunt, Romani Primatus adversarii, mendacio lingvam, falsitati intellectum, animum odio mancipavisse.

Quamquam autem Monumentorum qualitatem et seriem iuxta secula dispositam Conspectus, cuilibet volumini praefixus satis exhibeat: censuimus tamen, haud fore superfluum, mox in praeloquio nostro lectores ad praecipua cuiuslibet seculi Monumenta attentos reddere. Signanter e **Sec. I.** de institutione Primatus, eiusque tum per Petrum Apostolum, tum primos eiusdem successores exercitio; — e **Sec. II.** de relationibus ad Sedem Romanam faciendis; de appellationibus; de doctrina S. Sedis pro norma ab omnibus sumenda; de suprema potestate iudiciaria; de controversia Paschatis; — e **Sec. III.** de testimoniis: Tertulliani, Irenaei, Cypriani, Origenis; de rituum uniformitate; de inerrantia Romanae Ecclesiae; de controversia quoad baptismum haercticorum; de praetenso lapsu Marcellini Papae; — e **Sec. IV.** de Conciliis: Arelatensi, Nicaeno I, Sardicensi, Romano, Aquileiensi, CPno I; de testimoniis: Lactantii, Hilarii, Gregorii Nazianzeni, Optati, Epiphanii, Basilii, Ambrosii; de controversiis cum Orientalibus in causa Athanasii; de praetenso lapsu Liberii Papae; — e **Sec. V.** de Conciliis: Carthaginensi, Milevitano, Ephesino, Chalcedonensi; de testimoniis: Chrysostomi, Hieronymi, Prosperi Aquitani, Augustini, Ioannis Cassiani, Cyrilli Alexandrini, Isidori Pelusiotae, Vincentii Lirinensis, Petri Chrysologi; de

controversia in causa Chrysostomi; de praetenso lapsu Zosimi Papae; de controversiis cum Eppis CPnis sub Leone M. et Gelasio I; — e **Sec. VI.** de praetensis criminibus Symmachi Papae; de Conciliis: Epiri, CPno, Vasensi II, CPno II Generali, Turonensi; de testimoniis Fulgentii Ruspensis; de praetenso lapsu Vigilii Papae; de controversia cum Praesulibus CPoleos sub Pelagio II, et Gregorio Magno; — e **Sec. VII.** de praetenso lapsu Honorii I Papae; de testimoniis Isidori Hispalensis; de Conciliis: Lateranensi, CPno III Generali, Toletano XIV; — e **Sec. VIII.** de testimoniis: Bedae Venerabilis, et Ioannis Damasceni; de Conc. Nicaeno II Generali; — e **Sec. IX.** de sic dicta purgatione canonica Leonis III Papae; de testimoniis plurium Praesulum Orientalium; de controversia cum Eppis Galliae, praesertim Hincmaro Remensi; de Conciliis: Aquisgranensi, Metensi, Senonensi, Romano, CPno IV Generali, Pontigonensi, Trecensi II; de controversia Photii; — e **Sec. X.** de testimoniis: Attonis Vercellensis, et Ratherii Veronensis; — e **Sec. XI.** de controversia cum Caerulario et aliis Eppis Orientis; de testimoniis: Anselmi Lucensis, Lanfranci Cantuariensis, Petri Damiani; de pluribus Epistolis ac Decretis Gregorii VII Papae; — e **Sec. XII.** de testimoniis: Anselmi Cantuariensis, Ivonis Carnotensis, Bernardi; de praetenso lapsu Paschalis II Papae; de Conciliis: Viennensi, Nannetensi, Senonensi, Lateranensi III; de tentata unione cum Graecis sub Hadriano IV; — e **Sec. XIII.** de Unione cum Graecis, Armenis, Bulgaris sub Innocentio III, Gregorio IX, Innocentio IV, Urbano IV, Clemente IV, Gregorio X, Martino IV, item Iacobitarum sub Innocentio IV; de Conciliis: Lateranensi IV, Lugdunensi, CPno Graecorum; de testimoniis: Alberti Magni, Bonaventurae, Thomae ab Aquino; — e **Sec. XIV.** de Unione Rassiorum sub Clemente V, Georgia-

norum sub Ioanne XXII, Lithuanorum sub eodem, Graecorum sub Clemente VI, et Armenorum; de conciliis: Posoniensi, et Nicosiensi Graecorum; de condemnatione errorum Marsilii Patavini, et Wicleffi; de repetitis solemnibus professionibus Gallorum quoad supremam Romani Pontificis auctoritatem; — e **Sec. XV.** de plurium Universitatum, et signanter Gallorum declarationibus in favorem Primatus factis; de iteratis decretis contra appellationes a Romano Pontifice ad Concilium; de Conciliis: Oxoniensi, Constantiensi, Basileensi, Florentino; de unione Graecorum, Armenorum, Iacobitarum sub Eugenio IV; de memorabili retractatione Pii II Papae (antea Aeneae Sylvii Piccolomini); — e **Sec. XVI.** de Conciliis: Lateranensi V, Tridentino, Augustano, Trevirensi, Narbonensi, Strigoniensi, Turonensi, Diamperitano; de condemnatione praetensae Reformationis Lutheri aliorumque errorum tum per Pontifices, tum per celebriores Universitates: Coloniensem, Lovaniensem, Parisiensem, Complutensem, Salmanticensem; de testimoniis: Aethiopum, Nestorianorum, Moldavorum, Coptorum, Ruthenorum (Russorum) pro Primatu; de repetitis Gallorum enunciationibus in favorem supremae auctoritatis Pontificiae; — e **Sec. XVII.** de Armenis et Chaldaeis sub Paulo V Papa; de Clero Graeco Munkacsiensi in Hungaria; de censuris errorum Edmundi Richerii, Marci Antonii de Dominis, et Iansenii per Sorbonam et Coloniensem Universitatem depromtis; de declarationibus Epporum Galliae in Comitiis a. 1626. 1639 etc.; de proscriptione Iansenismi per Praesules Galliae facta; de famosa declaratione Cleri Gallicani pro sic dictis Libertatibus Gallicanis a. 1682 praestita, primum quidem per Eppos excusari adnisa, subin autem retractata, atque ab AEppo Strigoniensi, ab Academia Duacensi, et AEppo Valentino in Hispania mox damnata; — e **Sec. XVIII.**

de controversiis Iansenisticis ex occasione Constitutionis ‚Unigenitus' in Gallia et Belgio; de rebus Graecorum sub Clemente XI, Clemente XII, Benedicto XIV, Clemente XIII; de declaratione Praesulum Galliae pro Primatu; de reprobatione Iustini Febronii sub Clemente XIII, etiam ab Eppis Germaniae praestita, et de retractatione Febronii sub Pio VI; de multiplicibus Pii VI Papae studiis in vindicandis Primatus sui iuribus, restituendaque de iisdem ubique terrarum genuina ac recta doctrina, signanter de Brevibus ad plures Eppos eatenus dimissis, de itinere Vindobonam suscepto, de damnatione famosi libelli ‚I. Valentini Eybel' de Papa vulgati, instar eruditae Primatus apologiae merito consideranda, de factis Summi Pontificis circa innovationes ac reformationes ecclesiasticas in Hetruria tentatas, de iuramento fidelitatis civilis a Catholicis Angliae deposto, de Nuntiaturis Apostolicis memorabili Responsione Pontificia ad Metropolitanos Germaniae vindicatis, de erroneis punctationibus conciliabuli Emsani pariter reprobatis, de rebus occasione perturbationis Gallicanae ultimo Seculi decennio gestis, atque iniquis Gallici Conventus Nationalis postulatis et decretis tum a Summo Pontifice, tum ab ipsis Galliae Praesulibus intrepide fortiterque reiectis, de damnatione pseudo-Synodi Pistoriensis celebri Bulla dogmatica ‚Auctorem fidei' instituta, de sic dicto iuramento odii Regiae potestatis in Gallia etc.; — e **Sec. XIX.** de coordinatione rerum Ecclesiae in Gallia et Germania sub Pio VII; de retractatione Epporum Italiae quoad famosas quatuor propositiones Gallicanas a Napoleone obtrusas; de condemnatione Societatum Biblicarum; de controversia Wessenbergiana; de rebus Graecorum, signanter Melchitarum sub Pio VII, Coptorum sub eodem Papa, Graeciae incolarum sub Leone XII, Melchitarum, Armenorum sub Gregorio XVI; de defe-

ctione Graecorum Unitorum ad schisma in Russia; de damnatione errorum Lamenneii in Gallia; de pluribus Gregorii XVI Brevibus quoad tenendam rectam de Primatu doctrinam ad Helvetiam et Germaniam dimissis; de damnatione doctrinae Hermesianae; de repetita Societatum Biblicarum reprobatione; de constantia Praesulum Germaniae in reiiciendis sectae Germano-Catholicae erroribus; de factis Pii IX Papae pro tuendis iuribus Primatus: de restitutione Patriarchatus Hierosolymitani; de repetita provocatione Antistitum ad tenendam arctissimam cum Centro Unitatis Catholicae concordiam ac adhaesionem; de Encyclicis ad Graecos quoad accelerandam eorumdem cum S. Sede unionem; de reprobatis Socialismi et Communismi erroribus; porro de damnatione sectae Vintrasii in Gallia; operum Iuris Canonici a Francisco Vigil in America et Ioanne Nuytz in Pedemontio vulgatorum, item Indifferentismi, Rationalismi, Güntherianismi, Traditionalismi, errorum denique Iacobi Froschammer Professoris Monacensis; de Conciliis Sec. XIX celebratis: Baltimorensibus, Gallicanis, Hiberniae, Leodiensi, Westmonasteriensibus, Laudensi, Ravennatensi, Strigoniensi, Viennensi, Veneto, Pragensi, Coloniensi, Colocensi; de Epporum Galliae enunciationibus pro suprema auctoritate S. Sedis; de Encyclicis Praesulum: Leodiensis, Nitriensis, Fogarasiensis, Lugdunensis, MVaradinensis, Recinetensis ac Lauretani pro Primatu Romani Pontificis. His absolvitur ea pars nostri Operis, quae Monumenta de Primatu exhibet.

Altera pars eiusdem Operis sistit Romanum Pontificem tamquam *Civilem Principem, qui ditionem temporalem S. Sedis pleno iure, et independenter a quocunque alio terrae Principe regit ac gubernat.* Monumentorum de Civili Principatu Summi Pontificis collectio inde a primis Ecclesiae seculis ad nostros usque dies perducta, quant-

opere nostro praesertim tempore sit exoptabilis, haud opus est pluribus commonstrare argumentis: siquidem ipsi videamus et experiamur continuos illos nisus atque conatus, ad eripiendum Sedi Sanctae omne dominium civile tendentes, et, proh dolor! maxima in parte iam in effectum etiam deductos. Collectiones particulares Monumentorum huc spectantium institutae fuere equidem et antehac, et nostris diebus, cumprimis per doctissimum Tabulariorum Vaticanorum Praefectum, Augustinum Theinerium, Codicis diplomatici dominii temporalis S. Sedis auctorem: verum priores ad partialem, potissimum exiguam temporis periodum, aut ad singulares duntaxat provincias restringuntur; Theinerianus Codex autem, summi licet per se momenti, magis acta Gubernii Pontificii civilis qualiter per provincias S. Sedis exerciti complectitur, et cum exitu superioris seculi desinit. Nostra collectio inchoat cum seculo Ecclesiae quarto, et desinit cum anno seculi nostri quinto et sexagesimo, Monumenta 918 complectens: quae et ius S. Sedis in ditionem temporalem, singulari Divinae Providentiae consilio Primatui Romani Pontificis annexam, luculentissime evincunt, et de ininterruptis Summorum Pontificum studiis, ad vindicandam adversus multiplices hostiles impetitiones et occupationes hanc Ecclesiae Romanae proprietatem impensis, testimonium praebent evidentissimum. Inter haec Monumenta, ut saltem praecipua indigitemus, continentur: e **Sec. IV.** donatio Constantini Magni; — e **Sec. VI.** plures Epistolae Gregorii Magni Papae; — e **Sec. VIII.** donatio Pipini; — e **Sec. IX.** diploma Ludovici I Imperatoris; — e **Sec. X.** Ottonis I et Ottonis III Impp. diplomata; — e **Sec. XI.** Henrici I Imp. diploma, Gregorii VII Papae epistolae de iure S. Sedis in plura regna, signanter in Siciliam, de Legatione Apostolica Comitis tardius Regis Siciliae ab Urbano II

Papa concessa; — e **Sec. XII.** donatio Mathildina, ius S. Sedis in Hiberniam, et Portugalliam; — e **Sec. XIII.** diplomata et iuramenta fidelitatis ac obsequii per Ottonem IV, Fridericum II, Wilhelmum, Rudolphum Impp. praestita, item plures Constitutiones Summorum Pontificum ad Patrimonium sese referentes; — e **Sec. XIV.** Alberti, Henrici VII, Caroli IV, Wenceslai Impp. diplomata; — e **Sec. XV.** iuramenta Regis Romanorum, Conciliorum Constantiensis et Basileensis decreta de patrimonio Romanae Ecclesiae; — e **Sec. XVI.** Constitutiones contra denegantes censum e variis Regnis Ecclesiae Romanae debitum, item contra invasores Patrimonii, et de ditionibus S. Sedis in Gallia: Avenionensi quippe et Venayssina; — e **Sec. XVII.** de Avenionensi ditione, et declaratio Facultatis Theologicae Lovaniensis pro favore Principatus Civilis S. Sedis; — e **Sec. XVIII.** iura S. Sedis in Ducatus: Ferrariae, Parmae, Placentiae; porro Constitutiones Pontificiae de abolito primum, ac iterum restituto tribunali sic dictae Monarchiae Siculae; protestatio adversus intermissam a parte Siciliae solutionem census; Brevia Pii VI. Papae ad Avenionenses et Venayssinos, sub perturbatione Gallica a S. Sedis dominio deficientes; — e **Sec. XIX.** reiectio postulatorum Napoleonis Imperatoris Gallorum ex parte Pii VII; protestationes eiusdem Summi Pontificis; excommunicatio invasorum sacri patrimonii; acta Congressus Vindobonensis in negotio eiusdem patrimonii; Gregorii XVI. Manifesta ad subditos rebelles, et excommunicatio Anconitanorum; tandem gloriosi Papae Pii IX acta inde ab a. 1848 usque finem anni 1865, prout et Suffragia Praesulum orbis catholici tam in Conciliis congregatorum, quam dispersorum pro integritate ditionis temporalis S. Sedis.

His terminatur praecipua pars operis, in qua nimi-

rum Monumenta pro Primatu et Principatu Civili Romani Pontificis vulgantur: omnia, ut iam monuimus, ordine chronologico usque finem anni 1865 decurrentia, et illa etiam, quae iudicio Criticorum inter spuria recenseri solent, additis hinc inde per adiuncta rei postulatis brevibus introductionibus et reflexionibus partim historicis partim doctrinalibus.

Monumentis subnexa comparet ceu pars altera collectionis **Literatura** concernentium seculorum tam de Primatu, quam Civili Principatu Romani Pontificis, eaque amplissima, prope *triginta millia* scriptorum *pro* et *contra* exhibens. Quum enim mox, ac ad vulgandam Literaturam de Primatu animum adiecimus, adverterimus, literaturam nostram de Primatu tunc duntaxat fore completam, si omnia opera literaria, quae ad Primatum quocunque tandem sub obtutu spectant, ac proin ea quoque, quae relationem Primatus Ecclesiae ad Civile Imperium contingunt, in se comprehendat: factum est, ut literaturae nostrae insererentur opera, multifariam relationem inter Ecclesiam et Statum, inter Summum Pontificem et Civiles Principes pertractantia: cuiusmodi relationis Monumenta in opere nostro *de independentia Potestatis Ecclesiasticae ab Imperio Civili,* et alio *de Matrimoniis Mixtis* luci publicae iam antehac commisimus. Ut adeo Literatura, quam in praesenti Opere exhibemus, simul tamquam ‚literatura ipsorum Monumentorum pro independentia Potestatis Ecclesiasticae ab Imperio Civili' consideranda veniat. Ex alio opere de Matrimoniis mixtis eas duntaxat lucubrationes literarias praesenti operi inseruimus, quae stricte de relatione Ecclesiae ad Statum agunt. Omnis itaque Literatura de Primatu in duo summa abit capita: in literaturam generalem de Primatu, et literaturam specialem de Pontificatu et Imperio Civili, utrobique pro ratione adiunctorum in plures minores classes ac titulos subdivisam, prout suis locis accu-

rate praenotavimus. Conspectus Literaturae, cuilibet volumini Operis praefixus, indicat quidem ea scripta, quae singulis recensentur voluminibus: non censemus tamen fore superfluum, iam in Praefatione hac nostra, saltem per summos apices, praecipua Literaturae capita recensere. Amplior Literatura inde a **Sec. XI.** ducitur, quo quippe controversiae cum Graecis ex una, et cum Civilibus Principibus ex altera parte plura opuscula et disceptationes literarias produxerant. Hoc igitur Seculo in primo capite Literaturae occurrunt opera Graecorum contra Primatum, et Latinorum ad eadem responsiones ceu totidem Primatus apologiae; in altero capite opera de dissidio inter Gregorium VII Papam, et Civile Imperium; — **Sec. XIV.** in prima parte opera de magno occidentali schismate; in altera de controversiis inter Bonifacium VIII Papam et Philippum Pulchrum Galliae Regem, inter Ioannem XXII Papam et Ludovicum Bavarum Imperatorem; — **Sec. XV.** in primo capite scripta Wicleffitica et Hussitica, porro de schismate pontificio, inprimis sub Concilio Constantiensi, de relatione potestatis Pontificiae ad Concilium Oecumenicum, de Conciliis Basileensi et Florentino, de Graecorum unione; in capite altero de Sanctione Pragmatica in Gallia, de controversia inter Pium II Papam et Sigismundum Austriacum, de bonis Ecclesiae, et immunitate ecclesiastica; — **Sec. XVI.** in prima parte opera de controversia Reuchliniana, de praetensa Reformatione a. 1517 coepta ac deinceps continuata, de disputationibus inter Catholicos et Protestantes super Primatu, de controversiis inter Scriptores Societatis Iesu et Protestantes super eodem Primatu, de tractatu inter Patriarcham CPnum Ieremiam et Theologos Lutheranos, de Concilio Tridentino; in secunda parte de Sanctione Pragmatica Gallicana et conciliabulo Pisano, de translatione Imperii Romani a Graecis ad Francos et

Germanos, de sic dictis Libertatibus Ecclesiae Gallicanae et iure Regaliae, de Henrico Navarro Galliae Rege per Papam excommunicato, de Elisabetha Regina Angliae aeque anathemati subiecta, de controversiis inter membra Societatis Iesu et Ministros Anglicanos, de relatione generali Ecclesiae ad Civitatem, de iure patronatus, de bonis ecclesiasticis; — **Sec. XVII.** in primo capite praeter amplissimam literaturam generalem, speciatim de continuatis partim, partim denuo excitatis inter eruditos Societatis Iesu sacerdotes et Protestantes controversiis, de Annalibus Caesaris Baronii, de Republica Ecclesiastica Marci Antonii de Dominis, de Iubileo Protestantico anni 1617, de regionibus suburbicariis Romanae Ecclesiae, de controversia Bossueti cum Protestantibus, de Iansenismo, de Ioanna Papissa, de Concilio Tridentino, de Ecclesia Graeca; in capite altero de translatione Imperii Romani, de Pace Westphalica, de dissidio inter S. Sedem et Rempublicam Venetam, de controversia Anglica quoad iuramentum fidelitatis et potestatem temporalem Romani Pontificis, de Libertatibus Gallicanis, de libro Edmundi Richerii circa potestatem ecclesiasticam et politicam, de declaratione Gallicana anni 1682. quoad ius Regaliae, de relatione generali Ecclesiae ad Civitatem, de asylo, patronatu, primis precibus Caesareis, bonis ecclesiasticis; — **Sec. XVIII.** in parte priore de controversiis literariis inter Iesuitas et Protestantes circa Potestatem Ecclesiasticam et cumprimis Primatum, de iubileo protestantico anni 1717 et 1730, de magno Iubileo anni 1750, de Pallio AEppali, de Patriarchatu Aquileiensi, de Incredulis, de opere Iustini Febronii, de Iansenismo, de Ioanna Papissa, de Conc. Tridentino, de Ecclesia Graeca; in parte posteriore de reformationibus ecclesiasticis Iosephinis seu sub Iosepho II Imperatore institutis, de libro Eybelii:

Quid est Papa?, de itinere Pii VI Papae Vindobonensi, de Tolerantia, de Ordinibus Religiosis, de Concordatis, de Placeto Regio, de Academiis Scientiarum, de Nuntiaturis Apostolicis et Congressu Emsano, de innovationibus Hetruscis et Synodo Pistoriensi, de Libertatibus Gallicanis, de perturbatione Gallicana a. 1789 et deinceps, de relatione inter Ecclesiam et Statum, de immunitate ecclesiastica, de bonis etc.; — **Sec. XIX.** capite primo de controversia Stolbergiana, de iubileo protestantico a. 1817 et 1830, de lite Halleriana, de libro: ‚Stunden der Andacht,' de opere Antonii Theineri quoad Ecclesiam Silesiae, de scriptis Saxonicis et Trevirensibus in obiecto reformationum ecclesiasticarum, de opusculis in Helvetia procusis, de causa Hermesiana, de secta Germano-Catholica, de causa Güntheriana, de secta Irvingiana, de literatura Renaniana, de Iansenismo, de Ioanna Papissa, de Ecclesia Graeca, de Conc. Tridentino; capite altero de coordinatione rerum Ecclesiae Germanicae, de controversia Wessenbergiana, de Concordato Bavarico, de controversia Borussica a 1837 enata, de causa Ecclesiae in Würtembergia a. 1841 et sequentibus, de negotiis rei catholicae in Hispania, de operibus reformatoriis ac seditiosis a. 1848 et 1849 cum speciali ad Imperium Austriacum et Hungariam reflexione, de restituta Hierarchia in Anglia et Hollandia, de Concordato Austriaco anni 1855, Würtembergico anni 1857, Badensi anni 1859, de Nuntiaturis Apostolicis, de Placeto Regio, de Libertatibus Gallicanis, de Concordatis in Gallia, de doctrina Lamennei, de duplici perturbatione Gallica a. 1830 et 1848, de relatione inter Ecclesiam et Statum tam universe, quam speciatim in Regno Sardiniae, in Provincia ecclesiastica Rhenana Superiori, in Hassia, in Helvetia, in Austria etc., de Ordinibus Religiosis, de iure patronatus, de relatione inter Ecclesiam

et Scholam cumprimis in Gallia a. 1843 et deinceps, item in M. Ducatu Badensi per decursum labentis decennii, etc., de bonis ecclesiasticis.

Literaturam de Primatu Appendicis instar excipit **Literatura de Societate Iesu** inde a Sec. XVI. Quum enim celeberrima haec Societas sub peculiari Divini Numinis protectione non tantum pro universa doctrina catholica adversus innumeros haereticos Ecclesiae Dei rebelles propugnanda inde a sua fundatione strenue impigreque decertaverit, sed speciatim pro Ecclesia Sancta Catholica Apostolica Romana, pro decretis S. Concilii Tridentini, pro singulari S. Petri Apostolorum Principis Cathedra, et suprema Romani Pontificis, S. Petri successoris, in universam Ecclesiam auctoritate contra haereticos aliosve adversarios sibi gloriosum, fidelibus vero utile ac fructuosum bellum, non obstantibus quibuscunque adversariorum artibus, machinis et calumniis, generose susceperit, idque quasi iure haereditario transmissum nec nunc intermittat, prout vel superficialis Literaturae nostrae de Primatu conspectus manifestum facit: dignum existimavimus, literaturae de ipsa Societate Iesu in nostro de Romano Pontifice opere locum dare. Literatura haec in sua historica parte recenset opera ad Constitutionem ipsius Societatis pertinentia; in parte autem polemica exhibet opera adversariorum Societatis, eorumque refutationes, item in genere apologetica pro Societate opera, prout et celebriores controversias, quae Societati cum aliis Religiosis Ordinibus, utpote Theatinis, Benedictinis, Dominicanis, et Carmelitis Sec. 17 et 18 intercesserunt, specialem quoque literaturam de ritibus Sinensibus ac Malabaricis, de sic dicto peccato philosophico, de doctrina morali, de Actis Sanctorum, de sublatione Societatis, tandem praesentis seculi opera.

Literatura de Principatu Civili Romani Pontificis, prope *quatuor mille quingentena* opera recensens, praeter universalem de hac quaestione conspectum literarium, inde a Sec. XVII controversa enarrat scripta de sic dicta *Monarchia Sicula;* porro e Seculo XVIII distinctis sectionibus exhibet lucubrationes literarias de litibus Comacliensibus, Parmensibus ac Placentinis; e Seculo XIX tandem praemissa annorum 1800 usque 1858 literatura, inde a perturbationibus anni 1859 de anno in annum sistit ob oculos innumera pene opuscula, queis momentosa isthaec quaestio in Italia, Gallia, Germania, Anglia, Hispania, Hungaria etc. pertractata extitit.

Faxit Deus Opt. Max. ut opus hoc nostrum, quod Eius succollante gratia post assidue impensos labores ad finem feliciter perduximus, ad firmandam convictionem de Primatu et Civili Principatu Romani Pontificis vel tantillum conferat. Id si consequuti fuerimus, impensi studii ac laboris nos non poenitebit.

Nitriae, *festo Cathedrae Romanae S. Petri 1866.*

Conspectus.

		Pag.
Mon.	**Monumenta de Primatu.** Sec. I.	1
1—35.	Monum. ex *sacra Scriptura*	1
36—40.	*Clemens I Romanus* de Primatu	5
	Sec. II.	
41—59.	*Anacletus, Evaristus, Alexander I, Sixtus I, Telesphorus, Hyginus, Pius I, Anicetus, Soter, Eleutherius, Victor I* Rom. Pontifices, item *Ignatius M.*	8—19
	Sec. III.	
60—65.	*Tertullianus,* et *Irenaeus*	20
66—78.	*Zephyrinus, Callistus I, Urbanus I, Pontianus, Anterus, Fabianus, Lucius, Stephanus I* RR. PP.	23—34
79—90.	*Cyprianus,* eiusque dissidium cum Stephano PP.	34
91—95.	*Origenes*	46
96—107.	*Sixtus II, Dionysius, Felix I, Eutychianus, Caius, Marcellinus* RR. PP.	48—55
	Sec. IV.	
108—112.	*Marcellus, Eusebius, Melchiades* RR. PP.	56—59
113.	Conc. *Arelatense* a. 314.	60
114.	*Lactantius*	60
115—119.	C. *Nicaeni I* a. 325 celebrati Acta	61
120—125.	*Silvester I, Marcus, Iulius I* RR. PP.	63—69
126. 127.	*C. Sardicense* a. 347.	70
128—131.	*Liberius* PP. in causa *Athanasii*	71
132—136.	*Hilarius*	75
137. 138.	*Felix II* PP. in causa *Athanasii*	76
139—151.	*Gregorius Nazianzenus, Asterius Amasenus, Optatus, Epiphanius, Basilius M.*	80—85
152.	Isaacus *Armenorum* Patriarcha	86
153—164.	*Damasus* PP. et plura Concilia sub eo celebrata	87
165. 166.	*Siricius* PP.	95
167—177.	*Ambrosius*	97
178—180.	*Anastasius* PP.	101
	Sec. V.	
181—192.	*Innocentius I* PP. et Concilia *Carthaginense,* ac *Milevitanum*	103

Mon.		Pag.
193—205.	*Ioannes Chrysostomus*	110. 113
206—214.	*Zosimus, Bonifacius I* RR. PP.	118—122
215—224.	*Hieronymus*	123
225—227.	Imperatores *Theodosius* et *Honorius* . . .	127
228—234.	*Coelestinus* PP. et *Prosper Aquitanus* . . .	129. 131
235—260.	*Augustinus*	132
261.	*Ioannes Cassianus*	142
262—272.	Conc. Gen. *Ephesini* a. 431. acta	143
273—285.	*Cyrillus Alex., Isidorus Pelusiota, Theodoretus Cyrensis*	153—156
286—289.	*Sixtus III* PP., et *Vincentius Lirinensis* . . .	157. 158
290—323.	*Leo I M.* PP., et Conc. Gen. *Chalcedonense* . .	159
324—331.	*Petrus Chrysologus, Valentinianus III* Imp., *Maximus Taur.*	187—190
332—353.	*Hilarius, Simplicius, Felix III, Gelasius I* RR. PP. .	190—203

Sec. VI.

354—363.	*Symmachus* PP. — de praetensis eiusdem criminibus	204. 209
364—382.	*Hormisdas* PP., C. *Vasense* a. 529, *Felix IV, Bonifacius II* RR. PP.	213—223
383—389.	*Fulgentius Ruspensis, Ioannes II* PP. . . .	223. 225
390—394.	C. *CPnum* a. 536. sub *Agapito* PP.	227
395—402.	*Vigilius* PP. et C. *CPnum II* a. 553. . . .	231
403—408.	*Pelagius I* PP., C. *Turonense* a. 570., *Benedictus I*, et *Pelagius II* RR. PP.	241—245
409—414.	*Gregorius I M.* PP. et controversia de titulo *Eppi Oecumenici*	246

Sec. VII.

415.	*Sophronius* Patr. Hieros.	252
416—419.	*Honorius I* PP., *Isidorus Hispalensis, Ioannes IV* PP.— de praetenso errore Honorii PP.	253—258
420—426.	*Theodorus, Martinus I, Vitalianus* RR. PP. item *Maximus* Theol. et Confessor	258—263
427—431.	C. *CPnum III* a. 680 — de damnatione Honorii .	264
432.	C. *Toletanum XIV* a. 684	271

Sec. VIII.

433—435.	*Ioannes VII, Constantinus* RR. PP.—Appellatio AEppi Eboracensis, et Ioannis CPni	272. 274
436—441.	*Beda Ven., Gregorius II* PP. et *Bonifacius Moguntinus*, item *Ioannes Damascenus*	276—279
442—444.	C. *Nicaenum II* a. 787, et *Carolus M.* Imp. . .	279. 284

Sec. IX.

445.	*Leo III* PP. in Syn. Romana a. 800	287
446—451.	*Nicephorus* CPnus, *Remigius* Curiensis, *Agobardus* .	288—291
452—457.	*Gregorius IV, Leo IV, Benedictus III* RR. PP. . .	293—300

Mon.		Pag.
458. 459.	*Hincmarus Remensis*, et *Aeneas Parisiensis* . .	301
460—472.	*Nicolaus I* PP. — causa *Photii* CPni . . .	302
473—477.	*Photius* CPnus pro Primatu	321
478—485.	*Hadrianus II* PP. et *Syn. CPna IV* in causa Photii .	323
486—488.	*Ioannes VIII* PP. — conciliabulum Photii . .	333
489—492.	CC. *Pontigonense, Trecense II*	337
493—495.	*Stephanus V* PP. contra Photium	339
496—498.	*Liber Synodicus CPnus, Nicetas David* . . .	342

Sec. X.

499—503.	*Atto Vercellensis, Ratherius Veronensis, Benedictus VI* PP.	344

Sec. XI.

504—508.	*Silvester II*, et *Leo IX* RR. PP. — *Michael Caerularius* CPnus	347. 348
509—512.	Eppus *Moguntinus, Anselmus Lucensis, Lanfrancus* .	358
513—520.	*Petrus Damianus*	362
521—530.	*Gregorius VII* PP.	366
531—535.	C. *Quintilineburgense, Bonizo, Deusdedit* . . .	379—382
536. 537.	*Urbanus II* PP., *Tractatus de Primatu R. E.* . .	385. 386

Sec. XII.

538—546.	*Anselmus Cantuariensis, Ivo Carnotensis* . . .	387. 389
547—463.	*Paschalis II* PP. — de privilegio investiturali . .	391
564—569.	*Gelasius II, Calixtus II, Innocentius II* RR. PP. et *Hildebertus Cenomanensis*	405—409
570—573.	*Theophanes Cerameus*, C. *Senonense* a. 1140., Eccl. *Leodiensis*	410—413
574.	*Anselmus Havelbergensis* et *Nechites* Graecus .	414
575—584.	*Bernardus* — Alvearium Claraevallense . .	422
585. 586.	*Hadrianus IV* PP. de reconciliandis *Graecis* . .	440
587—589.	*Thomas Cantuar.*, C. *Lateran. III.*, *Urbanus III* .	442—444

Sec. XIII.

590—611.	*Innocentius III* PP. — de unione *Graecorum, Armeniorum, Bulgarorum, Serviae*	445
612. 613.	C. *Lateranense IV* a. 1215.	474
614. 615.	Dux *Poloniae*, et Praesules *Hungariae* ad Honorium III PP.	475. 476
616. 617.	*Germanus* CPnus ad Gregorium IX PP. pro Unione .	477
618. 619.	*Gregorius IX* PP. — de *Bulgaris* uniendis . .	483. 485
620—622.	*Innocentius IV* PP. — de *Bulgaris* et *Iacobitis* . .	487. 490
623—625.	*Albertus M.* a. 1247.	491
626—629.	*Alexander IV*, et *Urbanus IV* RR. PP. — de unione *Graecorum*	492. 496

Mon.		Pag.
630.	*Clemens IV* PP. unionis *Graecorum* negotium prosequitur	503
631—644.	Constitutiones *Guidonis* Legati pro *Hungaria*, — *Bonaventura, Thomas Aquinas*	507. 508
645—648.	*Gregorius X* PP. — Unio *Graecorum*	510—514
649.	*Martinus IV* PP. excommunicat Graecorum Imperatorem	515
650. 651.	Metropolita *Armeniae*, et Primas *Iacobitarum*	516. 517
652.	*Universitas Parisina* a. 1295	518

Sec. XIV.

653.	*Bonifacii VIII* PP. Decretalis ‚Unam Sanctam'	520
654.	*Clemens V* PP. de unione *Rassorum*	522
655. 656.	Syn. *Posoniensis* a. 1309	524
657—662.	*Ioannis XXII* PP. plura decreta et epistolae	526—548
	Sub eodem Pontifice Eppus *Parisiensis* pro Primatu	531
663.	*Benedictus XII* PP.	548
664.	Conc. *Nicosiense* Graecorum a. 1340	549
665. 666.	*Clemens VI* PP. ad *Graecos*, et *Armenos*	550. 552
667—670.	*Gregorius XI* PP. contra *Speculum Saxonum*, et contra *Wicleffum*	556. 559
671.	*Urbanus VI* PP. de professione fidei a neoconversis elicienda	563
672. 673.	Facultas Theologica *Parisiensis*	564

Sec. XV.

674. 675.	Universitates: *Tolosana*, et *Pragensis*	566. 567
676. 677.	Concilia: *Oxoniense*, et *Constantiense*	568. 569
678. 679.	*Martini V* PP. Constitutiones a. 1418	571. 573
680.	*Gregorius* Metropolita *Kioviensis* a. 1423.	573
681—693.	*Eugenius IV* PP. — acta CC. *Basileensis* et *Florentini*, ubi etiam de Unione *Graecorum*	574—599
694—696.	Eiusdem PP. decretum de unione *Armenorum*	599
697.	Eppus *Meldensis* de decretis C. Basileensis	604
698—700.	*Callistus III* PP.	605
701—702.	*Pius II* PP. — Eius retractatio	611
703.	*Bessarion* de unione *Graecorum* a. 1463	624
704.	*Sixtus IV* PP.	629
705.	*AEppus CPnus* de unione in C. Florentino peracta	631

Literatura 633
Literatura Sec. 3. — anonymus Cypriano coaevus . . . 633
Literatura Sec. 4. — *Victorinus, Asterius* 634
Ex eodem Seculo *de Pontificatu et Imperio* Civili *Ambrosius* . 634
Literatura Sec. 6: *Maxentius, Rusticus, Quiritinus* . . . 634 s.

Pag.

Ex eodem Seculo *de Pontif. et Imp. Gregorius M.* . . . 635
Literatura Sec. 7, et 8. 635
Literatura Sec. 9: *Photius, Ratramnus* etc. 636
Ex eodem Seculo *de Pontif. et Imp. Hincmarus* etc. . . . 637
Literatura Sec. 10: *Pseudo-Luitprandus* et alii . . . 638
Ex eodem Seculo *de Pontif. et Imp. Eutropius* 638
Literatura Sec. 11: *Abbo Floriac. Damianus* etc. . . . 638
Ex eodem Seculo scripta *Graecorum* pro et contra . . . 639
Ex eodem Seculo *de Pontif. et Imperio* tum ante *Gregorium VII* PP. tum sub hoc Papa 641
Literatura Sec. 12: *Theodoricus, Anselmus* etc. 645
Ex eodem Seculo scripta *Graecorum* 647
Ex eodem Seculo *de Pontif. et Imperio* 649
Literatura Sec. 13: *Gualterus Mapes* et alii 650
Ex eodem Seculo scripta *Graecorum* 652
Ex eodem Seculo *de Pontif. et Imp.* 654
Literatura Sec. 14: *Hermannus Italus* etc. 656
Auctores de *Schismate magno* scribentes 658
Auctores *Graeci* 660
De Pontificatu et Imperio: Controversia *Bonifacii 8* . . . 662
Controversia *Ioannis XXII* cum *Ludovico Bavaro* 663
Wicleffi scripta eorumque refutatio 669
Literatura Sec. 15: *Wicleffitica, Hussitica* 671
Scriptores de Primatu usque C. Basileense 672
Scriptores sub CC. Basileensi et Florentino 679
Scripta Graecorum, potissimum sub C. Florentino . . . 687
Scriptores post tempora CC. Basil. et Florentini . . . 692
Literatura *de Pontificatu et Imperio* 698
Literatura de *Sanctione pragmatica in Gallia* 701
Literatura de *controversia Pii II cum Sigismundo Austr.* . . 702
Literatura de *bonis eccl.* item *immunitate eccl.* 703

MONUMENTA DE PRIMATU.

SECULUM PRIMUM.

1—35.

Christus Dominus **Petrum** Apostolum constituit Ecclesiae **Primatem**; Apostoli illum qua talem agnoscunt; **Petrus** exercet Primatum.

INTRODUCTIO. Collectionem Monumentorum Primatus, quo Romanus Pontifex Divi Petri successor, in universa gaudet Ecclesia, dignius et congruentius inchoare non possumus, quam si iis Monumentis principem dederimus locum, quae nobis Sacra Scriptura suppeditat: quibus quippe ipsa institutio Primatus in S. Petro Apostolorum Principe facta, et eius primum exercitium continetur. Sacrae nimirum Literae beatum **Petrum** Apostolum tamquam ceterorum Apostolorum principem, tamquam fundamentum, et Caput Ecclesiae a Christo Domino constitutum, ab Apostolis pro tali agnitum, et post ascensionem Domini munia Primatus reipsa exercentem exhibent. Institutio Primatus iis S. Scripturae textibus comprehenditur, in quibus legimus Christum Dominum nomen Simonis in illud Petri mutavisse; pro se tantum et Petro didrachma persolvisse; potestatem clavium Petro dedisse, ac super illum Ecclesiam suam semet aedificaturum enunciasse; pro Petro orasse, ut non deficiat fides eius, isque confirmet fratres suos; oves et agnos Petro pascendas commisisse. Apostolorum agnitio de Primatu Petri

iis S. Scripturae textibus exprimitur, quae Petrum semper praecipua quadam ratione, et primo loco nominant, aut diserte primum vocant, eius sermones et facta praeferenter recensent, ipsum solum praeteritis ceteris memorant, et speciatim de Paulo referunt, hunc ad videndum Petrum, et ad conferendum cum eo Evangelium Jerosolymam petiisse. Demum testimonia de exercito Primatu in iis SS. Literarum continentur locis, quae perhibent, Petrum principem fuisse in cogendo conventu ad complendum duodenarium Apostolorum numerum; principem in Religione salvifica solenniter annuncianda, in confutandis seniorum ac sacerdotum populi Hebraici criminationibus; principem in observanda ac punienda fraude; principem in visitandis Ecclesiis; principem in ferenda sententia Concilii Jerosolymis congregati etc. Loca haec S. Scripturae in Actis Apostolorum existunt, quae quoad prima 15 capita adeo in recensendis unius fere Petri factis versantur, ut illa cum veritate instar historiae regiminis Petri haberi possint. In ipsis quoque epistolis Petri, ut sapienter observat Card. Pitra in suo Iure Eccl. Graecorum, spirat quaedam regia ac pontificia maiestas, qua ille totum in se Apostolatum gerere videtur.

1. MON. **Joan. 1. 42.** Et adduxit (Andreas) eum (Simonem) ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus dixit: *Tu es Simon, filius Jona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.*

2. **Matth. XVI. 13.** ss. Venit autem Jesus in partes Caesareae Philippi, et interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt: alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona! quia caro et sangvis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est. *Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.*

3. **Matth. XVII. 23.** ss. Et cum venissent Capharnaum, accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma? Ait: etiam. Et cum

intrasset in domum, praevenit eum Jesus dicens: Quid tibi videtur, Simon? Reges terrae a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalisemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore eius, invenies staterem: illum sume, et *da eis pro me et te.*

4. **Luc. XXII. 31. 32**: Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: *ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.*

5. **Joan. XXI. 15.** ss. Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: *Pasce agnos meos.* Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: *Pasce agnos meos.* Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me: et dixit ei: Domine, tu omnia nosti, tu scis, quia amo te. Dicit ei: *Pasce oves meas.*

6—9. **Matth. IV. 18**: Ambulans autem Jesus iuxta mare Galilaeae, vidit duos fratres: *Simonem, qui vocatur Petrus*, et Andream etc. — **X. 2**: Duodecim autem Apostolorum nomina sunt haec: *Primus: Simon, qui dicitur Petrus* etc. — **XVII. 1**: Et post dies sex assumit Jesus *Petrum*, et Jacobum etc. — **XXVI. 37. 40**: Et assumto *Petro*, et duobus filiis Zebedaei etc. Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit *Petro* etc.

10—14. **Marc. I. 16. 36**: Et praeteriens secus mare Galilaeae, vidit *Simonem* etc. Et prosecutus est eum *Simon, et qui cum illo erant.* — **III. 16.** *Et imposuit Simoni nomen Petrus.* — **IX. 1**: Et post dies sex assumit Jesus *Petrum* etc. — **XIV. 33. 37**: Et assumit *Petrum* etc. Et venit, et invenit eos dormientes, et ait *Petro* etc. — **XVI. 7**: Sed ite, dicite discipulis eius, *et Petro* etc.

15-18. **Luc. VI. 13. 14**: Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos no-

minavit: *Simonem, quem cognominavit Petrum* etc. — **VIII. 45. 51**: Et ait Jesus: Quis est, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit *Petrus et qui cum illo erant* etc. Et cum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, *nisi Petrum* etc. — **IX. 28. 32:** Factum est autem post haec verba fere dies octo, et assumsit *Petrum* etc. *Petrus vero et qui cum illo erant* etc. — **XXIV. 34:** Dicentes (discipuli): quod surrexit Dominus vere, *et apparuit Simoni.*

19—21. **Joan. XIII. 6:** Venit ergo (Jesus lavans pedes) ad *Simonem Petrum.* — **XX. 1.** ss. Una autem Sabbathi Maria Magdalene — cucurrit et venit ad *Simonem Petrum* etc. Currebant duo simul, et ille alius discipulus praecucurrit citius Petro, — *non tamen introivit. Venit ergo Simon Petrus,* — *et introivit in monumentum* etc. — **XXI: 2.** Erant simul: *Simon Petrus* etc.

22—26. **Act. I. 13:** Et cum introissent in coenaculum, ascenderunt, ubi manebant *Petrus* etc. — **II. 14:** Stans autem *Petrus cum undecim* etc. — **III. 1.** ss. *Petrus autem* et Joannes etc. Is (vir claudus) cum vidisset *Petrum* etc. *Petrus* autem dixit etc. Cum teneret autem *Petrum* et Joannem etc. — **IV. 13. 19:** Videntes autem *Petri* constantiam et Joannis etc. *Petrus* vero et Joannes etc. — **XII. 5:** Et *Petrus* quidem servabatur in carcere. *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.*

27. 28. **Ep. ad Gal. I. 18:** Deinde post annos tres *veni Jerosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim.* — **II. 2:** Ascendi (Jerosolymam) secundum revelationem, et *contuli cum illis Evangelium*, quod praedico in gentibus; seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem.

29—35. **Act. I. 15.** In diebus illis exurgens *Petrus* in medio fratrum, dixit: viri fratres, oportet impleri Scripturam — de Juda etc. — **II. 14:** Stans autem *Petrus* cum undecim, levavit vocem suam etc. — **III. 12:** Videns autem *Petrus* respondit ad populum: viri Israelitae etc. — **IV. 8:** Tunc *repletus Spiritu S. Petrus*, dixit ad eos: Principes populi etc. —

IX. 32: Factum est autem, ut *Petrus, dum pertransiret universos*, deveniret ad sanctos, qui habitabant Lyddae etc. — **X. 34**: Aperiens autem *Petrus* os suum dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, et operatur iustitiam, acceptus est illi. — **XV. 6. 7**: Convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc (controv. legalium). Cum autem magna conquisitio fieret, surgens *Petrus* dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, *per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere etc.*

36—40.

Clemens I Romanus Petri Primatum praedicans, hunc eundem Primatum qua successor exercet. A. 91. ss.

INTR. Clemens I Papa in epistola I ad Corinthios, quorum Ecclesia discordia ac seditione contra presbyteros concussa fuit, tamquam summa praeditus auctoritate scribit, diserteque enunciat: Summo Sacerdoti sua tributa esse munia. — In epistola 1 ad Jacobum fratrem Domini, in qua enarrat, qualiter Petrus Apostolorum princeps ante mortem se (Clementem) in successorem suum ordinaverit, multaque regendae Ecclesiae praecepta tradiderit, clare confitetur: Petrum pro fundamento Ecclesiae definitum fuisse a Domino. — In epistola 2 ad eundem rursus de Petro affirmat: eum omnium Apostolorum patrem fuisse, clavesque regni coelestis accepisse. — In epistola 3 ad eppos etc. item ep. 5 ad discipulos Hierosolymitanos tum de officio sacerdotii ac clericorum, tum de communi vita congruam impertitur instructionem, utrobique tamquam summa praeditus potestate se gerens et docens. Continentur haec Monumenta in **Migne** Patrologia Lat. t. 130. p. 37. 43. 57. et Patr. Graeca t. 1. p. 123. 247.

36. MON. *Epist. I. ad Corinthios.* Ecclesia Dei, quae incolit Romam, Ecclesiae Dei, quae incolit Corinthum, vocatis, sanctificatis etc. — Propter subitas ac sibi invicem succedentes ca-

lamitates et casus adversos, qui nobis acciderunt, tardius, fratres, *nosmetipsos convertisse agnoscimus ad ea, quae fuerunt quaesita a vobis,* dilecti, et ad seditionem impiam ac detestandam, advenis Deique electis alienam: quam pauci homines insolentes et audaces in tantum vecordiae inflammarunt, ut venerabile ac illustre, dignumque, quod ab omnibus ametur nomen vestrum, magnopere blasphemetur. — *Cap. 40.* — *Summo sacerdoti sua munia tributa sunt.* — *Cap. 44.* Et apostoli nostri cognoverunt per D. N. I. C. quod futura esset contentio de nomine episcopatus; ob eam ergo causam perfectam praecognitionem adepti constituerunt praedictos (eppos, etc.), et deinceps futurae successionis regulam tradiderunt, ut cum illi decessissent, ministerium eorum ac munus alii viri probati exciperent. —

37. *Epist. 1. ad Jacobum fratrem Domini.* Notum tibi facio, domine, quia *Simon Petrus,* qui verae fidei merito et integrae praedicationis obtentu, *fundamentum esse Ecclesiae definitus est,* qua de causa etiam Domini ore divino cognominatus est Petrus, qui fuit primitiae electionis Domini, apostolorum primus, cui et primo Deus Pater Filium revelavit, cui et Christus competenter beatitudinem contulit, — hic denique ipse Petrus, — pro pietate pati volens vitam finivit. In ipsis autem diebus, quibus vitae finem sibi imminere praesensit, in conventu fratrum positus, apprehensa manu mea, repente consurgens, in auribus totius Ecclesiae haec protulit verba: ‚Audite me fratres et conservi mei, quoniam ut edoctus sum ab eo, qui misit me, Domino et Magistro meo Jesu Christo, dies mortis meae instat, Clementem hunc Eppum vobis ordino, cui soli meae praedicationis et doctrinae cathedram trado; ipsi trado a Domino mihi traditam potestatem ligandi et solvendi, ut de omnibus quibuscunque decreverit in terris, hoc decretum sit et in coelis.‘ — *(Sequuntur plura praecepta ad gubernationem Ecclesiae et mores cleri spectantia, quae beatus Petrus Clementi dederit.)*

38. *Epist. 2. ad eundem.* Quoniam, sicut a beato *Petro* apostolo accepimus, *omnium apostolorum patre, qui claves regni coelestis accepit,* qualiter tenere debemus de sacramentis, quae geruntur in sanctis, *te ex ordine nos decet instruere.* (‚Sequuntur instructiones ac praecepta de sacris vestibus et vasis, item de castitate s. ministrorum.‘) — Haec nos familiarius docebat, et haec nobis praedictus magister et instructor atque or-

dinator noster princeps apostolorum Petrus in Ecclesia praedicabat, exemplum dans, ut nos similiter faciamus. — Si quis praecepta haec non integra custodierit, sit anathema usque ad adventum D. N. I. C. Haec praecepta a S. Petro apostolo accepi, et tibi, frater carissime, insinuare curavi, ut servare omnia praecipias sine macula. —

39. *Epist. ad omnes Eppos.* Urget nos, fratres, multus amor vester, et religiosa vestra devotio, quia debitores sumus, ut quaedam vobis scribamus; vobis enim, qui sacerdotio Domini fruimini, et in specula estis positi, plus scire oportet, ut subditos vobis populos pleniter docere possitis, eisque ad regna coelorum ducatum praebere Deo annuente valeatis. (‚Fuse proponit munus sacerdotum et clericorum.') —

40. *Epist. ad fratres et condiscipulos Jerosolymitanos.* Communis vita, fratres, omnibus necessaria est, et maxime his, qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, et vitam apostolorum eorumque discipulorum imitari volunt. — Relatum est etiam, quod quidam in vestris partibus commorantes adversantur sanis doctrinis, et prout eis videtur, non secundum traditionem patrum, sed iuxta sensum suum docere videntur. Multas enim quidam, ut audivimus, vestrarum partium, secundum ingenium hominum ex his, quae legunt, vesimilitudines capiunt, et ideo diligenter observandum est, ut et lex Dei cum legit, non secundum propriam ingenii intelligentiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in Scripturis divinis, quae possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque sponte praesumsit, sed fieri non oportet: non enim sensum, quem extrinsecus adulteratis, alienum et extraneum debetis quaerere, aut quomodo ipsum ex Scripturarum auctoritate confirmetis, sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis. Et ideo oportet ab eo intelligentiam discere Scripturarum, qui eam a maioribus secundum veritatem sibi traditam servat, ut et ipse possit ea, quae recte suscepit, competenter asserere. —

SECULUM SECUNDUM.

41—44.

Anacletus PP. de relationibus ad Sedem Apostolicam faciendis, de visitatione liminum Apost. etc. A. „101.“ ss.

INTR. Anacletus Papa in suis epistolis decretalibus Primatum Petri eiusque successorum amplis verbis commemorat: dum leges Ecclesiae apostolica auctoritate firmari, difficiliores quaestiones, iudicia maiorum, maiores causas ad Sedem apostolicam referri, Apostolorum limina ab Eppis visitari debere enunciat; de Primatu item asserit: a Petro coepisse sacerdotalem ordinem, ipsi primo Pontificatum Ecclesiae datum, Romanamque Ecclesiam in beato Petro non ab Ecclesia, sed ab ipso Domino Salvatore Primatum obtinuisse. — **Migne** Patr. Gr. t. 1. p. 1237. 1249. 1258. 1263.

41. MON. *Epist. decretalis de Eppis ordinandis, et accusandis, deque eorum ministerio.* — Audimus, fratres, quod quidam detrahunt et accusant sacerdotes Dei, cupientes eos damnari, non intelligentes forsitan, quod iniuria sacerdotum ad Christum pertinet, cuius vice funguntur. Nec hoc aspiciunt, quod beatus Petrus princeps apostolorum, instructor noster, ait: Deponentes igitur omnem malitiam etc. I. Pet. 2. — Ideo fratres, variis detractionibus et accusationibus non oportet labefactare iudices et primates Ecclesiae, sed magis apostolorum et doctorum regulis informari ac roborari. — *Leges Ecclesiae apostolica firmamus auctoritate, peregrina iudicia submovemus.* — Unaquaeque provincia tam iuxta Ecclesiae quam iuxta seculi leges suos debet habere iustos et non iniquos iudices, et non externos, nisi apostolicae sedis huius decreverit auctoritas, quatenus quicunque causam habuerit, apud suos iudices iudicetur. — Omnis oppres-

sus libere sacerdotum, si voluerit, appellet iudicium, et a nullo prohibeatur, sed ab his fulciatur, et liberetur. Si autem difficiles causae aut maiora negotia orta fuerint, ad maiorem sedem referantur. — *Quodsi difficiliores ortae fuerint quaestiones, aut epporum, vel maiorum iudicia, aut maiores causae fuerint, ad Sedem apostolicam referantur, quoniam apostoli hoc statuerunt iussione Salvatoris, ut maiores et difficiliores quaestiones semper ad Sedem deferantur apostolicam, super quam Christus universam construxit Ecclesiam, dicente ipso ad beatum principem apostol. Petrum: Tu es Petrus etc.* —

42. *Epist. ad Eppos Italiae in eodem merito.* Quoniam Apostolicae Sedis debitam reverentiam erga me caritas vestra distribuit, — consultationibus vestris — breviter scribere vobis non denegavimus. Ordinationes Epporum auctoritate apostolica ab omnibus, qui in eadem fuerint provincia, Eppis sunt celebrandae. — Accusatio quoque eorum nonnisi ab idoneis et probatissimis viris, et qui suspicionibus et sceleribus careant, fieri debet, quia Dominus sacri sui corporis tractatores a vilibus et reprobis ac non idoneis personis infamari noluit, nec calumniari permisit, sed ipse proprio flagello peccantes sacerdotes a templo eiecit. Unde liquet, quod summi sacerdotes, id est, Eppi a Deo sunt iudicandi. In Novo Testamento post Christum Dominum *a Petro sacerdotalis coepit ordo, quia ipsi primo pontificatus in Ecclesia Christi datus est, dicente Domino ad eum: Tu es Petrus* etc. — Et licet singulae metropoles civitates suas provincias habeant, et suos metropolitanos iudices habere debeant episcopos, primates tamen et tunc et nunc habere iussae sunt, ad quos post sedem apostolicam summa negotia conveniant, ut ibidem — Epporum causae et summorum negotiorum iudicia, *salva apost. sedis auctoritate*, iustissime terminentur. Haec ab antiquis, haec ab apostolis, haec a S. Patribus accepimus, vobisque, ut postulatis, rimanda et futuris tenenda temporibus mittimus et reliquis fratribus praedicanda ac cunctis fidelibus tradenda mandamus. —

43. *Epist. de patriarchis et primatibus, et de primatu Ecclesiae Romanae.* — De primatibus, carissimi, super quibus me quidam vestrum consuluerunt, et apostolicae auctoritatis, qua licet indigni Domino dispensante fungimur, decretum postulaverunt, aut si esse deberent aut non, quantum hactenus de his a beato Petro apostolo, et a reliquis apostolis, ac beato Clemente

nostro s. praedecessore et martyre novimus statutum, denegare vobis minime possumus. — Epporum ordo unus est, licet sint primates illi, qui primas civitates tenent, qui et in quibusdam locis patriarchae a nonnullis vocantur. — *Haec vero s. Romana et apostolica Ecclesia non ab apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit et eminentiam potestatis super universas Ecclesias ac totum christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse beato Petro apostolo dixit: Tu es Petrus etc.* Adhibita est etiam societas in eadem Romana urbe beatissimi apostoli Pauli vasis electionis, qui uno die, uno quoque tempore gloriosa morte cum Petro sub principe Nerone agonisans, coronatus est, et ambo s. Romanam Ecclesiam consecrarunt, aliisque omnibus urbibus in universo mundo eam sua praesentia atque venerando triumpho praetulerunt. — *Prima ergo sedes est coelesti beneficio Romanae Ecclesiae.* — Nam et inter beatos apostolos quaedam fuit discretio. Et licet omnes essent apostoli, *Petro tamen a Domino est concessum*, et ipsi inter se id ipsum voluerunt, *ut reliquis omnibus praeesset apostolis*, et Cephas, idest, caput et principium teneret apostolatus, qui et eandem formam suis successoribus, et reliqui apostoli Eppis tenendam tradiderunt. *Si quae vero causae difficiliores inter vos ortae fuerint, ad huius s. sedis apicem eas quasi ad Caput referte, ut apostolico terminentur iudicio, quia sic Dominum velle, ab eoque ita constitutum esse, antedictis testimoniis declaratur. Haec vero apost. Sedes, cardo et caput omnium Ecclesiarum a Domino, et non ab alio, est constituta. Et sicut cardine ostium regitur, sic huius S. Sedis auctoritate omnes Ecclesiae Domino disponente reguntur.*

44. *Decretum de visitandis apostolorum liminibus.* Juxta s. patrum et canonum instituta omnes Eppi, qui huius apost. Sedis ordinationi subiacent, et qui propinqui sunt, annue circa Idus Maii SS. Principum Petri et Pauli liminibus praesententur, omni excusatione seposita. Qui vero de longinquo sunt, iuxta chirographum suum impleant. Qui autem huiusmodi constitutionis contemtor extiterit, praeterquam si aegritudine fuerit detentus, sciat se canonicis subiacere sententiis.

45.

Ignatius M. Ecclesiae Romanae praesidium attribuit. A. 107.

MON. *Epist. ad Romanos.* Ignatius, qui et Theophorus, misericordiam consecutae in magnificentia altissimi Patris, et Jesu Christi unigeniti eius Filii, *Ecclesiae dilectae et illuminatae* per voluntatem illius, qui vult omnia quae sunt secundum caritatem Jesu Christi Dei nostri; *quae praesidet in loco Romanae regionis*, Deo digna, decentissima, merito beata, laudatissima, digna quae voti compos sit, castissima et praesidens in caritate, Christi habens nomen, Patris nomen ferens, etc. — plurimam in Domino I. C. Deo nostro atque immaculatam salutem. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 3. p. 671.

---

46. 47.

Evaristus PP. de relationibus ad Sedem Ap. qua Caput faciendis A. 110.

46. MON. *Ad Eppos Africanos.* Consulentibus vobis, fratres carissimi, quid super his, quae in vestris continebantur scriptis, visum nobis esset, vel quid docilis ratio persvaderet, aut quid a beatis apostolis nobis traditum aut custoditum remaneret, *optantes,* ut retulistis, *nostris institui documentis,* siquidem dilectio vestra normam secuta prudentium, *ad Sedem Apostolicam referre* maluit *quasi ad caput*, quid deberet de rebus dubiis custodire, potius, quam usurpatione praesumere, haec rescribimus. *(De diaconis, de coniugio, et de erroneis circa Trinitatem sententiis.)* —

47. *Ad Eppos Aegypti.* Unum nos, fratres, sentire oportet et agere, ut, sicut legimus, in nobis unum cor et una anima esse probetur. Scimus namque, sicut et a patribus accepimus, Christum esse caput, cuius et membra sumus. Ipse enim est Sponsus, et Ecclesia sponsa, cuius filii nos sumus, et ideo unum Patrem

habemus Deum in coelis. *(Agit uberius de qualiter gubernanda Ecclesia per Episcopos, et cavendis iudiciis iniquis.)* — **Migne** *Patr. Gr.* t. 3. p. 835.

48.

Alexander I. PP. Ecclesiae Romanae qua apici curam omnium Ecclesiarum a Domino commissam esse declarat. A. 119.

MON. *Epistola encyclica ad universos fideles.* Cogitantibus nobis metum divini iudicii, fratres carissimi, et post vitam hanc unumquemque prout gesserit recepturum, quid veniat in querelam, tacere non licuit, sed nobis vobis loqui necessitas imperavit, dicente propheta: „exalta ut tuba vocem tuam.“ Et *cui omnium Ecclesiarum commissa est cura,* si dissimulem, audiam Domino dicente: „reiecistis mandatum Dei, ut statuatis traditiones vestras.“ Quid enim aliud est reiicere mandatum Dei, quam privato consilio iudicio humano novis rebus constituendis liberius delectari? Unde et alibi scriptum est: ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. Terminos indubitanter transgreditur, qui statuta patrum postponit atque confundit. Pervenit namque ad conscientiam apost. Sedis, quod nonulli sunt tam stolidi, qui Dominica praecepta, et apostolorum eorumque successorum statuta minime observant, et eos, de quibus Dominus ait: „qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei“, non solum tangere minime dubitant, sed etiam persequi non formidant. — Relatum est insuper ad huius *sanctae et apostolicae sedis apicem, cui summarum dispositiones causarum, et omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput,* ipso dicente principi apostolorum Petro: Tu es Petrus etc.: quod quidam aemuli Christi, eiusque S. Ecclesiae insidiatores, sacerdotes Dei ad iudices publicos accusare praesumant, cum magis Apostolus Christianorum causas ad Ecclesias deferri, et ibidem terminari praecipiat. Taliter praevaricantes praevaricati sunt in Deum suum, et non obediunt praeceptis eius. — *(Agit de accu-*

sationibus adversus eppos et sacerdotes modo a statutis apostolicis alieno factis.) — **Migne** *Patr. Gr.* t. 3. p. 845.

49.

Sixtus I. PP. de S. Sede pronunciat: ad eam tamquam ad caput appellandum; ab ea Eppos defendendos esse. A. 130.

MON. *Ad omnes Ecclesias.* Cognoscat vestra sapientia, carissimi fratres, quia in hac S. Sede Apostolica a nobis et reliquis Eppis ceterisque Domini sacerdotibus statutum est, ut sacra vasa non ab aliis, quam a sacratis Dominoque dicatis contrectentur hominibus. — Si quis vero vestrum pulsatus fuerit in aliqua adversitate, *licenter hanc sanctam et apostolicam appellet sedem, et ad eam quasi ad Caput suffugium habeat,* ne innocens damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum patiatur. Si autem ei necesse fuerit, eamque appellare minime ausus fuerit, et vocatus tamen ab hac s. sede fuerit, non renuat venire, sed confestim, ut ei nuntiatum fuerit, venire festinet, et causas, pro quibus vocatus est, prudenter disponat, atque si necesse aliquid fuerit corrigere, cum his quos hic primos invenerit corrigat. Ad ecclesiam tamen suam non prius revertatur, quam literis apostolicis vel formatis pleniter instructus atque purgatus sit, si fuerit unde, ut postquam domum reversus fuerit, cognoscant vicini sui, qualiter hic sua aliorumque causa discussa fuerit, quatenus eam absque aliqua ambiguitate nuntiare et praedicare omnibus possit; *ab hac enim s. Sede a s. apostolis tueri, defendi, et liberari Eppi iussi sunt,* ut sicut eorum dispositione ordinante Domino primitus sunt constituti, sic *huius s. Sedis, cuius dispositioni eorum causas et iudicia servaverunt, protectione* futuris temporibus sint ab omnibus perversitatibus semper liberi. Unde culpantur hi, qui aliter circa fratres egerint, quam huius sedis rectoribus placere cognoverint. His taliter consideratis, — *tamquam omnium curam gerentes, propter sedis propriae apicem decernimus,* ut nemo pontificum aliquem suis rebus exspoliatum eppum aut a sede pulsum excommunicare aut iudicare praesumat, quia non

est privilegium, quo exspoliari possit iam nudatus. Si quis autem aliter agere praesumserit, sciat *censuram huius Sedis* cum omnibus membris suis sibi venturam. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 3. p. 866.

50.

Telesphorus PP. tamquam summus Pontifex de ieiunio ante-paschali decernit. A. 140.

MON. *Ad omnes Eppos.* Credimus, sanctam fidem vestram in Apostolorum eruditione fundatam hanc tenere et hanc populis universis exponere, quae videlicet a constitutis apostolorum eorumque successorum nulla ratione dissentit, per quos iustum est ceteros erudiri. Quapropter cognoscite, a nobis et a cunctis eppis in hac sancta et apostolica sede congregatis statutum esse, ut septem hebdomadas plenas ante s. Pascha omnes clerici in sortem Domini vocati a carne ieiunent etc. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 3. p. 869.

51.

Hyginus PP. Ecclesiae Romanae privilegia diserte memorat. A. 152.

MON. *Cunctis fidelibus.* — Ceterum, fratres, *salvo in omnibus Romanae Ecclesiae privilegio*, nullus metropolitanus absque ceterorum omnium comprovincialium epporum instantia, aliquorum audiat causas eorum, quia irritae erunt aliter actae, quam in conspectu eorum omnium ventilatae; et ipse, si fecerit, coerceatur a fratribus. Criminationes maiorum natu per alios non fiant, nisi per ipsos, qui crimina intendunt, si tamen ipsi digni et irreprehensibiles apparuerint. — Necnon et peregrina negotia et iudicia prohibemus, quia indignum est, ut ab externis iudicentur, qui provinciales et a se electos debent

habere iudices. Nos quidem ex omni parte carpendo occasiones abscindimus. *Nos supernae memores disciplinae quibuscunque cadentibus dexteram porrigimus, et a ruinae praecipitio, quos possumus, relevamus, et defensionis adminiculum totis viribus praebere cupimus.* — **Migne** *Patr. Gr.* t. 3. p. 878.

---

52. 53.

Pius I PP. Sedis Apost. auctoritatem praecipuam in omnibus salvam esse, omnesque idem cum Capite tenere ac docere debere pronunciat. A. 156.

52. MON. *Omnibus Ecclesiis.* Gratias agimus, fratres, quoniam crescit fides vestra, et abundat caritas uniuscuiusque omnium vestrum in invicem, ita ut nos ipsi in vobis gloriemur in ecclesiis Dei. — Ceterum nosse vos volumus, quod Pascha Domini die Dominica annuis solemnitatibus sit celebrandum. — Unde et vos *apostolica auctoritate instruimus, omnes eadem servare debere, quia et nos eadem servamus, nec debetis a capite quoquo modo dissidere.* Cavete diligenter omnes, ne quis vos decipiat per aliquam astrologiam vel philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum et traditionem rectam; in Christo enim habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ut sitis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis, *qui et hanc S. Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum caput esse praecepit, ipso dicente principi apostolorum: Tu es Petrus* etc. —

53. *Italicis fratribus.* Scitis, fratres, quia Dei agricultura sumus, ideo eius adiutores esse debemus secundum gratiam, quam ipse dedit nobis. Si autem hoc esse neglexerimus, nulli dubium est, quod damnabimur. — Ad *Sedem Apostolicam perlatum est,* quod sint inter vos contentiones et aemulationes, et praedia divinis usibus tradita quidam humanis applicant usibus, et Domino Deo, cui tradita sunt, ea subtrahunt, ut suis usibus inserviant. Quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia

depellenda est, ne praedia usibus secretorum coelestium dicata a quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quisquam praesumserit, sacrilegus habeatur, et sicut sacrilegus iudicetur. — De cetero, *salva in omnibus Apostolica auctoritate*, quaecunque sunt ad religionis observantiam pertinentia, locis suis et a suae dioeceseos synodis audiantur. Et si quis sacerdotum vel reliquorum clericorum suo episcopo inobediens fuerit, aut insidias ei paraverit, aut contumeliam, aut calumniam, et convinci potuerit, mox curiae tradatur. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 3. p. 907.

54.

Anicetus PP. de iudiciis Epporum apud Sedem Apost. terminandis. A. 165.

MON. *Ecclesiis per Galliam constitutis.* Bonorum operum et spiritualium studiorum Deum auctorem esse, non dubium est, qui bonorum hominum incitat mentes et adiuvat actiones. Quod nobis evidenter apparuit, cum inter longinqua spatia regionum unum corda vestra senserunt consilium, et quae desiderabatis responsa, non unius sed plurimorum epistolae intimarunt. De ordinationibus vero Epporum, super quibus nos consulere voluistis, olim in sancti praedecessoris nostri Anacleti ordinationibus quaedam iam decreta reperimus. Scimus enim beatissimum Jacobum, qui dicebatur Justus, qui etiam secundum carnem frater Domini nuncupatus est, a Petro, Jacobo et Joanne Apostolis Hierosolymorum Eppum esse ordinatum. Si autem non minus quam a tribus apostolis tantus vir fuit ordinatus Eppus, patet profecto eos formam instituente Domino tradidisse, non a minus quam a tribus eppis Eppum ordinari debere. — Si aliquis Metropolitanorum inflatus fuerit, et sine omnium comprovincialium epporum praesentia vel consilio, aut eorum aut alias causas, nisi eas tantum, quae ad propriam suam parochiam pertinent, agere, aut eos gravare voluerit, ab omnibus districte corrigatur, ne talia deinceps praesumere audeat. Si vero incorrigibilis eisque inobediens apparuerit, *ad hanc Apost. Sedem, cui omnia Epporum iudicia terminare praecepta sunt, eius contumacia referatur*, ut vindicta de eo fiat, et ceteri timorem ha-

beant. Si autem propter nimiam longinquitatem aut temporis incommoditatem vel itineris asperitatem, grave ad hanc Sedem eius causam deferre fuerit, tunc ad eius primatem causa deferatur, et penes ipsum *huius S. Sedis auctoritate* iudicetur. Similiter si aliquis Epporum proprium Metropolitanum suspectum habuerit, apud primatem dioeceseos, aut apud hanc apost. Sedem audiatur. — Haec vobis, fratres, ut petistis, custodienda mittimus et custodire praecipimus. **Migne** *Patr. Gr.* t. 3. p. 917.

55.

Soter PP. de sollicitudine omnium Ecclesiarum Sedi Apostolicae commissa. A. 173.

MON. *Ad Eppos Italiae.* Divinis praeceptis et apostolicis monitis informamur, ut pro *omnium Ecclesiarum* statu impigro vigilemus affectu, ac si quid usquam reprehensioni invenitur obnoxium, celeri sollicitudine ab ignorantiae imperitia et praesumtionis usurpatione revocemus. Sacratas Deo foeminas vel monachas sacra vasa vel sacratas pallas penes vos contingere et incensum circa altaria deferre perlatum est ad apost. Sedem: quae omnia reprehensione et vituperatione plena esse nihil recte sapientium dubium est. Quapropter huius S. Sedis auctoritate haec omnia vobis resecare funditus, quanto citius poteritis, censemus, et ne pestis haec latius divulgetur per omnes provincias, abstergi citissime mandamus. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 3. p. 924.

56.

Eleutherius PP. supremum iudicium de causis clericorum ad Sedem Apost. pertinere edicit. A. 177.

MON. *Ad Gallos.* — De accusationibus clericorum, super quibus consulti sumus, quia omnes eorum accusationes difficile est ad *Sedem Apost.* deferre, *finitiva Epporum tantum iudicia huc deferantur, ut huius S. Sedis auctoritate finiantur,* sicut ab apostolis eorumque successoribus multorum consensu Epporum

iam definitum est. Nec in eorum Ecclesiis alii aut praeponantur, aut ordinentur, antequam hic eorum iuste terminentur negotia. **Migne** *Patr. Gr.* t. 3. p. 927.

57—59.

Victor I PP. decreta edit circa Paschatis celebrationem; causas Epporum ad iudicium S. Sedis spectare, et dissidia excitantes a communione eiusdem pellendos esse, decernit. A. 192.

57. MON. *Ad Theophilum Alexandr. Eppum.* Multa mihi gratulatio est, dilectissimi fratres, quod manifesto per gratiam Dei lumine evangelicae claritatis, et ab Ecclesia iam magna ex parte perniciosi erroris nocte depulsa, creditae nobis dispensationis fructus crescit et augmentatur in Domino. Celebritatem S. Paschae die Dominica agi debere et praedecessores nostri iam statuerunt, et nos illud vobis eadem die celebrari solemniter mandamus, quia *non decet, ut membra a capite discrepent, nec contraria gerant.* — Ea vos iudicare ad apostolicam delatum est sedem, *quae praeter nostram vobis definire non licet auctoritatem,* id est *Epporum causas.* Unde ita constitutum liquet a tempore apostolorum, et deinceps placuit, ut accusatus vel iudicatus a comprovincialibus in aliqua causa Eppus *licenter appellet et adeat apostolicae sedis Pontificem,* qui aut per se, aut per vicarios suos eius retractari negotium procuret. Et dum iterato iudicio Pontifex causam suam agit, nullus alius in eius loco ponatur aut ordinetur Eppus; quoniam quamquam a comprovincialibus Eppis accusati causam pontificis scrutari liceat, *non tamen diffiniri inconsulto Romano Pontifice permissum est, cum beato Petro apostolo non ab alio quam ab ipso dictum sit Domino*: Quaecunque ligaveris etc. Et alibi in institutis legitur apostolicis: Si quis putaverit se a proprio metropolitano gravari, apud patriarcham vel primatem dioeceseos, aut penes universalis apostolicae Ecclesiae iudicetur sedem. Nihil aliud est, fratres, talis praesumtio, nisi apostolorum suorumque successorum terminos transgredi, eorumque decreta violare. Culpantur enim, ut scriptum est, fratres, qui aliter circa Eppos iudicare praesumunt,

quam apostolicae sedis Papae fieri placuerit. Et quis est, qui iudicat eum, quem Dominus sibi et huic s. Sedi reservari voluit iudicandum? —

58. *Ad Desiderium Eppum Viennensem.* Sicut sancta fraternitas tua a presbyteris, qui Apostolos in carne viderunt, erudita est, qui et Ecclesiam usque ad tua tempora rexerunt, non decima quarta luna cum Iudaeis, sed decima quinta usque ad vigesimam primam Pascha catholica Ecclesia celebravit. Non enim iam umbram, sed veritatem, quae umbra legis celebratur, quaerit. Hanc doctrinam Petrus et Paulus instituerunt, ut in azymis sinceritatis et veritatis Pascha ageretur. — Collega beatissime, Christi Ecclesiam non in umbra, sed in veritate supra solidam petram fundatam doceamus, ut audiamus cum apostolo Petro: Beatus es Simon etc. Per tuam ergo fraternitatem presbyteris Galliarum literae mittantur, ut observent Pascha non cum Iudaeis negatoribus Christi, sed cum sequacibus apostolorum praedicantibus veritatem Christi. —

59. *Ad Eppos Afros.* Semper in aeterno consilio Dei mansit humani generis incommutabiliter praeordinata reparatio, sed ordo rerum per D. N. I. C. temporaliter gerendarum dispositione Verbi Divini sumsit exordium. Quapropter oportet vos, fratres, unanimes esse, et adminiculum vicissim ferre; in recta ergo fide, et in sacramentis divinis non discrepare, sed concordes esse, quia licet pauci sitis malorum comparatione, si tamen concordes fueritis, facile auxiliante Domino vestros insidiatores superabitis. Si vero discordes, quod absit, fueritis, non superabitis, sed superabimini. *Perlatum est* enim *ad Sedem apostolicam,* aliquos vestrum nocere fratribus velle, et, ut cadant, decertare, similiter in sacramentis discrepare, et ob id contentiones et aemulationes inter vos fieri; a quibus dissensionibus vos avertere, et in his omnibus concordare, et opem ferre vicissim mandamus. Nam si hoc agere cito neglexeritis, et vicissim reconciliari non studueritis, *ab apostolicae Sedis et totius Ecclesiae communione vos pelli non dubitetis.* — Nulli vero liceat doctrinam evangelicam deserere, et sacerdotali honore gaudere. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 3. p. 1230. ss. et *Patr. Lat.* t. 130. p. 123.

SECULUM TERTIUM.

60—63.

Tertullianus, Primatum Petri, et supremam Romanae Sedis auctoritatem clare profitetur. Sec. 3.

INTR. Tertullianus, quidquid statuant nonnulli adversarii, praeclarum praecellentiae Romanae Ecclesiae tribuit testimonium, cumprimis in libro ‚Praescriptionum,' in quo quippe Ecclesiam Romanam vocat, ‚primam ab Apostolis, ex qua omnes;' Romae auctoritatem nobis praesto esse; eam esse felicem Ecclesiam, cui totam doctrinam Apostoli cum sangvine suo profuderunt; huic uni Ecclesiae competere ius docendi omnes gentes, traditiones cognoscendi, confirmandi, et sanciendi.

60. MON. *De Praescriptionibus cap. 22.* — Solent dicere, non omnia Apostolos scisse, eadem agitati dementia, qua rursum convertunt, omnia quidem Apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse, in utroque Christum reprehensioni subiicientes, qui aut minus instructos aut parum simplices Apostolos miserit. Quis igitur integrae mentis credere potest, aliquid eos ignorasse, quos magistros Dominus dedit, individuos habens in comitatu, in discipulatu, in convictu, quibus obscura quaeque seorsim disserebat, illis dicens datum esse cognoscere arcana, quae populo intelligere non liceret? *Latuit aliquid Petrum, aedificandae Ecclesiae petram dictum, claves regni coelorum consecutum, et solvendi et alligandi in coelis et in terris potestatem?*

61. *Ibid. cap. 23.* Proponunt ad sugillandam ignorantiam aliquam Apostolorum, quod Petrus et qui cum eo, reprehensi sint a Paulo. — Possumus et hic Acta Apostolorum repudiantibus dicere: prius est, uti ostendatis, quis iste Paulus, et quid

ante Apostolum, et quomodo Apostolus. Neque enim si ipse se apostolum de persecutore profitetur, sufficit unicuique examinate credenti, quando nec Dominus ipse de se testimonium dixerit. Sed credant sine Scripturis, ut credant adversus Scripturas; tamen doceant, ex eo quod allegant Petrum a Paulo reprehensum, aliam evangelii formam a Paulo superductam, citra eam quam praemiserat Petrus et ceteri. Quin demutatus in praedicatorem de persecutore, — ascendit Hierosolymam, *cognoscendi Petri causa,* ex officio et iure scilicet eiusdem fidei et praedicationis. —

62. *Ibid. cap. 36.* Age iam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae Apostolorum suis locis praesident. — Si Italiae adiaces, habes *Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est.* Ista quam felix Ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicae adaequatur.

63. *Lib. adv. Gnost. Scorp. c. 10.* — Nam et si adhuc clausum putas coelum, memento claves eius hic Dominum Petro, et per eum Ecclesiae reliquisse. — **Migne** *Patr. Lat. t. 1. et 2.*

---

64. 65.

Irenaeus classicis verbis evolvit: Ecclesiam Romanam esse ceterarum Ecclesiarum caput, cui omnes arctissime adhaerere teneantur. Sec. 3.

INTR. Non obstante multiplici adversariorum Primatus nisu, enervandi argumentum ex verbis Irenaei pro Primatu petitum, stat hoc argumentum inconcussum. Irenaeus enim unitatem Ecclesiae comprobaturus, dum unius Romanae Ecclesiae sententiam in emergentibus quibuslibet controversiis quaerendam ac tenendam monstrat, isthoc Ecclesiae Romanae privilegium, quod quippe ipsa inter ceteras omnes primum honoris auctoritatisve gradum obtineat, tam clare et aperte evincit, ut

in meridiana luce coecutiat, quisquis id negare ausit. Unius Ecclesiae Romanae traditionem per continuam Epporum successionem in ea conservatam consulere satis habuit, ut haereticos omnes confunderet, ratus merito, ea semel cognita, quum ipsa princeps sit omnium, caput, maxima, antiquissima, omnibus cognita ab Apostolorum principe Petro eiusque socio Paulo fundata, et cum qua omnes fideles conspirent, illico aliarum omnium Ecclesiarum traditionem, sententiam, atque doctrinam cognosci.

64. MON. *Lib. III. adv. haer. c. 3.* Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre : et habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent apostoli, quae seorsim et latenter a reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes : quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas. Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, *maximae et antiquissimae, et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae eam, quam habet ab apostolis, traditionem et annunciatam hominibus fidem, per successiones Epporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per coecitatem et malam sententiam, praeterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab apostolis traditio.* Fundantes igitur et instruentes beati apostoli Ecclesiam, *Lino* episcopatum administrandae Ecclesiae tradiderunt. — Succedit autem ei *Anacletus* : post eum tertio loco ab apostolis eppatum sortitur *Clemens.* — Sub hoc igitur Clemente, dissensione non modica inter eos, qui *Corinthi* essent fratres facta, *scripsit quae est Romae Ecclesia potentissimas literas Corinthiis*, ad pacem eos

congregans, et reparans fidem eorum, et annuncians quam in recenti ab apostolis acceperat traditionem. — Huic autem Clementi succedit *Evaristus*, et Evaristo *Alexander* etc. — nunc duodecimo loco eppatum ab apostolis habet *Eleutherius*. Hac ordinatione et successione ea, quae est ab apostolis in Ecclesia traditio et veritatis praeconatio, pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam et eandem vivificatricem fidem esse, quae in Ecclesia ab apostolis usque nunc sic conservata, et tradita in veritate.

65. *Ex epistola Irenaei ad Victorem PP.* — Neque de die solum controversia est, sed etiam de forma ipsa ieiunii. — Nihilominus tamen et omnes isti (Occidentales ac Orientales) pacem inter se retinuerunt, et nos invicem retinemus. Ita ieiuniorum diversitas consensionem fidei commendat. — Sed et presbyteri illi, qui ante Soterem Ecclesiam, cui tu nunc praees, gubernarunt, Anicetum dico, et Pium, et Hyginum cum Telesphoro et Sixto, neque ipsi unqam observarunt (Orientalium morem), neque his, qui cum ipsis erant, ut observarent, permiserunt. Ipsi tamen cum hoc minime observarent, pacem nihilominus colebant cum iis, qui ad se venissent ex ecclesiis, in quibus id observabatur. Atqui observantia inter eos, qui minime observabant, tanto magis contraria videbatur. Nec illi unquam ob eiusmodi consvetudinem reiecti sunt. Verum illi ipsi, qui te praecesserunt, presbyteri, quamvis id minime observarent, ecclesiarum presbyteris, qui id observabant, eucharistiam transmiserunt. Et cum beatissimus Polycarpus Aniceti temporibus Romam venisset, atque inter illos de quibusdam aliis rebus modica esset controversia, statim mutuo pacis osculo se complexi sunt, de hoc capite non magnopere inter se se contendentes. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 5. p. 762. s. 1109. s.

66—67.

Zephyrinus PP. de appellationibus ad Sedem Apost. et de iudiciis Epporum eiusdem Sedis auctoritate fulciendis. A. 201.

66. MON. *Eppis Siciliae.* Divinae circa nos gratiae memores esse debemus, quae nos per dignationis suae misericor-

diam ob hoc ad fastigium sacerdotale provexit, ut mandatis ipsius inhaerentes, et in quadam sacerdotum eius speculatione constituti, prohibeamus illicita et sequenda doceamus. Sicut stellas coeli non extingvit nox, sic mentes fidelium, firmamento inhaerentes s. Scripturae, non obscurat humana iniquitas. Idcirco meditari vos oportet, et Scripturas et praecepta divina, quae in Scripturis continentur, diligenter attendere, ne transgressores legis Dei sed impletores appareatis. Patriarchae vero vel primates accusatum discutientes Eppum, *non ante sententiam proferant finitivam, quam apostolica fulti auctoritate,* aut reum seipsum confiteatur, aut per innocentes et regulariter examinatos convincatur testes, qui minori non sint numero, quam illi discipuli fuerunt, quos Dominus ad adiumentum apostolorum eligi praecepit, idest, septuaginta duo. Detractores quoque, qui divina auctoritate eradicandi sunt, et auctores inimicorum ab episcopali submovemus accusatione vel testimonio. — *Finis vero causae ad Sedem apost. deferatur, ut ibidem terminetur. Nec antea finiatur,* sicut ab apostolis vel successoribus eorum olim statutum est, *quam eius auctoritate fulciatur. Ad eam quoque ab omnibus, maxime tamen ab oppressis, appellandum est, et concurrendum quasi ad matrem,* ut eius uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, et a suis oppressionibus releventur, quia non potest nec debet mater oblivisci filium suum. *Judicia* enim *Epporum, maioresque Ecclesiae causae a Sede apostolica, et non ab alia,* sicut apostoli et sancti successores eorum statuerunt, cum aliis Eppis *sunt terminandae:* quia licet in alios transferantur Eppos, beato tamen apostolo Petro dictum est: Quaecunque ligaveris etc.

67. *Eppis Aegypti.* Tantam a Domino huius s. sedis et apostolicae Ecclesiae fundatore, et beato Petro principe apostolorum accepimus fiduciam, ut pro universali Christi sangvine redemta Ecclesia inpigro laboremus affectu, et omnibus Domino famulantibus succurramus, et cunctis pie viventibus apostolica auctoritate opem feramus. Omnes, qui in Christo volunt pie vivere, necesse est, ut ab impiis et dissimilibus patiantur opprobria, et despiciantur tamquam stulti et insani, ut meliores et purgatiores efficiantur, qui bona temporalia perdunt, ut percipiant aeterna. Eorum vero despectio et irrisio in ipsos retorquebitur, qui eos affligunt et contumeliis afficiunt, cum et abundantia eorum in egestatem, et superbia transierit in confusionem. Nuntiatum est

enim Sedi apostolicae per apocrisiarios vestros, quosdam fratrum nostrorum, Epporum videlicet, ab Ecclesiis et sedibus propriis pelli, suaque eis auferri supellectilia, et sic nudos et exspoliatos ad iudicia vocari: quod omni ratione caret, cum constituta apostolorum, eorumque successorum, et praecepta imperatorum ac constitutiones legum idipsum prohibeant, et apostolicae Sedis auctoritas idipsum fieri vetet. — Ordinationes vero presbyterorum et levitarum tempore congruo, et multis coram adstantibus solemniter agite, et probabiles et doctos viros ad hoc opus provehite, ut de eorum societate et adiumento plurimum gaudeatis. **Migne** *Patr. Gr.* t. 7. p. 11.

68—69.

Callistus I PP. in responsis ad consulta Epporum, Ecclesiam Romanam qua matrem et caput omnium praedicat, mutationesve Praesulum eius auctoritate fieri debere enunciat. A. 219.

68. MON. *Ad Benedictum Eppum.* Fraternitatis amore constringimur, et apostolico moderamine cogimur, ut *consultis fratrum*, prout Dominus dederit, *respondeamus , eosque apostolicae Sedis auctoritate instruamus.* Iciunium, quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, convenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus, ut sicut annus per quatuor volvitur tempora, sic et nos quaternum solemne agamus ieiunium per anni quatuor tempora. — In hoc ergo omnes nos unanimes oportet esse, ut secundum apostolicam doctrinam idipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata; — non decet enim a capite membra dissidere, sed iuxta S. Scripturae testimonium omnia membra caput sequantur. *Nulli vero dubium est, quod apostolica Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum,* a cuius vos regulis nullatenus convenit deviare. Et sicut Dei Filius venit facere voluntatem Patris, sic et vos voluntatem vestrae impleatis matris, quae est Ecclèsia, cuius *caput*, ut praedictum est,

Romana existit Ecclesia. Quidquid ergo sine discretione iustitiae contra huius disciplinam actum fuerit, ratum haberi nulla ratio permittit. — Criminationes vero contra doctorem nemo suscipiat, quia non oportet filios reprehendere patres, nec servos dominos lacerare. — Nulli imperatori vel cuipiam pietatem custodienti licet aliquid contra mandata divina praesumere. Iniustum ergo iudicium et diffinitio iniusta regio metu aut iussu, aut cuiuscunque episcopi aut potentis, a iudicibus ordinata vel acta non valeat. — *Memor sum, me sub illius nomine Ecclesiae praesidere, cuius a Domino nostro Iesu Christo est glorificata confessio, et cuius fides omnes semper destruit errores. Et intelligo aliter mihi non licere, quam ut omnes conatus meos ei causae, in qua universalis Ecclesiae salus infestatur, impendam.* —

69. *Eppis Galliarum.* Plurimorum relatu comperimus, dilectionem vestram fervore Spiritus S. ita Ecclesiae gubernacula firmiter contra impetus tenere et regere, ut naufragia aut naufragiorum detrimenta Deo auctore non sentiat. Talibus igitur gloriantes iudiciis rogamus, ne in illis partibus contra statuta apostolica quidquam fieri sinatis, sed *nostra fulti auctoritate* nociva compescite, illicita prohibete. — Si *Eppus* utilitatis causa fuerit *mutandus*, non per se hoc agat, sed fratribus invitantibus, et *auctoritate huius S. Sedis faciat,* non ambitus causa, sed utilitatis. — Consultis vestris breviter respondimus, quia oppressos nimis, et occupatos aliis iudiciis literae nos invenere vestrae. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 7. p. 89.

70.

Urbanus I PP. tamquam Pastor universalis Ecclesiae per epistolam decretalem de rebus Ecclesiae temporalibus, de Eppalibus cathedris etc. instructionem congruam largitur. A. 224.

MON. *Omnibus Christianis.* Decet omnes Christianos, carissimi, ut eum imitentur, cuius nomen sortiti sunt. — Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter bonos

christianos viguit, et adhuc gratia Dei viget, et maxime inter eos, qui in sortem Domini sunt electi, idest, clericos. — Videntes ergo sacerdotes summi et alii atque levitae, et reliqui fideles, plus utilitatis posse afferre, si haereditates et agros, quos vendebant, Ecclesiis, quibus praesidebant Eppi, traderent eo, quod ex sumtibus eorum tam praesentibus quam futuris temporibus plurima et elegantiora possent ministrare fidelibus communem fidem ducentibus, quam ex pretio eorum, coeperunt praedia et agros, quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere, et ex sumtibus eorum vivere. Ipsae vero res in ditione singularum parochiarum Epporum, qui locum tenent apostolorum, erant, et sunt usque adhuc, et futuris semper debent esse temporibus. E quibus Eppi et fideles dispensatores eorum omnibus communem vitam degere volentibus ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, ut nemo in eis egens inveniatur. Ipsae enim res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in aliis usibus, quam ecclesiasticis, et praedictorum christianorum fratrum vel indigentium converti, quia vota sunt fidelium, et pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atque ad praedictum opus explendum Domino traditae. Si quis autem, quod absit, secus egerit, videat, ne damnationem Ananiae et Saphirae percipiat, et reus sacrilegii efficiatur, sicut illi effecti sunt, qui pretia praedictarum rerum fraudaverunt. — Quod si quis fecerit, post debitae ultionis acrimoniam, quae erga sacrilegos iure promenda est, perpetua damnetur infamia, et carceri tradatur, aut exilio perpetuae deportationis utatur. Quoniam iuxta apostolum tradere oportet huiusmodi hominem satanae, ut spiritus salvus sit in die Domini. Memoratis ergo augmentationibus ac cultibus in tantum Ecclesiae, quibus Eppi praesident, Domino adminiculante creverunt, et tantis maxima pars earum abundant rebus, ut nullus sit in eis, communem eligens vitam, indigens, sed omnia necessaria ab Eppo suisque ministris percipit. Ideo si aliquis extiterit modernis aut futuris temporibus, qui haec avellere nitatur, iam dicta damnatione feriatur. Quod autem sedes in Epporum ecclesiis excelsae constitutae et praeparatae inveniuntur ut thronus, speculationem et potestatem iudicandi et solvendi atque ligandi a Domino sibi datam materiam docent. — Ideo ista praetulimus, carissimi, ut intelligatis potestatem Epporum vestrorum, in eisque Deum veneremini, et eos

ut animas vestras diligatis, et quibus illi non communicant, non communicetis, et quos eiecerint, non recipiatis. Valde enim timenda est sententia Eppi, licet iniuste liget aliquem, quod tamen summopere praevidere debet. Vos autem hortantes monemus omnes, qui christianitatem suscepistis, et a Christo vocabulum christiani sumsistis, ne in aliquo christianitatem vestram irritam faciatis, sed sponsionem, quam Domino in baptismo fecistis, firmiter teneatis etc. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 7. p. 103.

71.

Pontianus PP. aeque decretali epistola fraternam commendat dilectionem, et de causis ad litem deductis suam pronunciat sententiam. A. 231.

MON. *Omnibus Eppis et fidelibus.* Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Haec verba, carissimi, non hominum sunt, sed angelorum, et non humano sensu excogitata, sed ab angelis in ortu Salvatoris annunciata. Quibus indubitanter ab omnibus intelligi potest, quod non malae voluntatis hominibus sed bonae pax sit a Domino data. — De bonis vero ipsa per se Veritas ait: ‚Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.‘ Mundi enim non sunt corde, qui mala cogitant, aut nociva adversus fratres suos, quia nihil mali vult, qui fidelis est. — Haec, fratres, valde sunt timenda et ab omnibus cavenda, quoniam super quem iudicium Dei ceciderit, non exiet impunitus. Et ideo unusquisque praevideat, ne hoc machinetur aut agat in fratrem, quod ipse pati noluerit. Et nec in suspicionem veniat homo fidelis, ut dicat aut faciat ea, quae pati non vult. Unde suspectos, aut inimicos, aut facile litigantes, et eos, qui non sunt bonae conversationis, aut quorum vita est accusabilis, et qui rectam non tenent et docent fidem, accusatores esse et testes et antecessores nostri apostolica repulerunt auctoritate, et nos submovemus, atque futuris temporibus excludimus, ne libenter labi possint, quos nos tenere et salvare debemus. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 7. p. 124.

Anterus PP. de translationibus Epporum. A. 235.

MON. *Eppis per Boeticam et Toletanam provincias.* De *mutatione* Epporum, unde *s. Sedem apostolicam consulere* voluistis, scitote: eam communi utilitate atque necessitate fieri licere, sed non libitu cuiusquam aut dominatione. *Petrus* s. magister noster et princeps apostolorum, de Antiochia utilitatis causa translatus est Romam, ut ibidem potius proficere posset. — Sicut Eppi habent potestatem ordinare regulariter eppos et reliquos sacerdotes, sic quoties utilitas aut necessitas coëgerit, supradicto modo et mutare et inthronisare potestatem habent. Haec, ut petiistis, licet vobis incognita non sint, tenenda mandamus, ne ignorantia quorumdam meliora et utiliora vitentur, et inutiliora sumantur. **Migne** *Patr. Gr.* t. 7. p. 130.

73—75.

Fabianus PP. Ecclesiae Romanae morem quoad ritus tamquam cynosuram sequendum esse, et apellationem a iudiciis ad S. Sedem faciendam, decernit. A. 236.

73. MON. *Omnibus Cath. Ecclesiae comministris.* Divinis praeceptis et apostolicis monemur institutis, ut pro cunctarum Ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu. Unde consequens est, *debere vos scire, quae apud Romanam in sacro aguntur ritu Ecclesiam, ut eius sequentes exempla eius veri filii inveniamini, quae vestra est mater vocata.* Septem diaconos in urbe Roma per septem regiones civitatis, sicut a patribus accepimus, habemus, qui per singulas hebdomadas et dominicos dies atque festivitatum solemnia — iniuncta sibi observant ministeria. Insuper et illud vos scire desideramus, quia nostris temporibus praepedientibus quidem nostris peccatis, svadente antiquo hoste, — supervenit Novatus ex Africa, et separavit de Ecclesia Christi Novatianum et quosdam alios Christi confessores, et

convertit in pravam doctrinam. A quibus vos, fratres, avertite, et cavete ab omnibus, qui alteram fidem et doctrinam tenent, quam apostoli et successores eorum tenuerunt et docuerunt, ne, quod absit, post eum abeuntes in laqueum satanae cadatis, et compedibus eius detineamini. — Hi, et omnes, qui rectam non docent doctrinam, vel rectam non tenent fidem, accusatores neminem recte credentium accusare possunt, quia infamia sunt notati, et a sinu sanctae matris Ecclesiae apostolico mucrone usque ad rectam conversationem et reversionem eorum abscissi. Unde apostolica auctoritate — sancimus, ut omnes, qui in catholica fide suspecti sunt, in accusatione recte credentium non suscipiantur, quia suspiciones semper sunt amovendae. Merito ergo eorum reprobatur accusatio, qui in recta fide suspecti sunt.

74. *Eppis Orientalibus.* Exigit dilectio vestra Sedis Apostolicae consulta, quae vobis denegare non possumus nec debemus. Hoc autem et praedecessores nostros multarum regionum Eppis egisse liquet; et nos, qui in eadem sede Domino largiente collocati sumus, agere debere fraterna caritas et obedientiae debitum compellit. Cura est ergo vestrae sollicitudini adhibenda, ut ea, quae sunt ab apostolis eorumque successoribus ordinata, et instigante S. Spiritu instituta, nec dissimulatio negligere, nec aliqua praesumtio valeat perturbare. Sed sicut hoc, quod rationis exigebat utilitas, oportuit diffinire, ita quod diffinitum est, non debet violari. Literis vestris vero inter cetera insertum invenimus, quosdam regionis vestrae Eppos a vestro nostroque ordine discrepare, et non per singulos annos in Coena Domini chrisma conficere, sed duos aut tres annos confectionem s. chrismatis semel actam conservare. Dicunt enim, ut in memoratis apicibus reperimus, nec balsamum per singulos annos posse reperiri, nec necesse fore per singulos annos chrisma conficere, sed dum una confectio chrismatis abundat, aliam fieri necesse non habere. Errant, qui talia excogitant, et mente vesana potius quam recta sentientes haec dicunt. In illa enim die Dominus Jesus postquam coenavit cum discipulis suis, et lavit eorum pedes, sicut a s. apostolis praedecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, chrisma conficere docuit. Ipsa enim lavatio pedum nostrum significat baptismum, quando sancti chrismatis unctione perficitur atque confirmatur. Nam sicut ipsius diei solemnitatis per singulos annos est celebranda, ita ipsius sancti chrismatis

confectio per singulos annos est agenda, et de anno in annum renovanda, et fidelibus tradenda. — Ista a S. Apostolis et successoribus eorum accepimus, vobisque tenenda mandamus. Haec S. Romana Ecclesia, et Antiochena a tempore apostolorum custodit, haec Hierosolymorum et Ephesinorum tenet. — Si quis ergo his obviare tentaverit, omnem sibi per vos et per omnes recte intelligentes indulgentiae aditum intelligat obseratum, quia pravissimarum mentium perversa doctrina dum indulgentius frenis utitur, in praevaricationem praesumtionis delabitur. — Nec silere possumus, ut cum hic ab illicitis revocemus aliquos, officii nostri provocamur instinctu, in speculis a Domino constituti, ut vigilantiae nostrae diligentiam comprobantes et quae coercenda sunt resecemus, et quae observanda sunt censeamus. —

75. *Hilario Eppo.* Divinae circa nos gratiae memores esse debemus, qui nos per dignationis suae misericordiam ob hoc ad fastigium sacerdotale provexit, ut mandatis ipsius inhaerentes et in quadam sacerdotum eius specula constituti prohibeamus illicita et sequenda doceamus. In tantum enim in occiduis partibus, in quibus moraris, audivimus astutiam diaboli saevire in populum christianum, atque multiplici decceptione prorumpere, ut non solum laicos seculares, sed ipsos quoque Domini sacerdotes premat atque vexet. Unde in grandi moerore positi dissimulare non possumus, quod corrigere atrociter debemus. Quapropter competens adhibenda est talibus medela vulneribus, ne immatura curandi facilitas mortifera captis peste nihil prosit, sed segnius tracta pernicies reatu non legitimae curationis involvat pariter sauciatos et medentes. — 2. Peregrina iudicia, *salva in omnibus Apostolica auctoritate,* generali sanctione prohibemus, quia indignum est, ab externis ut iudicetur, qui provinciales et a se electos debet habere iudices, nisi fuerit appellatum. — 5. Placuit, ut *si Eppus accusatus appellaverit ad Apost. Sedem, id statuendum, quod eiusdem Sedis Pontifex censuerit.* — Est locus apud Deum, videlicet S. Ecclesiae unitas, in qua supra petram statur, dum confessionis soliditas humiliter tenetur. Te, frater, et omnes fratres nostros, Ecclesiam Christi sangvine redemtam regentes, monemus, ut omnes a praecipitio, in quo fratres Domini pastoribus detrahendo et persequendo verbis et factis labuntur, laqueis quibus potestis, retentetis, et lacerari eos in hamo *irae non* permittatis. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 7. p. 145.

Lucii PP. decretalis ad Hispaniae et Galliae Eppos, in qua de Ecclesia Romana enunciat: eam nec hactenus errasse, nec unquam a fide recedere posse. A. 253.

MON. Literas dilectionis vestrae, quas ad beati Petri Apostoli Sedem pro vestri causa negotii misistis, libenter suscepimus, sed de vestris afflictionibus non modice contristati sumus. Significastis enim vos tam a quibusdam non rectam fidem tenentibus, sed erroribus implicitis, quam et ab aliis eos imitantibus persequi et infamari, atque vestras ecclesias suis dotibus et fidelium oblationibus spoliari, vestrosque ministros nimis vexari, et ideo multos a vobis et a recta fide discedere, quoniam eis non potestis defensionem impendere, nec ea quae necessaria sunt ministrare. (*Post plura de vita Praesulum qualiter instituenda, et de criminationibus atque accusationibus quomodo recipiendis et iudicandis monita, sic prosequitur:*) — Res ecclesiarum vestrarum et oblationem fidelium, quas significastis a quibusdam irruentibus vexari, vobisque et ecclesiis vestris auferri, indubitanter maximum est peccatum. — Haec fieri Prophetae, haec Apostoli, haec successores eorum et omnium catholicorum patrum vetant decreta, et tales praesumtiones sacrilegium esse diiudicant. Quorum nos sequentes exempla omnes tales praesumtores et ecclesiae raptores atque suarum facultatum alienatores una vobiscum a liminibus sanctae matris Ecclesiae anathematisatos apostolica auctoritate pellimus, et damnamus, atque sacrilegos esse iudicamus. — A recta ergo fide et apostolico tramite propter ullam persecutionem nolite recedere. — Haec est Apostolorum viva traditio. — *Haec sancta et apostolica mater omnium ecclesiarum Christi Ecclesia, quae per Dei Omnipotentis gratiam a tramite apostolicae traditionis numquam errasse probatur, nec haereticis novitatibus depravata succubuit: sed ut in exordio normam fidei apostolicae percepit ab auctoribus suis, Apostolorum Christi principibus, illibata finetenus manet secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem,* qui discipulorum suorum principi in suis fatus est Evangeliis: ‚Petre, inquiens, ecce satanas expetivit ut cribraret vos sicut qui cribrat triticum: ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.‘ Con-

sideret itaque vestra excellens prudentia, quam bonum sit persistere in dispensatione vobis credita et in fide recta, atque haereticis et aemulis Christi repugnare, et numquam a veritatis tramite declinare: quoniam Dominus et Salvator omnium, cuius fides est, qui pro nobis mori non dubitavit, et proprio nos suo redemit sangvine, fidem beati Petri non defecturam promisit, et confirmare eum fratres suos admonuit, quod apostolicos Pontifices, meae exiguitatis praedecessores, confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 3. p. 976.

77—78.

Stephani I PP. epistolae decretales, de disciplina ecclesiastica, summam S. Sedis auctoritatem multis sententiis exprimentes. A. 255.

77. MON. *Ad Hilarium Eppum.* Quamquam sperem, dilectionem tuam ad omne opus bonum esse devotam, tamen pro familiaritate, qua nobis coniunctus esse cognosceris, ut tua efficacior fiat industria, congruum nobis visum est, has fraternitatis literas tuae dilectioni debere dirigere. — *Quod vero consuluisti Sedem Apostolicam*, qui sunt infames, aut qui ad gradus ecclesiasticos non sunt admittendi, et nosse te credimus, *et pro auctoritate Sedis Apostolicae te informare non denegamus. -- (Post uberius exposita responsa ad Hilarii quaestiones, sic concludit :)* Haec illis partibus, in quibus moraris, et in omnibus quibus potueris, cunctis nota facito, et *observare apostolica mandato auctoritate, quia et nostri nobisque commissi in sancta apostolica et universali Ecclesia* omnes haec observare nunc et futuris temporibus professi sunt. —

78. *Ad omnes Eppos.* Plurimum gaudemus in Domino, et in dono gratiae ipsius gloriamur, quod fides vestra per bona opera crescit magnifice, et dilatatur amplissime; sed nimis affligimur et tribulamur de vestra oppressione, super qua crebrior commeantium usque ad nos fratrum sermo perlatus est. Non oportuerat quidem ab illis, a quibus sustentari et portari atque

honorari debueratis, tantis vos oppressionibus concuti. Quapropter necessarium est, ut remotis talium tergiversationibus, quibus venenosa malitia revelari, atque obscurari bonitas et veritas solet, adminiculum non modicum vobis a fidelibus impendatur, atque ab hac apost. Sede suffragetur, quos per divinam gratiam Christi auxilio dignum est adiuvari, ne in totius Ecclesiae perturbationem imprudens procedat intentio, et ea, quae a sanctis praedecessoribus nostris et reliquis S. Patribus dudum fuerant prohibita, denuo reviviscant. *Loci namque nostri consideratione compellimur, ea, quae ad notitiam nostram emendanda pervenerunt, propter Dominum non derelinquere, sed digna emendatione corrigere.* — 6. — In ipsis urbibus post Christi adventum Apostoli et successores eorum patriarchas vel primates posuerunt, ad quos Epporum negotia, *salva in omnibus apostolica auctoritate,* et maiores causae, *post Apostolicam Sedem*, sunt referendae. — 8. Ultra provinciae vero terminos accusandi licentia non progrediatur, sed omnis accusatio inter provinciam audiatur, et a comprovincialibus terminetur, *nisi ad Apostolicam Sedem fuerit tantum appellatum.* — 12. — *Armamini his apostolicis adminiculis* contra eos, (accusatores et invasores) et spiritu principali roborate corda vestra. — Flagitate etiam, ut Deus et Dominus noster, qui est refugium pauperum, et spes humilium, sanctam suam ecclesiam, pretioso videlicet sangvine suo redemtam, et *nos, qui eandem s. ecclesiam docere, regere, portare et tueri debemus,* de praedictis oppressionibus et tentationibus huius seculi nequam, atque de omnibus necessitatibus nostris misericorditer eruat. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 3. p. 997.

79—90.

Cyprianus, non obstante suo cum Stephano Papa disssidio, luculentissima reliquit in suis epistolis et operibus pro Primatu Romani Pontificis testimonia. A. 252. ss.

INTR. Praeter ea, quae in Notis ad enunciationes S. Cypriani Eppi ac Martyris pro Primatu Romanae Sedis proponi-

mus, observandum censemus: frustraneos esse omnes adversariorum conatus, insignia S. Patris huius pro Primatu argumenta exinde enervandi, quod in quaestione de baptismo haereticorum cum S. Stephano Papa conflixerit. Quidquid enim de hoc dissidio statuatur, id certum est: Cypriani sententiam non ex uno alterove sermonum eius verbo, sed ex continuo doctrinae tenore; non ex improvisis effatis in commercio literarum, movente subito rerum tumultu, excitatis, sed ex rata serioque tractata sententia; non ex opinione carptim defensa et deinceps mutata, sed ex firmo, peremtorio ac definito iudicio esse eruendam, ut bene animadvertunt Editores Parisini; quisquis autem (prosequuntur iidem Editores) attentis his principiis Cyprianica opera evolverit, nedum Sanctum Pontificem Sedis Romanae refragatorem habeat, eum potius in primis Romanorum privilegiorum assertoribus, ac pene dicam Romanorum Theologorum antesignanum deprehendet. Haec enim sunt dogmata, quae passim in S. Doctoris scriptis ut luminaria emicant: Ecclesiam extra quam nemo vivere possit, esse unam; unam hanc Ecclesiam esse catholicam seu per totum orbem diffusam; unam hanc et catholicam Ecclesiam insuper esse Romanam in Petro fundatam, nec a S. Sede Romana distinctam, nec a Summo Pontifice diversam; unam hanc catholicam et Romanam Ecclesiam esse fidei regulam certissimam, nec erroris ullius labe intaminatam, nec intaminandam. Firmiliani quidem epistola ad Cyprianum contra Stephanum Papam vehemens est atque acerba: sed vehementiam excusant alii ex circumstantiis dissidii, quod de causa religionis ac fidei subversari videbatur, et ipsae duriores Firmiliani expressiones non praerogativam Primatus, sed vehementiam ac acerbitatem literarum Stephani Papae impetant. Observamus adhuc de Stephano Papa, eius literas, quas ad Eppos Africanos ac Orientales in hac causa exaravit, intercidisse, solaque superesse fragmenta in ipsis Cypriani ac Firmiliani epistolis, e quibus Stephani mens ac doctrina de controversa hac quaestione clare intelligi potest. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 3. et 4.

79. MON. *Ad Cornelium PP. de 5 presbyteris et pseudo-episcopo Fortunato.* Legi literas tuas, frater carissime, quas per Satyrum fratrem nostrum acolythum misisti, et dilectionis fraternae, et ecclesiasticae disciplinae, et sacerdotalis censurae

satis plenas, quibus significasti, Felicissimum hostem Christi non novum, sed iam pridem ob crimina sua plurima et gravissima abstentum, et non tantum mea, sed et plurimorum coepiscoporum sententia condemnatum, reiectum a te illic esse; et cum venisset stipatus caterva et factione desperatorum, vigore pleno, quo episcopos agere oportet, pulsum de Ecclesia esse. — Sed enim lecta alia epistola tua, frater, quam primis literis subiunxisti satis miratus sum, cum animadvertissem, te minis ac terroribus eorum, qui venerant, aliquantum esse commotum: cum te, secundum quod scripsisti, adgressi essent, cum summa desperatione comminantes, quod si literas, quas attulerant, non accepisses, publice eas recitarent, et multa turpia ac probrosa et ore suo digna proferrent. Quodsi ita res est, frater carissime, ut nequissimorum timeatur audacia, et quod mali iure atque aequitate non possunt, temeritate ac desperatione perficiant, actum est de Episcopatus vigore et de Ecclesiae gubernandae sublimi ac divina potestate: nec christiani ultra aut durare aut esse iam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas atque insidias pertimescamus. — Manere apud nos debet fidei robur immobile, et stabilis atque inconcussa virtus contra omnes incursus atque impetus oblatrantium fluctuum, velut petrae obiacentis fortitudine et mole, debet obsistere. — *Neque aliunde haereses abortae sunt aut nata sunt schismata, quam dum Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus iudex vice Christi cogitatur.**)* Cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversum sacerdotum collegium quidquam moveret, nemo post divinum

---

*) Ad haec verba notat Pamelius: ‚Similes locos habes Epistolis ad Rogatianum Eppum, et Flor. Pupianum, libris item de Unitate Ecclesiae, ac de zelo et livore. Etsi autem aliis illis locis de se et episcopis omnibus loqui videatur, quod nempe omnes haereses initium suum habuerint ex contemtu epporum, idest, ex ipso schismate: certe tum hoc loco, tum praesertim initio libri ‚de unitate Ecclesiae‘ de Romano Eppo solo loquitur. — Circumstantiae textus hoc loco, quae arguunt de Romano loqui Pontifice, sunt inprimis testimonia praemissa ex Deut. lib. I Reg. Evang. Joannis et Actis Apost. quae nonnisi in summos pontifices Judaeorum quadrare nemini dubium est; — deinde quod loquatur de iudice, qui vice Christi fungitur; item quod loquatur de uno sacerdote seu uno Eppo in Ecclesia: quam appellationem tum ex aliis eius epistolis, tum ex lib. de Unit. Eccl. Cyprianum satis constat non solere usurpare, nisi de Summo Pontifice.‘ —

iudicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum iudicem se non iam episcopi sed Dei faceret, *nemo discidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet.* — Nec quemquam fidelem et Evangelii memorem — movere debet, si quidam in extremis temporibus superbi et contumaces et sacerdotum Dei hostes aut de Ecclesia recedunt, aut contra Ecclesiam faciunt, quando tales nunc futuros et Dominus et Apostoli eius ante praedixerunt. Nec praepositum servum deseri a quibusdam miretur aliquis, quando ipsum Dominum — discipuli sui reliquerint. Et tamen ille non increpuit recedentes aut graviter comminatus est, sed magis conversus ad Apostolos suos dixit: ‚Numquid et vos vultis ire?' — *Petrus tamen, super quem aedificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia* *), *unus pro omnibus loquens, et Ecclesiae voce respondens ait:* ‚Domine, ad quem ibimus?' — — Quibus (schismaticis) satis non fuit ab Evangelio recessisse, — foris sibi extra Ecclesiam et contra Ecclesiam constituisse conventiculum perditae factionis, quo male sibi consciorum et Deum rogare ac satisfacere nolentium caterva conflueret: post ista adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab haereticis constituto, navigare audent, *et ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est* **), a schismaticis et profanis literas ferre, *nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.* ***) —

80. *Ad Stephanum PP. de Marciano Arelatensi.* Faustinus

---

*) Nota Pamelii: ‚Iisdem pene verbis utitur Epist. ad Flor. Pupianum, Iubaianum, Quintum, et lib. de habitu virginum, de unit. Ecclesiae, ac de bono pudic. haud dubie explicans locum illum Matth. XVI: Et ego dico tibi etc. Neque vero est nova haec huius loci expositio, sed quam habet etiam ipso antiquior Tertullianus et alii.'

**) Pamelius notat: ‚Eodem modo Epist. ad Antonianum, locum Fabiani, locum Petri et cathedram eius nuncupat; iudicio igitur Cypriani Romanus Pontifex Petri in cathedra sacerdotali atque adeo in potestate eccl. successor est, item Ecclesia Romana principalis est, et, uti epist. 45 dixit, matrix omnium Ecclesiarum, utpote ad quam referri, et a qua definiri soleant causae fidei graviores. Testantur utrumque etiam sanctissimi pontifices, martyres, doctores, qui fere omnes suam sententiam confirmant dicto illo ad Petrum: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.' —

***) Pamelius: ‚Elegans locus in eius rei confirmationem, quod Ecclesia sive Cathedra Romana in fide errare non possit. Affert autem in confirmationem laudem fidei illorum ex Paulo.'

collega noster Lugduni consistens semel atque iterum mihi scripsit, significans ea, quae etiam vobis scio utique nunciata tam ab eo quam a ceteris coepiscopis nostris in eadem provincia constitutis, quod Marcianus Arelate consistens Novatiano se coniunxerit, et a Catholicae Ecclesiae unitate atque a corporis nostri et sacerdotum consensione discesserit, tenens haereticae praesumtionis durissimam pravitatem; ut servis Dei poenitentibus et dolentibus, et Ecclesiam lacrymis et gemitu et dolore pulsantibus divinae pietatis et lenitatis paterna solatia et subsidia claudantur, nec ad fovenda vulnera admittantur vulnerati, sed sine spe pacis et communicationis relicti, ad luporum rapinam et praedam diaboli proiiciantur. Cui rei nostrum est consulere et subvenire, frater carissime, qui divinam clementiam cogitantes et gubernandae Ecclesiae libram tenentes sic censuram vigoris peccatoribus exhibemus, ut tamen lapsis erigendis, et curandis vulneratis bonitatis et misericordiae divinae medicinam non denegemus. *Quapropter facere te oportet plenissimas literas ad coepiscopos nostros in Galliis constitutos*, ne ultra Marcianum pervicacem et superbum, et divinae pietatis ac fraternae salutis inimicum collegio nostro insultare patiantur, quod necdum a nobis videatur abstentus, qui iam pridem iactat et praedicat, quod Novatiano studens et eius pervicaciam sequens a communicatione se nostra segregaverit: cum Novatianus ipse, quem sequitur, olim abstentus et hostis Ecclesiae iudicatus sit; et cum ad nos in Africam legatos misisset, optans ad communionem nostram admitti, hinc a concilio plurimorum sacerdotum, qui praesentes eramus, sententiam retulerit, se foris esse coepisse, nec posse a quoquam nostrum sibi communicari, *qui Eppo Cornelio in Catholica Ecclesia de Dei iudicio et Cleri ac plebis suffragio ordinato*, profanum altare erigere et adulteram cathedram collocare, et sacrilega contra verum Sacerdotem sacrificia offerre tentaverit. — *Dirigantur in provinciam et ad plebem Arelate consistentem a te literae,* quibus abstento Marciano alius in locum eius substituatur, et grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus et vulneratus contemnitur, colligatur. — Servandus est antecessorum nostrorum beatorum martyrum Cornelii et Lucii honor gloriosus, quorum memoriam cum nos honoremus, *multo magis tu*, frater carissime, *honorificare et servare gravitate et auctoritate tua debes*, *qui vicarius et successor eorum*

factus es. Illi enim pleni spiritu Dei et in glorioso martyrio constituti dandam esse lapsis pacem censuerunt etc. —

81. *Epistola synodica e Concilio Carthaginensi de baptismo haereticorum ad Eppos Numidiae.* Cum simul in concilio essemus, fratres carissimi, legimus literas vestras, quas ad nos fecistis de iis, qui apud haereticos et schismaticos baptisati videntur, an ad Ecclesiam Catholicam, quae una et vera est, venientes baptisari debeant. — Ceterum probare est haereticorum et schismaticorum baptisma consentire in id quod illi baptisaverint. Neque enim potest pars illic inanis esse et pars praevalere. Si baptisare potuit, potuit et Spiritum S. dare. Si autem Spiritum S. dare non potest, quia foris constitutus cum sancto Spiritu non est, nec baptisare venientem potest, quando et baptisma unum sit, et Spiritus S. unus, *et una Ecclesia a Christo Domino super Petrum origine unitatis et ratione fundata.* —

82. *Epistola synodica e Concilio Carthaginensi ad Stephanum PP. in eodem merito.* Ad quaedam disponenda et concilii communis examinatione limanda necesse habuimus, frater carissime, convenientibus in unum pluribus sacerdotibus cogere et celebrare concilium. In quo multa quidem prolata atque transacta sunt: *sed de eo vel maxime tibi scribendum, et cum tua gravitate ac sapientia conferendum fuit, quod magis pertineat et ad sacerdotalem auctoritatem, et ad Ecclesiae Catholicae unitatem pariter ac dignitatem de divinae dispositionis ordinatione venientem,* eos, qui sunt foris extra Ecclesiam tincti, et apud haereticos et schismaticos profanae aquae labe maculati, quando ad nos atque ad Ecclesiam, quae una est, venerint, baptisari oportere. — *Haec ad conscientiam tuam,* frater carissime, *et pro honore communi et pro simplici dilectione pertulimus, credentes etiam tibi pro religionis tuae et fidei veritate placere, quae et religiosa pariter et vera sunt.* —

83. *Sententia Cypriani in Conc. Carthaginensi* (de baptismo III) *declarata.* — Cyprianus dixit: Audistis, collegae dilectissimi, quid mihi Iubaianus coepiscopus noster scripserit, consulens mediocritatem nostram de illicito et profano haereticorum baptismo, et quid ego ei rescripserim, censens scilicet, quod semel atque iterum et saepe censuimus, haereticos ad Ecclesiam venientes Ecclesiae baptismo baptisari et sanctificari

oportere. Superest, ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus proferamus, neminem iudicantes, aut a iure communicationis aliquem, si diversum senserit, amoventes. *Neque enim quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit* *), aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis Eppus pro licentia libertatis et potestatis suae arbitrium proprium, tamque iudicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum iudicare: sed expectemus universi iudicium D. N. I. C. qui unus et solus habet potestatem et praeponendi nos in Ecclesiae suae gubernatione et de actu nostro iudicandi. —

84. *Epist. ad Quintum.* Retulit ad me, frater carissime, Lucianus compresbyter noster te desiderasse, ut significaremus tibi quid sentiamus de his, qui apud haereticos et schismaticos baptisati videntur. De qua re quid nuper in concilio plurimi coepiscopi cum compresbyteris qui aderant censuerimus, ut scires, eiusdem epistolae exemplum tibi misi. Nescio etenim qua praesumtione ducuntur quidam de collegis nostris, ut putent eos, qui apud haereticos tincti sunt, quando ad nos venerint, baptisari non oportere, eo, quod dicant unum baptisma esse, quod unum scilicet in Ecclesia catholica est. Quae Ecclesia si una est, esse baptisma extra Ecclesiam non potest etc. — Et dicunt se in hoc veterem consvetudinem sequi. — Non est autem de consvetudine praescribendum, sed ratione vincendum. *Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, et super quem aedificavit*

*) Observat Baluzius: ‚Eo titulo (Eppus Epporum) olim ornati quoque sunt plures Eppi, qui non erant Papae Romani. Vid. Sidonius l. 6. ap. 1. — Ennodius l. 1. carm. 15. — Matth. Parisius ad a. 1254. — Lucifer Calarit. lib. de moriendo pro Dei filio etc.‘ — Bollandistae animadvertunt: ‚Quae S. Cyprianus de Eppo Epporum ac tyrannici erroris ad obsequendi necessitatem usu memorat, haec eadem absque ullo commoti animi vitio ac Pontificiae auctoritatis iniuria dicta accipi possunt. Volebat scilicet S. Pontifex Primas congregatos Eppos de sua quemque sententia libere dicenda admonere. Hunc in finem quod ad libertatem illam maxime conducere rebatur, observavit, sese omnes collegas esse; et licet ipse primatum Africae teneret, nec se tamen, nec quemquam aliorum, qui aderant, Eppum Epporum esse, aut eam potestatem sibi tyrannice arrogari, ut ceteros terrore suo ad sua sensa adigat. Quae vero ibidem addit de cuiusque eppi arbitrio ac potestate, videlicet nullum ab alio iudicari posse, nec alium pariter iudicare, haec ad eosdem illos congregatos, et quidem sano sensu referenda sunt, aut ipsis S. Cypriani gestis manifeste repugnant.‘ —

Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, *vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumsit, ut diceret se primatum tenere, et obtemperari a novellis et posteris sibi potius oportere. Nec despexit Paulum, quod Ecclesiae prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, et rationi legitimae, quam Paulus vindicabat, facile consensit; *)* documentum scilicet nobis et concordiae et patientiae tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quae aliquando a fratribus et collegis nostris utiliter et salubriter suggeruntur, si sint vera et legitima, ipsa potius nostra ducamus. —

85. *Ep. ad Iubaianum.* Scripsisti mihi, frater carissime, desiderans significari tibi motum animi nostri, quid nobis videatur de haereticorum baptismo, qui foris positi et extra Ecclesiam constituti vindicant sibi rem nec iuris nec potestatis. Quod nos nec ratum possumus nec legitimum computare, quando hoc apud eos esse constet illicitum. — — Manifestum est autem, ubi et per quos remissa peccatorum dari possit, quae in baptismo scilicet datur. *Nam Petro primum Dominus, super quem aedificavit Ecclesiam, et unde unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in coelis quod ille solvisset in terris.* —

86. *Ep. ad Pompeium contra epistolam Stephani PP.* Quamquam plene ea, quae de haereticis baptisandis dicenda sunt, complexi sumus in epistolis, quarum ad te exempla transmisimus, frater carissime, tamen quia desiderasti in notitiam tuam perferri, quid mihi ad literas nostras Stephanus frater noster rescripserit, misi tibi rescripti eius exemplum : quo lecto magis ac magis eius errorem denotabis, qui haereticorum causam contra christianos et contra Ecclesiam Dei asserere conatur. Nam

*) Pamelius notat : ‚Locus hic procul abest ut infirmet, quin potius confirmat Petri atque adeo Rom. Pontificum primatum. Cum enim in hac ipsa sententia dicat Petrum primum electum a Domino, et repetat quod saepe dixit, super illum aedificatam esse Ecclesiam, sibi ipsi contradiceret si primatum eius negaret. Non itaque aliud quam humilitatem eius commendans, illius exemplo ceteros suos collegas ad concordiam invitat. — Et certe de Stephano ipsi non esse sermonem vel inde colligere est, quod nondum de hac sententia ad eum scripserat; — atque adeo de iisdem mihi loqui videtur, quos insinuat in Synodo Carthaginensi, cum ait : Nemo se Eppum Epporum constituit; quod de collegis illius intelligunt Augustinus, et Hieronymus. —

inter cetera vel superba, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria, quae imperite atque improvide scripsit, etiam illud adiunxit ut diceret: ‚Si quis ergo a quacunque haeresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam, cum ipsi haeretici proprie alterutrum ad se venientes non baptisent, sed communicent tantum.‘ —

87. *Epist. Firmiliani ad Cyprianum contra epistolam Stephani PP.* Accepimus per Rogatianum carissimum nostrum diaconum a vobis missum literas, quas ad nos fecisti, frater dilectissime, et gratias propter hoc Domino maximas egimus, quod contigerit, ut qui corpore ab invicem separamur, sic spiritu adunemur, quasi non unam tantum regionem tenentes sed in ipsa atque in eadem domo simul inhabitantes. — Adunatio et pax et concordia non solum hominibus fidelibus et cognoscentibus veritatem, sed et Angelis ipsis coelestibus voluptatem maximam praestat; — sicut e contrario utique contristantur, quando vident diversas quorumdam mentes et scissas voluntates. — Nisi quod nos gratiam referre Stephano in isto possumus, quod per illius inhumanitatem nunc effectum sit, ut fidei et sapientiae vestrae experimentum caperemus. Sed non enim si nos propter Stephanum hanc beneficii gratiam cepimus, statim Stephanus beneficio gratia digna commisit. Neque enim et Iudas perfidia sua et proditione, qua scelerate circa Salvatorem operatus est, dignus videri potest, quasi causam bonorum tantorum ipse praestiterit, ut per illum mundus et gentium populus passione Domini liberaretur. Sed haec interim quae ab Stephano gesta sunt praetereantur, ne dum audaciae et insolentiae eius meminimus, de rebus ab eo improbe gestis longiorem moestitiam nobis inferamus. De vobis autem cognoscentes, quod secundum regulam veritatis et sapientiam Christi hoc, de quo nunc quaeritur, disposueritis, cum magna laetitia exultavimus et Deo gratias agimus, quia invenimus in fratribus tam longe positis tantam nobiscum fidei et veritatis unanimitatem. — *(Epistolam Stephani PP. refutare adgressus, sic prosequitur:)* Quantum ad id pertineat, quod Stephanus dixit, quasi Apostoli eos, qui ab haeresi veniunt, baptisari prohibuerint, et hoc custodiendum posteris tradiderint: plenissime vos respondistis, neminem tam stultum esse, qui hoc credat Apostolos tradi-

disse. — Sed et ad illam partem bene a vobis responsum est, ubi Stephanus in epistola sua dixit : haereticos quoque ipsos in baptismo convenire, et quod alterutrum ad se venientes non baptisent sed communicent tantum, quasi et nos hoc facere debeamus. — Et quoniam Stephanus et qui illi consentiunt, contendunt dimissionem peccatorum et secundam nativitatem in haereticorum baptisma posse procedere, apud quos etiam ipsi confitentur spiritum S. non esse, considerent et intelligant spiritalem nativitatem sine Spiritu esse non posse. — Illud quoque absurdum, quod non putant quaerendum esse, quis sit ille, qui baptisaverit, eo quod qui baptisatus sit, gratiam consequi poterit invocata trinitate nominum Patris et Filii et Spiritus S. — Illud etiam quale est, quod vult Stephanus, his, qui apud haereticos baptisantur, adesse praesentiam et sanctimoniam Christi ? — Qualis vero error sit et quanta sit coecitas eius, qui remissionem peccatorum dicit apud synagogas haereticorum dari posse, *nec permanet in fundamento unius Ecclesiae, quae semel a Christo supra petram solidata est*, hinc intelligi potest, quod *soli Petro Christus dixerit: Quaecunque ligaveris etc.* — Atque ego in hac parte iuste indignor ad hanc tam apertam et manifestam *Stephani* stultitiam, quod *qui sic de episcopatus sui loco gloriatur, et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiae collocata sunt*, multas alias petras inducat, et ecclesiarum multarum nova aedificia constituat, dum esse illic baptisma sua auctoritate defendit. — Nec intelligit obfuscari a se et quodammodo aboleri *christianae petrae veritatem, qui sic prodit et deserit Unitatem. — Stephanus, qui per successionem cathedram Petri se habere praedicat*, nullo adversus haereticos zelo excitatur. — Sed in multum, inquit, proficit nomen Christi ad fidem et baptismi sanctificationem, ut quicunque et ubicunque in nomine Christi baptisatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi : quando huic loco breviter occurri possit et dici, quoniam si in nomine Christi valuit foris baptisma ad hominem purgandum, in eiusdem Christi nomine valere illic potuit et manus impositio ad accipiendum Spiritum S. — Quod autem pertinet ad consvetudinem refutandam, quam videntur opponere veritati, quis tam vanus sit, ut veritati consvetudinem praeferat, aut qui perspecta luce tenebras non derelinquat ? — Ad illud autem quod pro haereticis ponunt, et aiunt Apostolum dixisse : ‚Sive

per occasionem sive per veritatem, Christus annuncietur,' ut respondeamus, ineptum est, quando manifestum sit Apostolum in epistola sua, qua hoc dixit, neque haereticorum neque baptismi eorum mentionem fecisse. — Quid ergo, inquiunt, fiet de his, qui ab haereticis venientes sine Ecclesiae baptismo admissi sunt? Si de seculo excesserunt, in eorum numero habentur, qui apud nos catechisati quidem sunt, sed prius quam baptisarentur obierunt; — qui autem adhuc in seculo permanent, baptisentur Ecclesiae baptismo, ut remissionem peccatorum consequi possint. — Vide *(ad Stephanum PP. dirigit conclusionem epistolae)* qua imperitia reprehendere audeas eos, qui contra mendacium pro veritate nituntur. — Lites et dissensiones quantas parasti per Ecclesias totius mundi? peccatum vero quam magnum tibi exaggerasti, qnando te a tot gregibus scidisti! excidisti enim te ipsum. Noli te fallere; siquidem ille est vere schismaticus, qui se a communione ecclesiasticae unitatis apostatam fecerit: dum enim putas omnes a te abstineri posse, solum te ab omnibus abstinuisti. Nec te informare ad regulam veritatis et pacis vel Apostoli praecepta potuerunt monentis et dicentis: ‚Obsecro ergo vos ego vinctus in Domino, digne ambulare vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate sensus et lenitate etc.' — Haec Apostoli mandata et monita salutaria quam diligenter Stephanus implevit, humilitatem sensus et lenitatem *primo in loco* servans! Quid enim humilius aut lenius, quam cum tot Eppis per totum mundum dissensisse, pacem cum singulis vario discordiae genere rumpentem, modo cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus, modo vobiscum, qui in meridie estis: a quibus legatos eppos patienter satis et leniter suscepit, ut eos nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret! — Porro cum nobis et haereticis nec Deus unus sit, nec Dominus unus, nec una Ecclesia, nec fides una, sed nec unus spiritus, aut corpus unum, manifestum est nec baptisma nobis et haereticis commune esse posse, quibus nihil est omnino commune. Et tamen non pudet Stephanum talibus adversus Ecclesiam patrocinium praestare, et propter haereticos asserendos fraternitatem scindere, insuper et Cyprianum pseudo-christum et pseudo-apostolum et dolosum operarium dicere. Qui omnia in se esse conscius praevenit, ut alteri ea per mendacium obiiceret, quae ipse ex merito audire deberet. —

88. *Ex lib. Cypr. de Unitate Ecclesiae.* Cum moneat Dominus et dicat: ‚Vos estis sal terrae, cumque esse nos iubeat ad innocentiam simplices, et tamen cum simplicitate prudentes: quid aliud, fratres dilectissimi, quam providere nos convenit, et sollicito corde vigilantes subdoli hostis insidias intelligere pariter et cavere, ne qui Christum sapientiam Dei Patris induimus, minus sapere in tuenda salute videamur? — Cavenda sunt autem non solum quae sunt aperta atque manifesta, sed et astutae fraudis subtilitate fallentia. Quid vero astutius quidve subtilius, quam ut Christi adventu detectus ac prostratus inimicus,— excogitaverit novam fraudem, ut sub ipso christiani nominis titulo fallat incautos? Haereses invenit et schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem. Quos detinere non potest in viae veteris coecitate, circumscribit et decipit novi itineris errore. Rapit de ipsa Ecclesia homines,— transfigurat se velut angelum lucis, et ministros suos subornat velut ministros iustitiae, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, — perfidiam sub praetextu fidei, antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. *Hoc eo fit, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quaeritur, nec magistri coelestis doctrina servatur.* Quae si quis consideret et examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. *Loquitur Dominus ad Petrum:* ‚Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni coelorum, et quae ligaveris super terram, erunt ligata et in coelis, et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelis.‘ *Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit:* ‚Pasce oves meas.‘ *Super illum unum aedificat ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat:* ‚Sicut misit me Pater, et ego mitto vos, accipite Spiritum S., si cuius remiseritis peccata, remittentur illi, si cuius tenueritis, tenebuntur‘: *tamen ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, et Primatus Petro datur, ut una*

Christi Ecclesia et cathedra una monstretur. — Hanc Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiae renititur et resistit, *qui cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* — Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. — *Eppatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur.*)*

89. *Et lib. de habitu virginum,* — *Petrus etiam, cui oves suas Dominus pascendas tuendasque commendat, super quem posuit et fundavit Ecclesiam,* aurum quidem sibi esse et argentum negat, sed esse se dicit Christi gratia divitem, esse fide eius et virtute locupletem, quibus multa magnalia cum miraculo faceret, quibus ad gratiam gloriae bonis spiritualibus abundaret. —

90. *Et lib. de bono patientiae.* — Quodsi et nos in Christo sumus, si ipsum induimus, si ipse est salutis nostrae via, qui Christum vestigiis salutaribus sequimur, per Christi exempla gradiamur, sicut Joannes Apostolus instruit dicens: ‚Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulavit et ipse ambulare'. Item *Petrus, super quem Ecclesia Domini dignatione fundata est,* in epistola sua ponit et dicit: ‚Christus passus est pro nobis etc.' I Pet. 2, 21.

91—95.

Origenes Ecclesiam supra Petrum fundatam, huicve munus docendi universum mundum, clavesque coelorum tributa fuisse, confitetur. A. 254.

91. MON. *Homil. 5. in Exod.* — Quis ita beatus est, qui sic tentationum pondus expediat, ut nulla menti eius cogitatio ambiguitatis obrepat? Vide, *magno illi Ecclesiae fundamento,*

*) Baluzii observatio: ‚Hanc pericopen omisit Pius II in Conventu Mantuano. Poterat tamen ea non inutiliter uti secundum eorum sententiam, qui episcopum unum interpretantur de Eppo Romano, qui est sponsus Ecclesiae Catholicae, id est ‚universalis.'

et petrae solidissimae, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino: ‚Modicae fidei, quare dubitasti?' —

92. *Comment. in Matthaeum tom. 13.* — Quae uni Petro supra concessa sunt, hic omnibus quoque videtur tribuisse, qui peccatores quoslibet ter corripuerint, ut si mos iis gestus non fuerit, supra terram eum alligent, qui ut pro ethnico et publicano dignus haberetur iudicatus est, cum et in coelo alligatus ille sit. At *quoniam prae iis, qui ter arguerunt, peculiare aliquid Petro tribui oportebat,* etiamsi de Petro, et qui ter fratres arguerunt, commune aliquid dictum sit, *privatim illud Petro attributum est:* ‚Dabo tibi claves regni coelorum' *prius, quam illud*: ‚Quaecunque alligaveritis etc.' *Ac sane si ad evangelica scripta animum diligenter appellamus, ibi magnum inveniemus discrimen, et excellentiam eorum, quae Petro, prae iis, quae aliis dicta sunt, etiam in iis rebus, quae Petrum inter eosque, qui ter fratres obiurgaverunt, communes esse videntur.* Nec enim exigua differentia est: claves non unius coeli Petrum, sed plurimorum accepisse, et quaecunque super terram alligaverit, non in uno coelo, sed in omnibus ligata esse, prae pluribus aliis qui super terram et alligant et solvunt, ita ut haec alligata et soluta sint non in coelis, sicut Petro concessum est, sed in uno coelo: nec enim eo penetrandi facultate pollent, quemadmodum Petrus, ut alligent vel solvant in omnibus coelis. Quo praestantior ergo fuerit qui alligat, eo felicior qui fuerit solutus, cum in omnibus plane coelis solutus sit. —

93. *In eodem Comment.* Si haec a nobis recte dicta sunt, animadvertes, an duodecim primum quidem credebant, minime vero cognoscebant; deinde postquam crediderunt, cognitionis rudimenta capessebant, et perpauca de illo cognoscebant; postremo tandem in cognitione proficiebant, ut cognitionis datae a Patre Filium revelante capaces essent; cuiusmodi statum obtinebat *Petrus,* quando beatus praedicatus est. Nec enim propterea solum, quod dixerit: Tu es Christus, beatus praedicatur; sed cum additamento: Filius Dei vivi. Marcus quippe et Lucas, qui scripserunt respondentem Petrum dixisse: Tu es Christus, et id non addiderunt, quod est apud Matthaeum, non scripserunt beatum illum propter dictum illud fuisse praedicatum, et post praedicationem hanc benedictione fuisse impertitum his verbis: Tu es Petrus etc. —

94. *Comment. in Proverb. Sal.* cap. 29. — Ubique verbum ‚iudicare' dicitur pro ‚docere.' — Virum autem heic iudicantem gentes *Petrum* dicit, *qui mundum universum docuit Christi fidem ac religionem.* —

95. *Lib. V. Exposit. in Evang. Joan.* Petrus, — *cui tamquam fundamento superstructa est Ecclesia Christi,* adversus quam nec ipsae infernorum portae praevaliturae sunt, — unam duntaxat etc. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 8—11. — item **Card. Maii** *nova Patrum Bibliotheca. Romae. 1854.* t. 7. part. 2. *Maius* prima vice vulgavit e codice Vaticano commentarium Origenis in Proverbia.

---

96. 97.

Sixtus II PP. supremam suam auctoritatem a beato Petro apost. derivat, eique omnes Eppos subiectos esse, repetitis vicibus insinuat. A. 257.

96. MON. *Epist. ad Gratum Eppum.* Laetari et gaudere me plurimum in Christo Jesu Domino nostro dilectionis tuae scripta fecerunt, quibus evidenter ostenditur, quantum catholicam diligis fidem, et quantum pravorum hominum detestaris errorem. Omnis enim haeresis nimis est impia et evangelicae veritatis inimica, quae non portionem aliquam laedere, sed ipsa christianae religionis conatur fundamenta convellere. *Memor enim sum, me sub illius nomine Ecclesiae praesidere, cuius a D. N. I. C. est glorificata confessio, et cuius fides nullum unquam fallit, sed omnes quidem haereses destruit. — (Post confutatos uberius errores Sabelli aliorumve haereticorum sic continuat:)* His paucis sententiis breviter consultis tuis respondi, frater carissime. De cetero tuam moneo dilectionem, ut cunctos, quos errare cognoveris, ad catholicam fidem, et ad unitatem recte credentium convertere studeas, et tu numquam ab apostolico tramite recedas. Si autem te non audierint, et errantes (quod absit) permanserint, nobis eos manifestare, quam citius poteris, non tardes, ut apostolica auctoritate aut cito ad Eccle-

siam convertantur, aut ab Ecclesia separentur. — *Quapropter in hac S. Sede dudum a multis Eppis constitutum erat, et modo ad vestrum et ceterorum fratrum auxilium est denuo roboratum, ut omnes episcopi, qui in quibusdam gravioribus pulsantur vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, libere Apostolicam appellant sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, ut ab ea (sicut semper fuit) pie fulciantur, defendantur et liberentur. Cuius dispositioni omnes maiores eccles. causas et epporum iudicia antiqua apostolorum eorumque successorum atque canonum auctoritas reservavit;* quoniam quando culpantur episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quam eiusdem Sedis Papae fieri placuerit, placuit, ut accusatus vel iudicatus a comprovincialibus in aliqua causa eppus licenter appellet et adeat Apost. Sedis Pontificem. Qui aut per se, aut per vicarios suos eiusdem retractari negotium procuret. *Et dum iterato iudicio pontifex causam suam agit, nullus alius in eius loco ponatur aut ordinetur eppus: quoniam quamquam a comprovincialibus eppis accusati causam pontificis scrutari liceat, non tamen definiri inconsulto Romano Pontifice permissum est, cum beato Petro Apostolo non ab alio quam ab ipso dictum sit Domino: Quaeque ligaveris super terram etc.* —

97. *Epist. ad Eppos Hispaniarum.* Magno munere misericordiae Dei totius Ecclesiae Catholicae multiplicata sunt gaudia, cum Ecclesiarum status eo viget ordine, quo Apostoli eorumque successores illum statuerunt. Et cum antiqui hostis astutia eum turbari cognoscimus, non modico contristamur moerore. Quam ob causam, fratres, *hortamur vos, monemus et flagitamus, ut a tramite Apostolicae institutionis nequaquam recedatis, nec a Capite dessideatis*, sed fidem et ordinem, quem Apostoli et apostolici viri statuerunt, absque haesitatione teneatis. — *Ego vero quamvis a vobis per longa terrarum intervalla disiunctus sim, sum tamen omnino vobiscum corde coniunctus.* — *Nos quoque a vobis longe non sumus, quia in illo, qui ubique est, unum sumus. Agamus ergo ei gratias, qui solutis inimicitiis in carne sua fecit, ut in omni terrarum orbe unus esset grex, et unum ovile sub uno pastore.* — Ideo ista, fratres, praetulimus, quia audivimus inter vos accusationes exerceri, et pulsos a sedibus eppos aut suis rebus expoliatos iudicari. — *Fratres vero, quos timore terreno iniuste damnastis, scitote a nobis iuste esse restitutos.*

Quibus ex S. Petri et Apostolica auctoritate omnia, quae eis ablata sunt, integerrime reddi praecipimus, si non vultis vos et principes vestri a collegio nostro et membris Ecclesiae separari. — Et accusatio epporum non est facile recipienda. — Quibus cognitis — *decuerat, ut si aliquid egissent contra suum ordinem, mandare nobis et expectare, quid ad vestra consulta rescriberemus, in tantum, ut si etiam quidquam grave intolerandumque committerent, nostra praestolaretur censura, ut nihil prius aut aliquid aliud decerneretis, quam quod nobis placere cognoveritis.* — Est insuper a sanctis praedecessoribus nostris plerumque iam statutum, ut nemo anathema in nostra suscipiat accusatione, pressa nostra auctoritate; citentur huiusmodi, *cum nos super illos sciamus a Domino constitutos, non illos super nos. Et sicut maior non potest a minore iudicari, ita nec colligari.* — Portemus onera omnium qui gravantur, quinimo haec portat in nobis beatus Apostolus *Petrus, cuius vice fungimur legatione* et cuius regula informamur. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 5. p. 83.

98.

Dionysii PP. ad Severum eppum epistola de auctoritate Sedis Apostolicae in corrigendo ac emendando. A. 258.

MON. Olim et ab initio tantam percepimus a beato Petro apostolorum principe fiduciam, *ut habeamus auctoritatem universali Ecclesiae auxiliante Domino subvenire, et quidquid nocivum est, auctoritate Apostolica corrigere et emendare.* Ad hoc enim divinae dispensationis provisio gradus et diversos constituit ordines esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, una concordiae fieret ex diversitate contextio, et recta officiorum generaretur administratio singulorum. Neque enim universitas alia poterit ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentiae ordo servaret. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 5. p. 133.

99—101.

Felix I PP. de causarum Eppos tangentium iudicatu, et aliis obiectis decreta condit, praerogativasque Romanae Ecclesiae enumerat. A. 270.

99. MON. *Epist. ad Paternum Eppum. — Primates accusatum discutientes Eppum non ante sententiam proferant damnationis, quam Apostolica freti auctoritate,* aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes et canonice examinatos regulariter testes convincatur. Aliter irritam esse censemus et iniustam epporum damnationem, et idcirco a Synodo retractandam, ita, ut oppressis ab omnibus in cunctis subveniatur causis. — His, carissime, respondi breviter consultis tuis, quae te et omnes eppos regulariter tenere mandamus. Tuam tamen, frater, monemus prudentiam, ut pro statu Ecclesiae et sacerdotum eius pro viribus elaborare studeas, et *ordinem S. Romanae et Apost. Ecclesiae per omnia teneas.* —

100. *Ep. ad Eppos Galliae.* Bonorum operum et spiritualium studiorum Deum auctorem esse non dubium est, qui eorum incitat mentes et adiuvat actiones. Unde laetari me fecerunt scripta vestra ex bono studio et ex integritate fidei devotionis vestrae: sed ex afflictione et contritione vestra magna ex parte tristavere. Tristis enim tristes legi literas vestras, et scripta moesta moerore debito percurri: quia sicut nos Ecclesiarum pax sacerdotumque eius concordia et tranquillitas plebis audire facit gaudium, ita nos affligit et deiicit fraterna afflictio. — Nos vero ad supplementum vestrum fratres et coepiscopos nostros vocavimus amplius quam 70, cum quibus haec, quae subter habentur inserta, regulariter tractanda decrevimus. *(Sequitur norma procedendi in iudiciis epporum.)* —

101. *Epist. ad Benignum Eppum.* Suscipientes fraternitatis tuae epistolas, quibus nos requisisti super fidei documentis, quae ab aliis habebantur aliter quam rectae fidei contineant sacramenta, prout Dominus dedit pro fraternitatis amore respondere non resultavimus. *Semper enim dubia et maiora negotia*

terminum ab hac S. Sede, a tempore Apostolorum, qui eam suis documentis instruxerunt, accipere consveverunt. Et ideo tu recte fecisti, quod huius S. Sedis consultis te ceterosque firmari et instrui voluisti. — (Exposito dogmate de divinitate Filii et eadem ipsius cum Patre auctoritate, sic prosequitur:) — Haec vero Apostolorum est viva traditio, haec vera caritas, quae praedicanda est, ac veraciter diligenda ac fovenda, atque fiducialiter ab omnibus tenenda. *Haec sancta et Apostolica mater omnium ecclesiarum, Christi Ecclesia, quae per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicae traditionis numquam errasse probatur, nec ab haereticis novitatibus depravanda succubuit*, sed ut in exordio normam fidei christianae percepit ab auctoribus suis, Apostolorum Christi principibus, illibata finetenus manet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, qui suorum discipulorum principi in suis fatus est Evangeliis: ‚Petre, inquiens, ecce Satanas expetivit ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum; ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.‘ Consideret itaque vestra excellens prudentia, — quoniam Dominus et Salvator omnium — *fidem beati Petri non defecturam promisit, et confirmare eum fratres suos admonuit: quod Apostolicos Pontifices, meae exiguitatis praedecessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum.* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 5. p. 146.

---

102. 103.

Eutychiani PP. constituta de qualiter docendis errantibus, et negotiis ecclesiasticis agendis. A. 275.

102. MON. *Epist. ad Joannem et omnes Eppos Beoticae provinciae.* Hortatur nos aequitas postulationis, desiderio fraternitatis tuae gratanter annuere, et consultis tuis breviter respondere. Et quamvis dilectionem tuam sciamus ad omne opus bonum esse devotam, ut tamen efficacior fiat ad illos, qui sane non sapiunt, qualiter eos de incarnatione Salvatoris nostri informare debeas, mandamus. Unum igitur hoc immobile funda-

mentum, *una haec felix fidei petra, Petri ore confessa* ‚Tu es, inquit, Christus Filius Dei vivi' tanta in se argumenta sustinet veritatis, quantae perversitatis quaestiones et infidelitatis calumniae movebantur. —

103. *Epist. ad Eppos Siciliae.* — Ista praecaventes (omnem malitiam, dolum, simulationes, et detractiones) et stultorum animos praevidentes, *cura pastorali cum omnibus episcopis, et sanctae Romanae atque universalis Ecclesiae utriusque ordinis fidelibus, statuimus,* non ita in ecclesiasticis agendum esse negotiis, sicut in secularibus. — *(Sequuntur accomoda praecepta de modo procedendi in iudiciis ecclesiasticis.)* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 5. p. 167.

104.

Caii PP. epistola ad Felicem Eppum, de relationibus ad Sedem Apost. faciendis. A. 283.

MON. Directas ad nos tuae caritatis epistolas plenas catholicae inquisitionis sollicitudine gratanter accepimus, benedicentes Domini nostri clementiam, quia tales ab extremis mundi partibus dignatur suis ovibus providere pastores, per quos et pascuis valeant salutaribus abundare, et ab iniqui lupi rapacitate servari, ut insidias nequeant eius subreptionis incurrere. Unde certum est, quia promissae vos beatitudinis gratia subsequatur, quando a vobis coelestium perfectio doctrinarum, tam votiva suscitatione perquiritur. — Hoc ergo, frater carissime, propositum tuae consultationis, tota mente tractantes, de te quoque provenire confidimus, *qui regulam catholicae fidei iisdem studes tenere vestigiis, quibus eam in Apostolica Sede cognoscis esse fundatam.* Et quamvis sonus eorum toto orbe diffusus, et usque ad fines orbis terrae verba eorum distensa, dilectionis tuae corda Christo probaverunt esse fidelia: tamen si quid ex his in Ecclesia, quae tuae gubernationi Domino auxiliante commissa est, necdum plena luce claruerit, *ad eundem fontem, de quo illa salutaris manarat lympha, recurritis,* id est, quod debita caritate sumus amplexi, quia fiducialiter de his, unde apud

vos observantiam esse dixistis ambiguam, *nostra voluistis responsione firmari.* Quapropter dilectionem tuam in Domino salutantes, de singulis, *quid iuxta catholicam disciplinam teneat Apostolicae Sedis auctoritas,* subiectis aliquibus etiam sanctarum capitulis regularum credidimus instruendam. — *(Sequitur instructio de nonnullis disciplinae capitibus, item de Verbi Dei incarnatione et mediatione.)* — Quaecumque *difficiles quaestiones* per singulas provincias exortae fuerint, *semper ad Sedem Apostolicam referantur.* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 5. p. 183.

---

105. 106. 107.

Marcellinus PP. adversus errores hinc inde sparsos praemuniens, summam esse Papae dignitatem diserte enunciat. A. 296.

INTR. De Marcellino Papa, cuius epistolas pro suprema auctoritate Sedis Apostolicae exhibemus, narratur: eum occasione persecutionis Diocletiani idolis thus obtulisse ac sacros libros tradidisse, ob idque in Concilio Sinuessano condemnatum extitisse. Fragmentum Actorum Synodi inter Monumenta nostra recensemus quidem: observamus tamen, S. Augustinum figmenti huius falsitatem, contra Petilianum inde probasse, quod nullo teste, nulla monumenti cuiuspiam firmitate fulciatur.

105. MON. *Epist. ad Salomonem Eppum.* Quam laudabiliter pro catholicae fidei veritate movearis, et quam sollicite dominico gregi devotionem officii pastoralis impendas, tradita nobis per diaconum tuum fraternitatis tuae scripta demonstrant, quibus notitiae nostrae insinuare curasti, qui errorum morbi in regionibus vestris modo exorti sunt. *(Confutat errorem dicentium: Patrem Filio esse maiorem, dein concludit:)* — *Mandamus, ut omnis cura atque sollicitudo invigilet, ne fides temeretur aut violetur. Iam nullus est ignorantiae locus, nullus utatur simplicitatis excusatione praeterita.* Scienti peccare necessaria est confusio, et quod ore contraxit, scientia reformetur. *Ista, frater, tene et haec doce.* — Probasti, dilectissime frater, quo christianam fidem veneraris affectu, dum ea, quae ad regulas patrum pertinent, et ad mandata catholica, sine aliqua cupis

transgressione servare, et spreta erratica et nociva doctrina, catholica et apostolica tenere praecepta, et rectae fidei regulas docere atque servare.

106. *Epist. ad Eppos Orientales.* Quid tam dulce sollicito, quam quod mihi de vobis innotescunt illa quae cupio? quid tam religiosis conveniens institutis, quam ut inter se sacerdotes pacem, quam necesse est aliis pro officio annunciare, conservent? Plena gratulatione suscepi, quod votiva mihi de caritate, quae inter vos est, ecclesiarum et pace in literis indicastis sponte mihi, quidquid hortari poteram, quidquid monere, delatum est. Confirmet hoc Deus, quod est operatus in nobis. — Et his tam bonis nuntiis nos quoque religiosam sanctorum vicem reddimus nuntiorum. — Quapropter scitote, vos a persecutione fratrum, et ab omni litigio abstinere debere. — 2. Maior autem non potest a minore iudicari, *nec Eppi Pontifici, a quo consecrari probantur, praeiudicium inferre ullum possunt.* Quod si praesumtum fuisse cognoscitur, viribus carere non dubium est, nec posse inter eccles. statuta ullo modo censeri. —

107. *Acta Concilii Sinuessani.* — Facta est Synodus, — introivit et Marcellinus, — et 50 Episcopi, ut tertia pars Synodi compleretur. — Respondit Marcellinus: non diis sacrificavi, sed tantum grana levatis manibus pruna combussi. — Alia autem die in sinu trecentorum Epporum caput cinere convolutus Marcellinus Eppus Urbis voce clara dicebat: Peccavi etc. — Subscripserunt autem in eius damnationem, et damnaverunt eum extra civitatem. Sacerdos Helciadis Eppus — dicebat: *Juste ore suo condemnatus est, — nemo enim unquam iudicavit Pontificem, nec Praesul sacerdotem suum, quoniam prima Sedes non iudicabitur a quoquam.* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 6. p. 9. ss. et t. 7. p. 1085.

SECULUM QUARTUM.

108.

Marcellus PP. de Primatu Romanae Ecclesiae. A. 304.

MON. *Epist. ad Eppos Prov. Antiochenae.* Sollicitudinem omnium Ecclesiarum iuxta Apostolum circumferentes, divinae circa nos gratiae memores esse debemus, qui nos per dignationis suae misericordiam ob hoc ad fastigium sacerdotale provexit, ut mandatis ipsius inhaerentes in quadam sacerdotum eius specula constituti prohibeamus sollicita et sequenda doceamus. Unde directis per Bonifacium diaconum nostrum literis admonemus, ut quae male pullulant, abscindantur, et malefacta corrigantur, atque bona sectentur, et patrum nostrorum exempla et statuta imitentur. Rogamus ergo vos, fratres, ut non aliud doceatis neque sentiatis, quam quod a beato Petro Apostolo et a reliquis apostolis et patribus accepistis. Ab illo enim primo instructi estis, ideo non oportet vos proprium derelinquere patrem et alios sequi. Ipse enim caput est totius Ecclesiae, cui ait Dominus: Tu es Petrus etc. Eius enim sedes primitus apud vos fuit, quae postea iubente Domino Romam translata est, cui adminiculante gratia divina hodierna praesidemus die. Nec ab eius dispositione deviare vos oportet, ad quam cuncta maiora eccles. negotia, divina disponente gratia, iussa sunt referri, ut ab ea regulariter disponantur, a qua sumsere principia. Si vestra vero Antiochena, quae olim prima erat, Romanae cessit sedi, nulla est quae eius non subiecta sit ditioni, ad quam omnes quasi ad Caput iuxta apostolorum eorumque successorum sanctiones episcopi, qui voluerint vel quibus necesse fuerit, suffugere eamque appellare debent, ut inde accipiant tuitionem et liberationem, unde acceperunt informationem atque consecrationem. Quod omnibus minime convenit denegare eppis, sed absque ulla custodia, aut excommunicatione, vel damnatione, vel exspoliatione libere ire concedatur. Simulque iidem inspirante Domino

constituerunt, ut nulla synodus fieret praeter eiusdem Sedis auctoritatem, nec ullus Eppus nisi in legitima synodo suo tempore apostolica auctoritate convocata super quibuslibet criminibus pulsatus audiatur vel iudicetur, quia epporum iudicia et summarum causarum negotia sive cuncta dubia apostolicae Sedis auctoritate sunt agenda et finienda. Et omnia comprovincialia negotia huius sanctae, universalis et apostolicae Ecclesiae sunt retractanda iudicio, si huius Ecclesiae Pontifex praeceperit. Nec cui liceat sine praeiudicio Romanae Ecclesiae, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri, relictis his sacerdotibus, qui in eadem provincia ecclesias nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias, vel aliarum provinciarum epporum iudicium experiri vel pati, sed omnibus eiusdem provinciae eppis congregatis iudicium auctoritate huius Sedis terminetur: quod tamen per eius vicarios, si libuerit, erit tractandum, et quidquid iniuste actum est, reformandum. Pastoralis ergo cura officii nos admonet, et destitutis succurrere, et cuncta neglecta vel male acta reformare, ut ignis ille, quem Dominus veniens misit in terram, motu crebro emendationis vel crebrae meditationis agitatus sic calescat, ut ferveat, et sic inflammetur, ut luceat. Saepe enim dicendum et agendum est, quia mala pullulantia fraterna caritate oportet resecari, ut bona crescendi et augmentandi amplissimum locum inveniant. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 7. p. 1091.

109—111.

Eusebius PP. sollicitudinem omnium Ecclesiarum Romanae Sedi praeferenter incumbere ostendit. A. 309.

109. MON. *Epist. ad Eppos Galliae.* Scripta sanctitatis vestrae cum magna gratiarum actione suscepi, gavisus scilicet de vestra sospitate, sed contristatus nimis de vestra oppressione. — *(Agit de accusationibus Clericorum, et norma in iis iudicandis, tum concludit:)* Scitote, carissimi, pro ea pietate, quae vobis Dei famulis impendenda est, omnes suggestiones vestras fidei catholicae profecturas me dignanter suscepisse, ut

ipsarum quoque opera et pax christiana reparari, et error impius possit aboleri. Et si amplius de talibus aut de his similibus aliquid fuerit deliberandum, *celeriter ad nos relatio dirigatur, ut pertractata qualitate horum nostra, quid observari debeat, sollicitudo constituat.*

110. *Ep. ad Eppos per Alexandriam et Aegyptum.* — Errorem vestrum corrigite, fratres, et ab omni erroris macula vos custodite, et purum Deo munus offerre valeatis. Servos Dei nolite persequi, episcopos nolite infamare, neque accusare, quia Deus hos suo iudicio voluit reservari. — *Causa fidei et dilectionis*, quibus salus christiana consistit, *multa me sollicitudine laborare compellit*, metuentem, ne pravitas, quae in suis fuerat amputanda principiis, processu temporis et pertinacior fiat et altior. — Oves, quae pastori suo commissae sunt, eum nec reprehendere debent (nisi a recta fide exorbitaverit), nec ullatenus accusare possunt; — ideo ista dicimus, quia in scripturis vestris reperimus, quosdam eppos vestris in partibus a propriis ovibus accusatos, — et idcirco quosdam esse rebus suis expoliatos, quosdam vero a propria sede pulsos. Quod sciatis nec ad synodum comprovincialem nec ad generalem posse vocari, nec in aliquo iudicari, antequam cuncta, quae eis sublata sunt, legibus potestati eorum redintegrentur. —

111. *Ep. ad Eppos Tusciae et Campaniae.* Benedictus Dominus Deus noster, *qui per misericordiam suam Romanam Ecclesiam beati Petri apost. principis sacerdotio ditavit,* nobisque viam monstrandam circa nos — *propter universalem curam, quae nobis est propter privilegium eiusdem Ecclesiae* — in vicem caritatis indulsit, ut qui cohaeremus firmitate fidei, iungamur quoque votivi iucunditate colloquii, quo facilius dum per literarum ministeria ad vos usque pertendimus, etiam corda vestra ad religiosum cultum apostolicis admonitionibus incitemus. — Sequentes in omnibus apostolicam regulam, et praedicantes eius omnia constituta, ob custodiam epporum, qui columnae Ecclesiae a Deo dicti sunt, et ceterorum verorum sacerdotum, firmantes cana patrum statuta, statuimus iterum cum omnibus qui nobiscum sunt eppis, sicut dudum decretum reperimus, ut homicidae, malefici etc. nullatenus ad accusationem vel ad testimonium sint admittendi. — Similiter et haereticos omnes, quicunque Dei gratia convertuntur, et in S. Trinitatis nomine

credentes baptisati sunt, *Romanae Ecclesiae regulam tenentes*, per manus impositionem reconciliari praecipimus. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 7. p. 1101.

112.

Melchiades (Miltiades PP. Eppos nonnisi a Sede Apostolica iudicari posse declarat. A. 311.

MON. *Ep. ad Eppos Hispaniae.* — Eppos nolite iudicare, nolite condemnare *absque Sedis huius auctoritate.* Quod si feceritis, irrita erunt vestra iudicia, et vos condemnabimini. *Hoc enim privilegium Sanctae huic Sedi a temporibus Apostolorum statutum est servari, quod illaesum manet usque in hodiernum diem.* Eppos ergo, quos sibi Dominus tamquam oculos elegit, et columnas Ecclesiae esse voluit, quibus etiam ligandi et solvendi dedit potestatem, suo iudicio reservavit, hocque privilegium beato clavigero Petro sua vice solummodo commisit. Quod eius praerogativum iuste succrescit sedi futuris haereditandum atque tenendum temporibus, quoniam et inter beatos apostolos fuit quaedam discretio potestatis. Et licet cunctorum par electio foret, *beato tamen Petro concessum est, ut aliis praemineret,* eorumque quae ad querelam venirent causas et interrogationes prudenter disponeret. Quod Dei ordinatione taliter ordinatum esse credimus, ne omnes posterorum cuncta sibi vindicarent, sed semper *maiores causae,* sicut sunt epporum et potiorum curae negotiorum, *ad unam beati Petri principis apost. sedem confluerent,* ut inde suscipiant finem iudiciorum, unde acceperunt initium institutionum, ne quandoque a suo discreparent capite. Si vero se viderit quisquam vestrum praegravari, *hanc Sedem appellet,* huc recurrat, ut semper instituta fuit consvetudo. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 7. p. 1115.

113.114.

Conc. Arelatense ad Silvestrum PP. plenas reverentiae ac devotionis literas dirigit. A. 314.

MON. Dilectissimo Papae Silvestro Marinus, Acratius etc. Communi copula caritatis et unitate matris Ecclesiae Catholicae vinculo inhaerentes, ad Arelatensium civitatem piissimi Imperatoris voluntate adducti, inde te, gloriosissime Papa, commerita reverentia salutamus. Ubi graves ac perniciosos legi nostrae atque traditioni, effrenataeque mentis homines pertulimus: quos et Dei nostri praesens auctoritas, et traditio ac regula veritatis ita respuit, ut nulla in illis aut dicendi ratio subsisteret, aut accusandi modus ullus, aut probatio conveniret. Ideo iudice Deo et matre Ecclesia, quae suos novit et comprobat, aut damnati sunt aut repulsi. Et utinam, frater dilectissime, ad hoc tantum spectaculum interesse tanti fecisses. Profecto credimus, quia in eos severior fuisset sententia prolata, et te pariter nobiscum iudicante coetus noster maiore laetitia exultasset. Sed quoniam recedere a partibus illis minime potuisti, in quibus et Apostoli quotidie sedent, et cruor ipsorum sine intermissione Dei gloriam testatur. Non tamen haec sola nobis visa sunt tractanda, frater carissime ad quae fueramus invitati. Sed et consulendum nobis ipsis censuimus, et cum diversae sint provinciae, ex quibus advenimus, ita et varia contingunt, quae nos censemus observare debere. — Placuit etiam, a te, qui maiores dioeceses tenes, per te potissimum omnibus insinuari. Quid autem sit, quod senserimus, scripto nostrae mediocritatis subiunximus, etc. — **Harduini** *Concilia. I.* 261.

114.

Lactantius circa a. 320. Petri Apostoli Primatum sat clare innuit.

MON. *Lib. de mortibus persecutorum.* c. 2. — Cumque iam Nero imperaret, *Petrus Romam advenit*, et editis quibusdam miraculis, quae virtute ipsius Dei data sibi ab eo potestate faciebat, convertit multos ad iustitiam, *Deoque templum fidele ac stabile collocavit.* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 7. p. 195.

115—119.

C. Nicaenum I. Generale primum, a. 325. in praefatione, Canone celebri, et epistola ad Silvestrum Papam egregie commonstrat Primatum Papae, qui acta Concilii confirmat apostolica auctoritate.

115. MON. *Praefatio.* Beatissimo Silvestro in urbe Roma Apostolicae Sedis Antistite, Constantino Augusto et Licinio Caesare, — propter insurgentes haereses fides catholica exposita est apud Nicaeam Bithyniae, quam sancta et reverentissima Romana complectitur et veneratur Ecclesia; quippe quam trecenti decem et octo Patres, mediantibus Victore atque Vincentio religiosissimis Romanae Sedis presbyteris, inspirante Deo, pro destruendo Arii veneno protulerunt. Nam et nonnullae regulae subnexae sunt, quae memorata suscipiens confirmavit Ecclesia. Sciendum est sane omnibus catholicis, quoniam sancta Ecclesia Romana nullis synodicis decretis praelata est, sed Evangelica voce Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi primatum obtinuit: ubi dixit beato Apostolo Petro: ‚Tu es Petrus etc.' Matth. XVI. 18. Adhibita est etiam societas in eadem urbe Romana beatissimi Pauli Apostoli, vasis electionis, qui uno die, unoque tempore gloriosa morte cum Petro sub principe Nerone agonizans coronatus est: et ambo pariter Ecclesiam sanctam Romanam Christo Domino consecraverunt, aliisque omnibus urbibus in universo mundo sua praesentia atque venerando triumpho praetulerunt. Et licet pro omnibus assidua apud Dominum omnium sanctorum fundatur oratio: his tamen verbis Paulus beatissimus Apostolus Romanis proprio chirographo pollicetur, dicens: ‚Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo, in Evangelio Filii eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.' Rom. I. 9. Prima ergo Sedes est coelesti beneficio Romana, quam beatissimi Apostoli Petrus atque Paulus suo martyrio dedicarunt. —

116. *Canon VI.* Ecclesia Romana semper habuit Prima-

tum.*) Teneat autem et Aegypti, Lybiae et Pentapolis, ita ut Eppus Alexandriae horum omnium habeat potestatem: quoniam et Romano Eppo haec est consuetudo. Similiter autem et qui in Antiochia constitutus est. Itaque et in ceteris provinciis privilegia salva sint Ecclesiarum. —

117. *Epist. Concilii ad Silvestrum PP.* Beatissimo Papae urbis Romae cum omni reverentia colendo Silvestro Osius eppus etc. Quoniam omnia corroborata de divinis mysteriis ecclesiasticae utilitatis, quae ad robur pertinent Sanctae Ecclesiae Catholicae et Apostolicae, ad Sedem tuam Romanam explanata et de Graeco redacta scribere confitemur, nunc itaque ad vestrae Sedis argumentum accurrimus roborari. Itaque censeat vestra apostolica doctrina Eppos totius vestrae Apostolicae urbis in unum convenire, vestrumque habere concilium, sicut docet mystica veritas: ut firmetur nostra sanctimonia, gradusque fixos vel textus ordinationis tuae sanctimoniae nostra possit habere regula; quoniam decet numerum dictorum tuorum coëpiscoporum a te discere gradus, vel ordines constituere urbis. Quidquid autem constituimus in Concilio Nicaeno, precamur, vestri oris consortio confirmetur. Oret Beatitudo tua pro universo Concilio. —

118. *Rescriptum Silvestri PP. ad Synodum.* Silvester Eppus etc. Gaudeo promtam vos benignitatem servare. Nam et confirmo, figoque ad doctrinae vestrae reclamantes de mysterio vel unitate Trinitatis, chrismatis vos secundum dicta et doctrinam evangelicam, sanctam accepisse gratiam; de quo examinationis probo vera fuisse et esse mensura, quae in vestrum nostrumque manavere mysterium; meum chirographum et discipulorum meorum offero, in vestro sancto concilio quidquid constituistis una parem dare consensum. Atque in gremio vestrae synodi parva propter disciplinam ecclesiae alligabo praecepta, propter Victorinum, qui arbitrio suo quidquid vellet affirmabat, et cyclos Paschae pronunciabat fallaces, et cum Eppis totius Italiae examinatam universitas vestri sancti Concilli dignetur accipere veritatem. Oret pro nobis beatitudo vestri sancti Concilii

---

*) Verba haec initialia extant in plurimis Codicibus, e quibus eadem collectores Synodorum suis operibus inseruerunt.

trecentorum decem et octo, ut caritatis, quae vobis data est, D. N. I. C. servetur augmentum. —

119. *Silvester PP. Synodum Nicaenam confirmat in Conc. Romano. 325.* Silvester Eppus sanctae et apostolicae Sedis urbis Romae dixit: Quidquid in Nicaea Bithyniae constitutum est, ad robur sanctae matris ecclesiae cath. et apost. a sanctis sacerdotibus 318, nostro ore conformiter confirmamus. Omnes, qui ausi fuerint dissolvere definitionem sancti et magni Concilii, quod apud Nicaeam congregatum est sub praesentia piissimi et venerandi Principis Constantini Augusti, anathematisamus. Et dixerunt omnes: Placet. — **Harduini** *Conc.* I. 309. 325. 343. 527. In documentis his de Syn. Nicaena multa menda inveniuntur.

120.

Silvestri PP. constitutio de primae Sedis praerogativa, ut quippe ipsa a nemine iudicetur. A. 325.

MON. — *Cap. 20. Nemo iudicabit primam sedem,* quoniam omnes sedes a prima sede iustitiam desiderant temperari. Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a regibus, neque a populo Iudex iudicabitur. **Migne** *Patr. Lat.* t. 8. p. 840.

---

121. 122.

Marcus PP. Eppis Aegypti, Primatum Romanae Sedis diserte confitentibus, de capitulis C. Nicaeni rescribit. A. 336.

121. MON. *Epist. Epporum Aegypti ad Papam.* — Quia ab inimicis sanctae Dei Ecclesiae, et maxime ab Arianis, a quibus quotidie expugnamur, conterimur et opprimimur, praefata 70 Nicaeni Concilii capitula — sunt igne combusta, optamus ut a *vestrae Sedis auctoritate, quae est mater et caput omnium Eccle-*

siarum, ea ad correctionem et recreationem fidelium orthodoxorum percipere per praesentes legatos mereamur, quatenus *vestra fulti auctoritate,* vestrisque precibus roborati, illaesi a memoratis aemulis sanctae Dei ecclesiae et nostris evadere nobisque commissos eruere valeamus. Vere novimus, apostolatus vestri cor gratia S. Spiritus in tantum esse accensum, ut omnibus oppressis succurratis: quanto magis nobis, qui licet exigui ordinis, tamen vestri sumus, vobisque obedientes cum omnibus nobis commissis et sumus et semper esse volumus. —

122. *Rescriptum Papae ad eosdem.* Doleo, fratres, et nimium constristor super afflictione vestra, sed oppido consolor, quod vento agitata non estis arundo, sed recti in fide inter omnes procellarum et turbinum colluctationes incessanter perduratis. — De capitulorum veritate et numero Nicaeni Concilii, cui vos interfuisse literis vestrae fraternitatis significastis, a nostris, qui vobiscum una interfuerunt, diligentioribus requisivimus collocutionibus, qui ita ut vestrae testatae sunt literae, omnem nobis ordinem exposuerunt. — Sed nos et vos illosque absque ulla in posterum titubatione unum sentire optaremus, et *S. Romana Ecclesia: quae semper immaculata mansit, et Domino providente et beato Petro Apostolo opem ferente in futuro manebit,* sine ulla haereticorum insultatione firma et immobilis omni tempore persistet. His itaque peractis diligenter requirentes in sancto nostrae et apost. sedis scrinio, eadem quae sanctae recordationis praedecessori Silvestro sunt directa, 70 capitula illaesa invenimus. Ipsa enim vobis propter auctoritatem et subscriptionem tantorum patrum et eius magni concilii minime misimus, sed pro eisdem coram apocrisiariis vestris alia similia eundem numerum eademque verba et ipsam subscriptionem continentia vobis rescribere et sub certa stipulatione et confirmatione mittere curavimus. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 8. p. 851.

123—125.

Iulius I PP. A. 337. ss. triplici ad Orientales in causa Athanasii epistola vindicat Sedi Romanae ius de causis maioribus ac iudiciis Epporum decernendi.

123. MON. *Epist. ad Antiochenos in causa Athanasii.* — O dilecti! non iam Ecclesiae iudicia secundum Evangelium, sed ad exilii et mortis poenas decernendas instituuntur. Nam si omnino, ut dicitis, aliqua fuit eorum culpa, iudicium secundum ecclesiasticum canonem, nec eo pacto, fieri oportuit. Oportuit omnibus nobis scripsisse, ut ita ab omnibus quod iustum esset decerneretur: episcopi enim erant, qui patiebantur, nec vulgares ecclesiae, quae vexabantur, sed quas ipsi Apostoli per se gubernarunt. Cur autem de Alexandrina potissimum Ecclesia nihil nobis scriptum est? *An ignoratis hanc esse consvetudinem, ut primum nobis scribatur, et hinc quod iustum est decernatur?* Sane si qua huiusmodi suspicio in illius urbis episcopum cadebat, ad hanc Ecclesiam scribendum fuit. Nunc autem illi re nobis non indicata posteaquam quod libuit egere, nos, quibus ea crimina explorata non sunt, sibi demum suffragatores esse volunt. Nequaquam talia sunt Pauli statuta, non haec patres tradiderunt: sed aliena est ista forma, novum hoc institutum. Obsecro, bono animo ferte; quae enim scribo, ad publicum bonum conferunt. *Nam quae accepimus a beato Petro Apostolo, ea vobis significo;* non scripturus tamen, quod nota apud omnes ea esse existimem, nisi quae gesta sunt nos conturbassent. —

124. *Epist. ad Orientales in eqdem merito.* — Ipsi primae sedis Ecclesiae convocandarum generalium synodorum iura et iudicia Epporum singulari privilegio evangelicis et apostolicis atque canonicis concessa sunt institutis, quia semper *maiores causa ad Sedem Apostolicam multis auctoritatibus referri praeceptae sunt. Nec ullo modo potest maior a minore iudicari. Ipsa namque omnibus maior et praelata est ecclesiis,* quae non solummodo canonum et ss. patrum decretis, sed Domini Salvatoris

nostri voce singularem obtinuit principatum : Tu es, inquit, Petrus etc. — Porro dudum a ss. apostolis successoribusque eorum in praefatis antiquis decretum fuerat statutis, quae hactenus sancta et universalis apostolica tenet ecclesia, non oportere praeter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari, nec Eppum damnari, quoniam S. Romanam Ecclesiam primatem omnium ecclesiarum esse voluerunt. Et sicut beatus Petrus Apostolus primus fuit omnium Apostolorum, ita et haec Ecclesia ipsius nomine consecrata Domino instituente prima et caput fit ceterarum, et ad eam quasi ad matrem atque apicem omnes maiores Ecclesiae causae et iudicia Epporum recurrant, eiusque iustam sententiam terminum sumant, nec extra Romanum quidquam ex his debere decerni Pontificem, quatenus non ita proterve et pro libitu cuiuspiam suo proprio arbitrio quibusque metropolitanis, sicut agere solebant, liceat inconsulto Romano Pontifice aut maiores Ecclesiae causas deturbare, aut Eppos damnare, sed communi S. Romanae Sedis Eppi consilio et concordi actione quaeque sunt Christi zelo agenda disponant unanimiter, recteque sentiant, et ea quae senserint, non sibimet discrepando, sed Deo placita perficiant. — Nos scitote hunc typhum deinceps non esse passuros, ut ea, quae ad hanc specialiter sanctam pertinent sedem, sicut iudicia Epporum et maiores causae, vos patiamur nobis inconsultis invadere absque vestri status periculo. Sed si quis ab hodierna die et deinceps Eppum praeter huius S. Sedis sententiam damnare aut propria pellere sede praesumserit, sciat se irrecuperabiliter esse damnatum et proprio carere perpetim honore, eosque, qui absque huius Sedis sunt eiecti sententia vel damnati, huius S. Sedis auctoritate scitote pristinam recipere communionem, et in propriis restitui sedibus. — Quam culpam nullo modo potuissetis incidere, si unde consecrationis honorem accipitis, inde legem totius observantiae sumeretis, et beati Petri apostoli sedes, quae vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset ecclesiasticae magistra rationis. —

125. *Epistola nova ad Orientales in eodem obiecto.* Decuerat vos adversus S. Romanam Ecclesiam et Apostolicam limate et non ironice loqui, quoniam et ipse Dominus noster Iesus Christus eam decenter allocutus ait : Tu es Petrus etc. Habet enim potestatem singulari privilegio sibi concessam,

aperire et claudere ianuas regni coelestis quibus voluerit. Nam si ei detrahere, quae Domini ore sacrata atque desuper exaltata est, non renuistis, nec mirum si fratribus iniurias irrogare minime cessatis. Unde iam silentio non teguntur quae vestro in concilio turbulenter atque cum tempestate decreta sunt. Apparet enim, quoniam tumultuosa quadam indisciplinatione veritas est oppressa. — Nam nec dubitare vos credo *Athanasium* sacrae legis doctorem non solum a nobis sed etiam a Nicaena Synodo verae fidei cultorem esse comprobatum, — adversus quem eiusque sectatores multa mendacia texentes et nudas valde calumnias quasi veras accusationes componentes, nobis multorum malorum eum causam et caput esse perhibuistis. — Visum est nobis ac universo concilio, ut nos divinis praeceptis et apostolicis monitis informati, qui pro omnium ecclesiarum statu impigro vigilare debemus affectu, si quidquam reprehensioni usquam invenitur obnoxium, celeri sollicitudine ab ignorantiae imperitia aut a praesumtionis usurpatione revocemus. His taliter consideratis atque discretis, tamquam omnium curam gerentes propter sedis propriae dignitatem suscepimus eos in communionem, singulisque cum suis rebus auctoritate huius S. Sedis proprias reddidimus Ecclesias, quoniam huic S. Sedi propter pravorum hominum insidias ipso Domino instituente et ss. apostolis eorumque successoribus per singula concilia roborantibus hoc semper licuit, licebitque Domino auxiliante in perpetuum. Unde qui se scit aliis esse praepositum, non moleste ferat aliquem sibi esse praelatum, sed obtemperantiam, quam ab aliis requirit, gratis et ipse dependat. Quapropter increpando vobis scribo, quia non recte tractastis viros inculpatos, et a nobis minime examinatos, de suis ecclesiis communione privatos pellentes, et eccles. disciplinae iniuriam irrogantes constitutumque Nicaeni Concilii minime servantes, talia indisciplinate agere non formidastis. — Miror vos tam audaces esse, et tam impudenter egisse, et terminos ac iura beati Petri Apost. principis invasisse. Sui enim iuris erat, ut absque eius S. Sedis auctoritate nullus deberet aut concilia celebrare aut eppos ad synodum convocare, vel damnare eos, aut propriis pellere sedibus, aut alios in eorum loco ordinare, quae omnia vos temerare non timuistis. — Quid ergo est aliud talis praesumtio, nisi quod apostolorum eorumque successorum decreta transgredi, et ma-

ledictionem superius comprehensam, in lege scilicet cautam, quam omnis populus uno ore consonaque responsione per ‚Amen,' idest, fiat, confirmavit, suscipere non timuistis? Nam, ut reor, talibus transgressionum funiculis constricti nostrum, ne vestra proderentur flagitia, examen declinastis, et ad supradictam vocationem venire distulistis. — Tales insidiatores spiritu praevidentes S. Patres in Nicaea congregati leges statuerunt, quas nos Canones appellamus, ne facile probi ab improbis damnarentur, ex quibus nonnullas sententias his inseri iudicavimus, ut tantorum patrum auctoritate nostra roboraretur epistola, atque omnes Orientales sive reliquarum partium Eppi haec audientes in tantam foveam non incidant, ne damnationem a patribus decretam percipiant. Sequuntur enim haec ex praedicto concilio Nicaeno capitula *): „Ut omnes Eppi, qui in quibusdam gravioribus pulsantur vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, *libere Apostolicam appellent sedem*, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, ut ab ea pie fulciantur, defendantur et liberentur. *Cuius dispositioni omnes maiores eccl. causas, et epporum iudicia antiqua apostolorum eorumque successorum atque canonum auctoritas reservavit.* Quoniam culpantur Eppi, qui aliter erga fratres egerint, quam eiusdem Sedis Papae fieri placuerit. — Placuit, ut accusatus vel iudicatus a comprovincialibus in aliqua causa Eppus *licenter appellet et adeat Apost. Sedis Pontificem, qui aut per se, aut per vicarios suos eius retractari negotium procuret.* Et dum iterato iudicio pontifex causam suam audit, nullus alius in eius loco ponatur aut ordinetur Eppus, quoniam quamquam a comprovincialibus Eppis accusati causam pontificis scrutari liceat, non tamen definiri inconsulto Romano Pontifice permissum est, cum beato Petro apostolo, et non ab alio quam ab ipso dictum sit Domino: Quaecunque ligaveris etc. — Si quis putaverit se a proprio metropolitano gravari, apud primatem dioeceseos, aut penes universalis apostolicae ecclesiae Papam iudicetur. — Placuit, ut si accusatus vel damnatus Eppus appellaverit Romanum Pontificem, id statuendum, quod ipse iuste censuerit. — *Salvo in omnibus Romanae Ecclesiae privilegio,* nullus metropolitanus absque ceterorum omnium comprovincialium epporum instantia,

*) Ex Capitulis ea duntaxat adducimus, quae ad auctoritatem Sedis Apostolicae se referunt, ceteris exmissis.

aliquorum audiat causas eorum, quia irritae erunt, imo et causam in Synodo pro facto dabit. — *Salva Apostolicae Sedis auctoritate* nullus eppus extra suam provinciam ad iudicium devocetur. — *Et provincialis synodus retractetur per vicarios urbis Romae Eppi, si ipse decreverit.* — Primates accusatum discutientes Eppum non ante sententiam proferant damnationis, *quam apostolica freti auctoritate.*" — Plura de his ideo hic non inserimus, ne vacuare vilemve praedictam facere synodum videremur; — si quis autem de his ampliora atque abundantiora scire voluerit, in sacro nostrae Ecclesiae Sedis scrinio invenire poterit. Verum me dixisse testis est divinitas. De receptione vero sedis et sacerdotii atque honoris, quae dixistis Athanasium absque concilii decreto suscipere, non ita invenimus sicut calumniati estis : sed quorumdam Epporum consilio atque decreto recepit suum quod iniuste perdiderat sacerdotium, ac resedit in sede. — Quando Antiochiae pro damnatione fidei de consubstantialitate prolata fuistis congregati, odio praedicti Athanasii hanc regulam protulistis (non posse eum a pauciore numero Epporum restitui quam depositus fuerat), quae nullas habet vires nec habere poterit, quoniam nec ab orthodoxis Eppis hoc concilium actum est, nec *Romanae Ecclesiae* legatio interfuit, canonibus praecipientibus : sine eius auctoritate concilia fieri non debere. *Nec ullum ratum est aut erit unquam concilium, quod non fultum fuerit eius auctoritate.* — Multos cognovimus pessimis machinationibus iniuste depositos : ideo summopere a me, cui vice Apostolorum principis universalis Ecclesiae cura commissa est, providendum est, ne deinceps talia fiant : quoniam ideo huic S. Sedi praefata privilegia specialiter sunt concessa, tam de congregandis conciliis et iudiciis ac restitutionibus Epporum, quam et de summis Ecclesiarum negotiis, ut ab ea omnes oppressi auxilium et iniuste damnati restitutionem sumant, et talia ab improbis ne praesumantur absque ultione, nec exerceantur absque damnatione. Non ergo recte egistis, — quod nobis inconsultis concilium celebrastis, eosque ad concilium vocastis et damnare praesumsistis ; — non recte egistis, quod regulariter a nobis ad Concilium vocati venire distulistis. — His ergo omnibus perpensis, manifestum est vos reos existere, et illos innocentes remanere, et vos recte excommunicatos, illosque iuste liberari. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 8. p. 905. 971. 981.

126. 127.

C. Sardicense, A. 347. tum in Canonibus, tum in literis ad Julium Papam, Primatum conspicuis verbis et factis profitetur.

126. *Canones Concilii.* III. Osius Eppus dixit: Illud quoque necessario adiiciendum est, ut Episcopi de sua provincia ad aliam provinciam, in qua sunt episcopi, non transeant, nisi forte a fratribus suis invitati, ne videamur ianuam claudere caritatis. Quodsi in aliqua provincia aliquis episcopus contra fratrem suum eppum litem habuerit: unus de duobus ex alia provincia advocet eppum cognitorem. Quodsi aliquis epporum iudicatus fuerit in aliqua causa, et putat se bonam causam habere, ut iterum concilium renovetur: si vobis placet, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Romano Episcopo, et si iudicaverit renovandum esse iudicium, renovetur, et det iudices. Si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea, quae acta sunt, quae decreverit, confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus respondit: Placet. — IV. Gaudentius Eppus dixit: Addendum, si placet, huic sententiae, quam plenam sanctitate protulistis: ut cum aliquis eppus depositus fuerit eorum epporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma: alter eppus in eius cathedra post appellationem eius, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Eppi Romani determinata. — VII. Osius Eppus dixit: Placuit autem, ut si eppus accusatus fuerit, et iudicaverint congregati eppi regionis ipsius, et de gradu suo eum deiecerint, si appellaverit qui deiectus est et confugerit ad Eppum Romanae Ecclesiae, et voluerit se audiri: si iustum putaverit, ut renovetur iudicium, vel discussionis examen, scribere his epis dignetur, qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, et iuxta fidem veritatis definiant. Quodsi is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Eppum Romanum, ut de latere suo presbyterum mittat:

erit in potestate Eppi, quid velit et quid aestimet. Et si decreverit mittendos esse, qui praesentes cum eppis iudicent habentes eius auctoritatem, a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit eppos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicaverit. —

127. *Epistola Concilii ad Julium PP.* Quod semper credidimus, etiam nunc sentimus, experientia enim probat et confirmat, quae quisque auditione audivit. Verum est enim quod beatissimus magister gentium Paulus Apostolus de se locutus est: ‚An experimentum quaeritis eius, qui in me loquitur Christus?‘ Qamquam utique, quia in ipso Dominus Christus habitavit, dubitari non possit Spiritum S. per animam eius locutum et organum corporis personasse. Et tu itaque, dilectissime frater, corpore separatus, mente concordi ac voluntate adfuisti: et honesta fuit et necessaria excusatio absentiae, ne aut lupi schismatici furtum facerent et raperent per insidias, aut canes haeretici rabido furore exciti insani oblatrarent, aut certe serpens diabolus blasphemiarum venenum effunderet. Hoc enim optimum et valde congruentissimum esse videbitur, si ad Caput, id est, ad Petri Apostoli sedem de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes. Quoniam ergo universa quae gesta sunt, quae acta, quae constituta, et chartae continent, et vivae voces carissimorum fratrum et compresbyterorum nostrorum Archidami et Philoxeni, et carissimi filii nostri Leonis diaconi verissime et fideliter exponere poterunt: pene supervacuum videtur, eadem his literis inserere. *(Sequitur relatio de gestis in Concilio.)* — **Harduini** *Conc.* I. 638. 653.

128—131.

Liberius PP. in causa Athanasii supremae suae Sedis auctoritatem evolvit, ab Athanasio, ceterisque Eppis insigniter recognitam. A. 352. ss.

INTR. Quae Liberius Papa in causa Athanasii egit et scripsit, non minus ac ea, quae Athanasius ceterique Orientis Eppi,

datis ad Pontificem eximiae devotionis literis, professi sunt, pro Primatiali auctoritate sunt prorsus conspicua. De lapsu Liberii Papae, post tot eruditas lucubrationes quae in Literatura nostra suis locis occurrunt, passim tenetur: lapsum hunc non in quapiam definitione fidei consistere, sed esse personalem per subscriptionem formulae Sirmiensis vi fraudeque extortam procuratum, huncve ipsum lapsum aut commentitium esse, aut saltem ita dubium, ut adversariis nil opituletur.

128. MON. *Athanasius, ceterique Aegyptii Eppi ad Lib. PP. confugiunt adversus oppressiones Arianorum.* In unum synodice apud Alexandriam congregatis, *vestrae beatissimae paternitatis iura penes Deum sunt manifesta,* dum praedicationibus scilicet apostolicis et doctrinis verae fidei cultura universa repleta sit terra; per divinorum tamen eruditionem eloquiorum vestra instruente admonitione exhortatoria superaedificatur orthodoxa Christi Ecclesia, apostolica institutione fundata, et a fidelibus prioribus firmissime roborata, ad quam omnes beatissimi apostoli pari honoris et potestatis consortio praediti populorum agmina convertentes, pie sancteque de tenebris ad lumen, de lapsu ad veram fidem, de morte ad vitam homines divinae praedestinationis gratia praeceptis ac monitis perduxerunt: quorum ss. apostolorum vestra fraternitas honoranda sequens merita, et profectius implens exempla, Ecclesiam Dei morum probitate et actuum sanctitate condecorat, et fide sacra, christianis moribus vigens, quae fieri Deo placita praecepit, studiis pontificalibus indesinenter operatur et perficit, servans legis divinae mandata, quia non legis auditores iusti sunt apud Deum, sicut narrat Apostolus, sed factores legis iustificabuntur. Nos haec meditari cupientes, *et ea, quae a S. Sede vestra* apostolorum eorumque successorum praedicatione suscepimus, atque quae in Nicaena Synodo roborata cognovimus, praedicare et Arianorum blasphemias atque aliorum haereticorum repellere cupientes, quotidie ab his persequimur, et damnationi tradimur, atque morti destinamur. *Qua de re precamur, ut vestris exhortationibus tam per vos quam et apocrisiarios vestros adiuvemur,* ne dum illi crescunt et nos minuimur, vera fides destruatur, et eorum haeresis ultra fidem nostram crescat, quoniam timemus, ut postquam abundaverit iniquitas, refrigescat caritas multorum. Pro qua re multa vestrae sacrae doctrinae tam apud Deum quam apud cun-

ctos fideles merces et laus reposita est, *si vestra haec recensentur auctoritate:* nostram enim fidem, quam a s. patribus accepimus, et tenemus atque docemus, subter inseruimus, ut si aliquis vobis aliter nos credere aut docere aut accusando aut mussitando retulerit, vel detrahendo scriptis mandaverit, per hanc manifeste nos ita credere et docere agnoscatis: Credimus in unum Deum etc. — Huius rei gratia *universalis vobis in Christo Jesu commissa est Ecclesia, ut pro omnibus laboretis, et cunctis opem ferre non negligatis*, quia dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quae possidet. Ideoque tanta urgente necessitate summopere *comprimite vestra summa auctoritate infestos, relevate oppressos,* ut absque gravi, Domino opitulante, facultate ipsi gratanter omni tempore sacrificare mereamur illaesi. —

129. *Responsum Liberii PP.* Olim et ab initio tantam percepimus a beato Petro apostolorum principe fiduciam, *ut habeamus auctoritatem pro universali Ecclesia ad rectam defendendam fidem, quatenus nulli liceat statum S. Ecclesiae commovere ad laesionem recte credentium absque sui periculo honoris.* Epistolam vestram nobis directam ante vos recitari fecimus, tribulationes et persecutiones, quas pro recta fide patimini, intellexi-mus. Super quibus et nos una vobiscum condolemus, et laborare pro vobis ut pater pro filiis parati sumus. Fidem vero Nicaeni concilii in eadem epistola rectam reperimus, super qua et Deo gratias uberrimas retulimus, pro qua non solummodo persecutiones et passiones sustinere vobiscum parati sumus, sed etiam, si necesse fuerit, mori pro Christi nomine, in quantum nostra sinit fragilitas, non respuimus. Igitur praedictum sanctum concilium Nicaenum definivit, aliam fidem nulli licere proferre, aut conscribere, vel componere, aut sapere vel docere aliter, nec quidquam in fide sentire, aut proferre, quod his patrum regulis possit obviare. Qui autem praesumserint componere aliam fidem aut proferre, docere vel tradere aliud symbolum ad viam veritatis converti desiderantibus de quacunque haeresi, vel ex Judaeis, vel ex paganis christianos se fieri volentibus: hi si episcopi fuerint vel clerici, alienari quidem eppos ab eppatu, clericos a clero; si vero monachi, aut laici fuerint anathemate feriri, etc. —

130. *Idem Papa ad universos Eppos.* Nihil est, quod diu stare possit, nisi Dei gratia. Ceterum nequitia diaboli contemtibile malum plenum veneno mortifero sevit, qui sursum atque deorsum circuit, quaerens quem devoret. Unde vigilare et sobrii esse ad orationes, et Deo propinquare debemus, et fatuas hominum insidias, prout Dominus posse dederit, respuere, et patres sequi, et non transgredi terminos patrum, non ut nostras relinquamus, dum in eis persistere aliquando non valebimus, ecclesias, ut ad alias properemus, aut populos commissos negligere, ut quietem amplius, quam pro eis elaborare, pro quibus etiam animas ponere debemus, studeamus, quamquam multi nos persequantur, et oves Christi dilacerare desiderant, qui quasi vestibus ovium apparent, intus autem sunt lupi rapaces, quos ex fructibus cognoscimus. — Nec vos pigeat per temporales cruciatus pro Christi nomine laborare, sed emolumenta futurae remunerationis huius seculi vexationes tolerare persvadeant. — Propter quod hortamur vestram caritatem exemplo eius, qui pro nobis pati voluit, promtos vos in cunctis eius permanere servitiis, nec quidem quoquomodo a commissa cura recedere, sed totis viribus in commissis vobis negotiis fortiter usque in finem perdurare, quoniam beatus est, qui perseveraverit usque in finem, nec laudatur initium sed finis. — Summopere etiam considerare debetis, quod hi, qui fratribus invident, eosque damnare aut perdere cupiunt, per se sua dogmata destruunt: dicit enim Dominus: omne regnum in se divisum non stabit, et omnis scientia et lex adversum se divisa non stabit. Ideoque necesse est, ut concorditer salubres suscipiatis hortatus, et nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium devotionis unanimes divinis et apostolicis constitutionibus pareatis, et in nullo patiamini providentissima canonum decreta violari, quatenus et Nicaenorum canonum constituta, et quae a nobis vel a praedecessoribus nostris sunt provide et salubriter decreta, intemerata permaneant in futuro.

131. *Ad Eusebium Spadonem, ut in damnationem Athanasii subscriberet, hortantem.* Qui, quaeso, adversus Athanasium id fieri possit? Nam quem non una solum, sed et altera synodus ex toto orbe coacta purum innoxiumque iure declaravit, quemque Romana Synodus cum pace dimisit, quo pacto damnare possumus? aut quis nos probaturus est, si quem praesentem di-

leximus, et ad communionem admisimus, absentem aversamur? Non est illud ecclesiastici canonis, nec talem unquam accepimus a patribus, qui et ipsi a beato et magno apostolo Petro acceperunt, traditionem. Sed si Imperator ecclesiasticae pacis est studiosus, si iubet abrogari quae apud nos pro Athanasio scripta sunt, abrogentur pariter quaecunque ab illis adversus eum gesta fuerint, abrogentur et quae adversus omnes sunt acta, ac demum ecclesiastica synodus procul palatio cogatur, ubi nec imperator compareat, nec comes accedat, nec iudex comminetur, sed tantum Dei timor sufficiat cum apostolorum constitutione, ut cumprimis ecclesiastica fides eo modo servetur, quo a patribus in Nicaena synodo definita est. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 8. p. 1357. et t. 130. p. 633.

132—136.

Hilarius, Primatum Petro a Domino concessum frequenter in operibus suis commemorat. A. 355.

132. MON. *Tract. in Psalm. 131.* — V. 2: ‚Sicut iuravit Domino, votum vovit Deo Jacob.' Sacramenti mentio ad professionem voluntatis assumitur. Et nescio, an Unigenitus iuraverit. Certe ita et gessit et locutus est omnia, ut sacramenti religioni satisfacere videretur. Namque cum quaedam de passione sua locutus ad discipulos suos fuisset, et Petrus tamquam indignum hoc Dei Filio detestatus esset, *Petrum, cui superius claves regni coelorum dederat, super quem Ecclesiam aedificaturus erat, adversus quam portae inferni nihil praevalerent, qui quae in terris solvisset vel ligasset, ea in coelis vel soluta persisterent vel ligata,* hunc itaque tali convicio, detestantem hoc sacramentum passionis, excepit: ‚Vade post me satana, scandalum mihi es.' Tanta enim ei fuit religio pro humani generis salute patiendi, ut *Petrum* primum Filii Dei confessorem, *Ecclesiae fundamentum, coelestis regni janitorem, et in terreno iudicio iudicem coeli,* satanae convicio nuncuparet. —

133. *Comment. in Matth. VIII.* — In socru *Petri* vitiosa infidelitatis aestimatur affectio, cui adiacet libertas voluntatis,

quae nos quadam sibi coniugii societate coniungit. Ergo ingressu Domini in Petri domum, in corpore curatur infidelitas peccatorum calore exaestuans et vitiorum aegra dominatu: mox deinde sanata officii famulatu ministrat. *Nam primus credidit, et apostolatu est princeps,* et quod in eo ante langvebat, Dei verbo invalescens ministeria tamquam publicae salutis operatum est. —

134. *Comm. in Matth. XVI.* — Dignum plane confessio *Petri* praemium consecuta est, quia Dei filium in homine vidisset. O in nuncupatione novi hominis felix *Ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatione illius petra, quae infernas leges et tartari portas et omnia mortis claustra dissolveret!* O beatus coeli ianitor, cuius arbitrio claves aeterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium praeiudicata auctoritas sit in coelo, ut quae in terris aut ligata sint aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant et in coelo. —

135. *Lib. VI. de Trinit.* — Super hanc confessionis petram Ecclesiae aedificatio est. *(Agit de confessione Petri.)* — Haec fides Ecclesiae fundamentum est: per hanc fidem infirmae adversus eam sunt portae inferorum. Haec fides regni coelestis habet claves. Haec fides quae in terris solverit aut ligaverit, et ligata in coelis sunt et soluta. —

136. *Operis historici fragm.* 2. *(Refert per extensum epistolam Synodi Sardicensis ad Julium PP. ut praerogativam Sedis Romanae demonstret.)* Porro eiusdem operis *fragm. 6. recitat eodem scopo epistolam Liberii PP. ad Constantium Imperatorem.* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 9. et 10.

---

137. 138.

Felix II PP. ab Athanasio et reliquis Orientis Eppis penes omnigenam Primatus recognitionem interpellatus, pro sua suprema auctoritate rescribit. A. 366.

137. MON. *Epist. Athanasii et Aegyptiorum Epporum ad Papam. Vestro* sancto suggerimus *apostolatui*, ut nostri more

solito sollicitudinem gerere dignemini iuxta vestram prudentissimam sapientiam, quae omnibus luce clarius manifesta est: quia apostolicis vestra beatitudo visceribus commota super tribulatione nostra nos omnes hortata est, ad tuitionem catholicae et apostolicae Ecclesiae in unum convenire, et de nostra oppressione canonice et unanimiter tractare. — Ideo, Pater beatissime, quia semper antecessores nostri et nos a vestra apostolica sancta sede auxilium hausimus, et nostri vos curam habere agnovimus, praefatam apostolicam et *summam* expetimus iuxta canonum decreta Sedem, ut inde auxilium capiamus, unde praedecessores nostri ordinationes et dogmata atque sublevationes ceperunt. Ad eam quoque quasi ad *matrem* recurrimus, ut eius uberibus nutriamur, quoniam non potest mater oblivisci infantem suum. Sic et vos nolite oblivisci nos vobis commissos, quoniam non levibus nos inimici nostri implicaverunt afflictionibus, et quotidie facere moliuntur, et apprehendere, aut ferris nos constringi minantur, nisi eorum consentiamus erroribus: quod nequaquam vobis inconsultis agere praesumimus: canonibus quippe iubentibus, *absque Romano nos de maioribus causis nihil debere decernere Pontifice.* Ideoque ad propositum recurrentes, et ad bravium properantes, vestrae apost. Sedis imploramus auxilium: quia, ut credimus, non despexit Deus preces cum lacrymis sibi oblatas servorum suorum, sed ob id vos praedecessoresque vestros, apostolicos videlicet praesules, in summitatis area constituit, omniumque ecclesiarum eis curam habere praecepit, ut nobis succurratis, nosque tuentes, liberare ab hostibus nostris non negligatis. Nam scimus in Nicaena magna synodo 318 epporum ab omnibus concorditer esse roboratum, *non debere absque Romani Pontificis sententia concilia celebrari, nec eppos damnari.* — Similiter et a dictis patribus est definitum consonanter, ut si quisquam epporum aut comprovinciales aut iudices suspectos habuerit, vestram sanctam *Romanam interpellet sedem, cui ab ipso Domino ligandi ac solvendi, potestas speciali est privilegio super alios concessa.* Ipsa enim firmamentum a Deo fixum et immobile percepit, quoniam ipsam formam universorum titulorum lucidissimam Dominus Iesus Christus vestram apostolicam constituit sedem. Ipsa est enim sacer vertex, in quo omnes Ecclesiae vertuntur, sustentantur, relevantur. Et sicut in Christo Christiani, ita *in petra,*

id est, Petro renovantur Ecclesiae. Tu es enim Petrus, sicut divinum veraciter testatur eloquium, et super fundamentum tuum Ecclesiae columnae, id est, episcopi, qui Ecclesiam sustinere et propriis humeris portare debent, tibi sunt confirmatae, tibique claves regni coelorum commisit atque ligare et solvere potestative quae in terra et in coelis sunt promulgavit. — O sanctissime pater patrum, abscinde blasphemias et iactantiam vaniloquiorum, et insidiantium infestationes, nos et fratres nostros opprimentium atque perdere volentium, qui ad vos quasi ad caput confugimus, ut vestro suffulti auxilio liberemur, et vobis nobisque commissas Christi oves a luporum ore, Domino adminiculante, antequam deglutiantur, eripiamus. — Almum vestrum exoramus Apostolatum, ut super his legem, quae in memorata Nicaena Synodo est promulgata, licet praedictorum insidiatorum et aliorum malorum hominum depravatione sit suffocata, reparetis, et quae necessaria fore cognoscitis, vestrae S. sedis auctoritate nos cunctosque fratres informetis. — Scimus enim, ut semper vestrae sedis praesules, primo Apostoli, deinde successores eorum fecerunt, vos universalis Ecclesiae et maxime Epporum, qui oculi propter contemplationem et speculationem vocantur Domini, curam gerere. — Vos, qui in summa specula gratia Dei estis positi, attendere eos et opprimere oportet, qui in fratres seditiones et scandala excitant. Ideoque exoramus, ut minime despiciatis humilitatis nostrae et omnium orientalium orthodoxorum sacerdotum et populorum afflictiones et deprecationes cum lacrymis oblatas, sed sicut luminaria universo mundo verbum vitae retinentes, introductas extinguite tenebras nefandissimorum insidiatorum, temporibus etiam nostris procaciter germinatas, quatenus funditus extincta huiusmodi caligine lucifer nobis resplendeat per vos, sanctissime pater, et dogmatica definitio ubique omnes laetificans, quam gloriosi Ecclesiae s. patres per propria piissima dogmata in aeternae vitae firmam haereditatem praedicasse noscuntur. —

138. *Responsum Papae.* Sacram vestram synodicam epistolam per gratiam S. Spiritus et Deo placitum studium conscriptam vestrae a Deo honorandae sanctitatis gratia libenter suscepimus, atque instanter in Synodo recitari per singula iussimus, et omnes intente eius colligere verba praecepimus: super quae dum laetari sperabamus et cupiebamus, versa est in luctum cithara nostra, cantatio in plorationem, et omne totius synodi gaudium in moe-

rorem translatum est, quia non decuerat, ut hi, qui corpus Christi quotidie proprio conficiunt ore, tantam paterentur persecutionem. — Vos monemus, fratres, in speculis esse debere, ut, in quantum potestis, et Dominus auxilium dederit, talibus (persecutoribus) nostra apostolica vestraque auctoritate resistatis, nec quisquam vestrum a fratris auxilio se subtrahat, sed pro viribus praestet adminiculum. — Incipiamus ergo adiuvante Deo et *S. Petro Apostolo, per quem apostolatus et episcopatus in Christo coepit exordium,* quoniam plures saepe emerserunt causae, quae in quibusdam non erant causae sed crimina, quia magis, ut comperimus, iniquitate quam caritate sunt fratribus impositae, et ut de cetero sollicitudo sit, ne talia eveniant, capitula quaedam a s. patribus tam in Nicaena Synodo quam et in hac Sede constituta ponamus: quibus fratres et coepiscopi nostri fulti insidias inimicorum auxiliante Domino valeant evadere. — *(Recenset Pontifex plura capitula canonum de iudiciis praesulum non apud seculares magistratus sed in synodis auctoritate episcoporum instituendis.)* — 18. Quamquam comprovincialibus eppis una cum eorum metropolitano suae provinciae epporum causas liceat caritative et concorditer agitare, *non tamen licet definire absque Romani Pontificis auctoritate.* Quodsi secus a quibusdam praesumtum fuerit, ipsi qui hoc egerint suae praesumtionis suscipiant damnum, et illi, qui ab eis perperam excommunicati aut damnati fuerint, *auctoritate huius S. Sedis et beati praeceptoris nostri clavigeri Petri potestate solvantur atque restituantur.* Ipse enim ait Dominus: Quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelis. 19. Quoties eppi se a suis comprovincialibus vel a metropolitano putaverint praegravari, aut eos suspectos habuerint, mox *Romanam appellent sedem, ad quam eos absque ulla detentione aut suarum rerum ablatione libere ire liceat.* Et dum praedictam Romanam matrem appellaverint Ecclesiam, aut ab ea se audiri exposcerint, nullus eos aut excommunicare, aut eorum sedes subripere, aut eorum res auferre, aut aliquam eis vim inferre praesumat, antequam eorum causa Romani Pontificis auctoritate finiatur. Quodsi aliter a quoquam praesumtum fuerit, nihil erit, sed viribus carebit. Nam nec hoc perperam praesumimus, sed et ipsum in Nicaena Synodo constitutum, et antecessores nostros egisse, bene, Athanasi, nosti: quoniam quando tu et Paulus CPnus, Asclepius Gazae, et Lucianus Adrianopolites ab

Orientalibus Eppis inconsulto sanctae memoriae Julio praedecessore nostro damnati estis, et ad eum quasi ad totius orbis caput, ut semper huic sedi sanctae licitum fuit, confugistis, cognita eorum nequitia et vestra iustitia vos in communionem suscepit, et omnium vestrum curam gerens propter Sedis propriae dignitatem suas singulis reddens ecclesias. — Tali huius S. Sedis privilegio tu et fratres tui proprias recepistis ecclesias, cum omnibus sibi pertinentibus. His enim et aliis quamplurimis documentis manifestum est, nullum damnari aut suis exspoliari rebus debere Eppum, qui hanc S. Sedem interpellaverit, aut sibi defensatricem adsciverit, donec iudicium de eo nostrae apostolicae auctoritatis, hoc est, principis apostolorum Petri agnoscat, quia solummodo Christus Iesus huic S. Sedi, id est, Apostolicae, facere commisit, utpote quoniam solus atque prae omnibus praefatus princeps Apostolorum creditus est, atque percipere meruit a rege regum Christo Deo claves regni coelorum. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 13. p. 11. 17.

---

139. 140.

Gregorius Nazianzenus, Petri Primatum carmine celebrat. A. 369.

139. MON. *Carmin. lib. I. sect. 2.*
— Sic etiam vitiosissimus, qualis extitit Judas,
Annon divini Pauli vocabitur genitor, aut *Petri,*
Illius petrae, quae rumpi non potest, cui commissa clavis.

140. *Carm. lib. II. sect. 1.*
— Matthaeus erat publicanus, sed venerabilis,
Non ut publicanus, sed ut Spiritu plenus.
Petrus discipulorum caput, sed Petrus erat
Non ut piscator, sed ut fidei studio flagrans. —
Migne *Patr. Gr.* t. 20.

Asterius Amasenus Eppus, circa fin. sec. IV. Primatum Petri verbis excellentibus commendat, ita, ut vix quisquam illa aetate praerogativam hanc illustrius explicuerit.

MON. *Homil. 8. in ss. principes apostolos Petrum et Paulum.* — Isaias vaticinio ait: posuisse Patrem, Filium lapidem angularem: nimirum significans, mundi totam concretionem illo fundamento ac basi nixam esse. Quin et rursum Unigenitus, uti sacris Evangelii libris conscriptum est, *Petrum, Ecclesiae fundamentum* dicit: Tu es Petrus etc. Primus enim revera hic ceu grandis quidam ac durus lapis, in mundi huius cava demissus est, sive in convallem plorationis, quemadmodum David ait; ut Christianos omnes superaedificatos portans, in sublime, nempe ad spei nostrae domicilium subvehat. ‚Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.‘ Sed et simili quoque Salvator noster appellatione primum suum discipulum honestandum duxit, nominans fidei petram. *Per Petrum* ergo, verum ac fidelem pietatis doctorem effectum, *Ecclesiarum stabilis inflexaque firmitas consistit.* — *Petrus* — rectam nihilque perversi habentem fidei regulam confessus, cunctisque nobis inviolabili lege tradens pietatis sermonem, haud indonatus abiit ac sine praemio: quin potius ab eo (Iesu) beatus nuncupatus, — *fidei petra appellatur, fundamentumque ac basis Dei Ecclesiae. Accipit* vero per promissionem *claves regni,* eiusque portarum efficitur dominus, ut aperiat quibus voluerit, claudat vero quibus iure claudendae sunt. — Cum *Salvator* sponte assumta morte humanum genus sanctificaturus esset, ceu peculiare quoddam depositum ac peculium, *universalem ac orbe toto diffusam viro huic commendat Ecclesiam,* ubi tertio interrogasset illud: Amas me? Cumque is, multa alacritate singulis interrogationibus totidem professiones adiecisset, *mundi curam accepit, velut unum gregem unus pastor;* — fereque sui loco *dedit Dominus fidelissimum discipulum, in patrem, pastoremque ac magistrum* iis, qui essent accessuri ad fidem. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 22. p. 1067.

142—143.

Optatus, A. 370. ss. cathedram Romanam Petri, in qua una unitas ab omnibus servaretur, extollit.

142. MON. *De schism. Donatist. lib. II.* — Probavimus eam esse Ecclesiam Catholicam, quae est in toto terrarum orbe diffusa : eius iam commemoranda sunt ornamenta, et videndum ubi sint quinque dotes, quas tu (Parmeniane) sex esse dixisti ; inter quas *Cathedra* est prima, ubi nisi sederit Eppus, coniungi altera dos non potest, qui est angelus ; videndum est, quis et ubi prior cathedram sederit ? Si ignoras, disce : si nosti, erubesce ; ignorantia tibi adscribi non potest, restat ergo ut noveris. Scientem errare peccatum est, nam ignorantibus nonnumquam solet ignosci. Igitur negare non potes scire te, *in urbe Roma Petro primo cathedram eppalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus,* unde et Cephas appellatus est : *in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur,* ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret. Ergo cathedram unicam, quae est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui succesit Linus, etc. — Damaso Siricius, qui noster est socius, cum quo nobiscum totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat. Vestrae Cathedrae vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare. Sed et habere vos in urbe Roma partem aliquam dicitis : ramus est vestri erroris, protentus de mendacio, non de radice veritatis. Denique si Macrobio dicatur, ubi illic sedeat, numquid potest dicere : in Cathedra Petri ? —

143. *Eiusd. op. lib. VII.* — Quodsi de recipiendis vobis (Donatistis) Catholica (Ecclesia) dubitaret, nonne vos debuistis unitatis assequi formam ? sed exempla in Evangelio lecta proponere noluistis, ut est lectio de persona beatissimi *Petri, ex qua forma unitatis retinendae vel faciendae descripta recitatur.* Equidem malum est contra interdictum aliquid facere, sed peius est unitatem non habere cum possis. Quam unitatem ipsum Chri-

stum videmus praeposuisse vindictae suae, qui magis omnes discipulos suos voluit in uno esse, quam quod offensus fuerat vindicare : dum nollet se negari, promisit (minatus est) se apud Patrem negaturum esse qui se negaret; et cum haec ita scripta sint, tamen bono unitatis beatus *Petrus*, cui satis erat si post quod negavit solam veniam consequeretur, *et praeferri Apostolis omnibus meruit, et claves regni coelorum communicandas ceteris solus accepit.* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 11.

144—147.

Epiphanius, A. 371. ss. Petri Primatum, eiusque primorum successorum historiam, tamquam rem, e qua veritas certa ostenditur, commendat.

144. MON. *Adv. haeres. lib. I. haer.* 27. — Ex horum factione (Carpocratianorum) Marcellina quaedam ad nos venit, quae *Aniceti* Romani Eppi tempore plerosque labefactavit; Aniceti, inquam, illius, qui Pio aliisque Pontificibus successit. Etenim *Romae* primi omnium Petrus et Paulus apostoli pariter atque episcopi fuerunt. Inde Linus, tum Cletus. Post hunc Clemens, Petri et Pauli temporum aequalis, de quo Paulus meminit ad Romanos (Philippenses) scribens, etc. — Ac nemini sane mirum videatur, cur singula tanta cum diligentia percurrerim. *Per haec enim perpetuo certa accurataque veritas ostenditur.* —

145. *Lib. II. haer. 51.* — Post baptismum statim illinc Nazaretum proficiscitur, (Jesus) ibique sine ullis adhuc discipulis mansit. Hinc ad Joannem contendit, quo tempore *Petrus* Andreae vocatus est opera. — Nec est quod ista scrupulosius exquirens dubitet quispiam, quod Andream primum occurrisse Jesu videat, deinde Petrum, qui per illum sit vocatus, ob eamque causam succenseat. Etenim Andreas prior in Dominum incidit, quo Petrus erat aetate iunior. *Postea vero, cum absoluta illa suscepta est omnium rerum abdicatio, initium est a Petro factum. Tunc enim et ipse fratri suo praeivit. Accedit quod Deus humanorum cordium nutus ac propensiones animadvertit,*

ac qui sit primo loco dignus, intelligit. Quare Petrum discipulorum suorum principem elegit. —

146. *Eiusd. Lib. haer. 59.* — Nihil ex poenitentia mali redundat. Excipit ergo poenitentes Dominus, necnon eius Ecclesia, quemadmodum Manasses Ezechiae filius conversus est, et a Domino receptus, itemque *princeps apostolorum Petrus*, qui Dominum aliquando negavit. *Qui quidem solidae petrae instar nobis extitit, cui velut fundamento Domini fides innititur, supra quam Ecclesia modis omnibus exstructa est.* In primis quidem, quod Christum Dei vivi Filium esse confessus est, idque vicissim audiit: ‚Supra hanc solidae fidei petram aedificabo Ecclesiam meam.' — Porro de Spiritu S. idem ille nos *Petrus* certiores efficit, cum sic Ananiam alloquitur: ‚Quid utique tentavit vos satanas mentiri Spiritui S.? non homini mentiti estis, sed Deo.' Hoc enim eo dictum est, quod ex Deo Spiritus profectus sit, nec ab eo sit alienus. Verum et ille quoque *firmissimus structurae lapis, ac divinae domus fundamentum* fuit, cum negato Christo reversus ad sese, velut repertus a Domino, et honore tanto affectus, audiit: ‚Pasce oves meas,' et: ‚Pasce agnos meos,' ac tertio: ‚Pasce oves meas.' —

147. *Ancorati cap. 9.* — *Princeps Apostolorum* — felix a Domino praedicari meruit, eo quod Pater ipsi revelasset. Huic igitur germanum suum Filium Pater indicat, et beatus idcirco dicitur. At ille ipse rursum Spiritum S. patefecit: sic enim ei, qui inter Apostolos primus esset, consentaneum erat, *solidae,* inquam, *illi petrae, supra quam est Ecclesia Dei fundata,* et portae inferi non praevalebunt illi. Quarum portarum nomine haereses et haereseon conditores intelliguntur. *Omnibus quippe modis in eo stabilita fides est, qui coeli claves accepit, et in terra solvit et ligat in coelo.* — Hic est, qui tertio negavit, — qui audito galli cantu flevit, ut vere comprehensum Dei Filium non specie tenus ostenderet, et ut comprehensum illum traditumque prosequendo lacrymis, verum hominem esse monstraret. — A quo Petrus audiit: Pasce agnos meos; *cui gregis est commissa custodia, quem Domini sui virtute fretus praeclare gubernat ac regit.* — **Migne** *Patr. Gr.* t. 23.

Basilius M. A. 372. ss. de Petro Apostolo tamquam Ecclesiae fundamento, cui soli maiora quam aliis data sint testimonia; et de Eppo Romano velut supremo Ecclesiae rectore loquitur.

148. MON. *Lib. II. advers. Eunom.* — Sed quis mentis compos ad hanc sententiam accesserit, quod quorum nomina sunt diversa, horum etiam substantias diversas esse necesse sit? Petri enim et Pauli, et in summa hominum omnium appellationes sunt quidem diversae, sed tamen omnium una substantia est. Quapropter in plurimis iidem inter nos sumus, et solis proprietatibus, quae in unoquoque considerantur, alter ab altero differimus. Unde et appellationes non substantias, sed proprietates, quibus quisque designatur, significant. Itaque cum audimus *Petrum,* non eius substantiam hoc nomine intelligimus, sed proprietates, quae circa eum considerantur, cogitatione depingimus. Illico enim per hanc vocem intelligimus Ionae filium, qui fuit ex Bethsaida, Andreae fratrem, *qui ex piscatore ad apostolatus ministerium vocatus est, qui, quoniam fide praestabat, Ecclesiae aedificationem in seipsum recepit.* —

149. *Homil. de Poenit.* — *Petrus* ter negat, tamen *in fundamento collocatur.* — Dixerat Petrus, et benedictionem consecutus fuerat; dixerat: ‚Filius es Dei' altissimi: cumque audisset: ‚*Petra es,*' praeconio nobilitatus est. Quamquam autem petra est, non ut Christus petra, sed ut Petrus petra; Christus enim vere petra est inconcussa, Petrus vero propter petram. Nam Iesus dignitates suas largitur, nec exhauritur, sed quae tribuit, retinet, — Petra est, petram facit, et servis dat sua. —

150. *Serm. 7.* — Beatus *Petrus omnibus discipulis praelatus, cui sola maiora data quam aliis sunt testimonia,* qui praedicatus est beatus, *cui claves regni coelorum concreditae sunt.* —

151. *Epist. 69. ad Athanasium Ep. Alex. A. 371.* — Nobis operae pretium esse visum est, ad *Eppum Romae* scribere, ut res nostras invisat, et consilium dare, ut cum illinc communi ac synodico decreto aliquos mitti difficile sit, ipse hoc negotium suo marte adgrediatur, eligens homines idoneos ad perferendos

itineris labores; idoneos ad eos, qui apud nos perversi sunt, lenitate ac animi constantia corrigendos; apte et attemperate utentes sermone, secumque habentes quaecunque post Ariminense concilium gesta sunt, ad eorum, quae per vim illic acta fuerant, dissolutionem. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 17. 18.

152.

Ex sermone **Isaaci Armenorum Patriarchae,** sec. IV. in quo Petrum vocat ‚apostolici chori principem', super quem Ecclesia aedificata sit.

MON. — Divinum effatum dum Ecclesiam nobis indicat, non intelligit illam confectam ex lapidibus et lignis, sed coetum hominum aedificatum supra firmam petram. Vera ergo illa fides est Ecclesia, quae colligit nos, et aedificat in unam unitatem scientiae Filii Dei. Idem ipse enim vivificans Christus nos docet, *cum ait Petro: tu es petra, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus te. Quid igitur intelligendum nobis est, dum petram audivimus vocari Petrum? Num quasi aliquam petram? Absit. Sed hominem rationalem, apostolici chori principem.* Ipse vero, quia inconcussa fide Christum Filium Dei confessus est, beatitudinem acquisivit, ac petra vocatus est. — **Maii** *Scriptorum Veterum nova collectio.* T. X. Romae. 1838. Part. 2. p. 281.

153—164.

Damasus PP. A. 366. Pontificatui admotus, sub diuturno suo regimine quemadmodum ipse Primatus iura exercuit, ita a Conciliis, Caesaribus, populis pro supremo Ecclesiae Rectore habitus recognitusque fuit.

153. **C. Romani** *epist. ad Imper. Gratianum et Valentinianum A. 378. vel 381. contra factionem Ursicini, et Rescriptum* **Gratiani Caesaris:** *in quibus Rom. Pontificis summa auctoritas agnoscitur, eiusve iudicio standum esse decernitur.* Et hoc gloriae vestrae, clementissimi principes, pietatisque est illustre documentum, quod innumeri fere ex diffusis Italiae partibus ad sublime Sedis Apostolicae sacrarium congregati, cum quaereremus, quid pro Ecclesiarum statu poscendum esset a vobis, nihil melius potuimus reperire, quam quod spontanea vestri providentia contulistis. — Namque a principio, divino repleti spiritu et ss. apostolorum, quorum habetis in vestro honore suffragium, servantes in dominica religione praeceptum, statuistis ad redintregandum corpus Ecclesiae, quod furor Ursicini, qui honorem arripere est conatus indebitum, diversas secuerat in partes, ut auctore damnato, ceterisque, quos ad turbarum sibi incentiva sociaverat, sicut oportebat a perditi coniunctione divulsis, de reliquis ecclesiarum sacerdotibus Epus Romanus haberet examen: ut et de religione religionis pontifex cum consortibus iudicaret, nec ulla fieri videretur iniuria sacerdotio, si sacerdos nulli usquam profani iudicis, quod plerumque contingere poterat, arbitrio facile subiaceret. Praeclara ista plane et religiosis principibus digna sententia, quae divino ministerio plurimum deferat, nec pateat errori. — Sed quoniam, licet iam dudum vestrae clementiae iudicio relegatus Ursicinus per eos, quos illicite sacrilegus ordinavit, vilissimum quemque occulte sollicitare conatur, eoque exemplo nonnulli episcopi, qui male ecclesiis incubant, usu temeritatis suae et profani conspi-

ratione contemtus, ne acquiescant Romani Sacerdotis iudicio, lacessunt, ita, ut etiam qui se intelligunt pro meritorum suorum ratione damnandos vel damnatos esse viderunt, redemta vulgi multitudine iudices suos terrore mortis exagitent, contemtisque cognitoribus vel fugatis illicitum obtineant sacerdotium: idcirco statuti imperialis non novitatem sed firmitudinem postulamus. Indignum quippe est, ut conventus quisque adhibita manu eo sit munitior, quo flagitiosior fuerit. — Sic factio profecit Ursicini, ut Isaac Iudaeo subornato, qui facto ad synagogam recursu coelestia mysteria profanavit, sancti fratris nostri Damasi petcretur caput, sangvis innocentium funderetur, componerentur doli etc. — Quaesumus clementiam vestram, ut iubere pietas vestra dignetur, quicunque vel Eius, vel nostro iudicio, qui catholici sumus, fuerit condemnatus, atque iniuste voluerit ecclesiam retinere, vel vocatus a sacerdotali iudicio per contumaciam non adesse, seu ab illustribus viris Praefectis praetorio Italiae vestrae, sive a Vicario accitus ad urbem Romam veniat; aut si in longinquioribus partibus huiusmodi emerserit quaestio, ad Metropolitani per locorum iudicia deducatur examen, vel si ipse metropolitanus est, Romam necessario, vel ad eos, quos Romanus Eppus iudices dederit, contendere sine dilatione iubeatur. — Memoratus frater noster Damasus, quoniam in sua causa vestri tenet insigne iudicii, non fiat inferior his: quibus etsi aequalis est munere, praerogativa tamen Apostolicae Sedis excellit; non novum aliquid petit, sed sequitur exempla maiorum; — nam et Silvester Papa a sacrilegis accusatus apud parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est; et de Scripturis similia exempla suppetunt, quod cum a praeside S. Apostolus vim pateretur, Caesarem appellavit, et ad Caesarem missus est. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 13. p. 575.

154. *Rescriptum Gratiani Imperatoris.* — — Volumus, ut quicunque iudicio Damasi, quod ille cum consilio quinque vel septem habuerit episcoporum, vel eorum, qui catholici sunt, iudicio vel consilio condemnatus fuerit, si iniuste voluerit ecclesiam retentare, ut qui evocatus ad sacerdotale iudicium per contumaciam non ivisset, aut ab illustribus viris praefectis praetorio Galliae atque Italiae — auctoritate adhibita ad episcopale iudicium remittatur, ut ad urbem Romam sub prosecutione perveniat, aut si in longinquioribus partibus alicuius ferocitas talis

emerserit, omnis eius causae dictio ad metropolitae in eadem provincia episcopi deducatur examen, vel si ipse metropolitanus est, Romam necessario, vel ad eos, quos Romanus Eppus iudices dederit, sine dilatione contendat. — Quodsi vel metropolitani episcopi, vel cuiuscunque sacerdotis iniquitas est suspecta aut gratia, ad Romanum Eppum, vel ad Concilium quindecim finitimorum Epporum accersitum liceat provocare: modo ne post examen habitum quod definitum fuerit integretur. — **Harduini** *Conc.* I. 839. ss.

155. *Edictum Imper. Gratiani, Valentiniani et Theodosii ad populum CPnum, in quo religionem a Petro Apostolo Romanis traditam, quam Damasus tenet, sequendam decernunt.* Cunctos populos, quos clementiae nostrae regit temperamentum, in tali volumus religione versari, *quam divum Petrum Apostolum tradidisse Romanis* religio usque ad nunc ab ipso insinuata declarat, *quamque Pontificem Damasum sequi claret*, et Petrum Alexandriae Eppum virum apostolicae sanctitatis; hoc est, ut secundum apostolicam disciplinam evangelicamque doctrinam Patris, Filii, et Spiritus S. unam deitatem sub parili maiestate et sub pia trinitate credamus. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 13. p. 530.

156. **C. Aquilejense** *A. 381. in epistola ad Imperatores Gratianum etc. primatum Romanae Sedis profitetur, Romanam Ecclesiam totius orbis Caput nominat, indeque iura commonitionis dimanare enunciat.* Provisum est quidem, Clementissimi Principes, vestrae tranquillitatis statutis, ne Arianorum perfidia ulterius possit latere vel serpere. Etenim effectum Concilii decretis putamus minime defuturum. Sed tamen, quantum ad partes spectat Occidentis, duo tantum reperti sunt, (Palladius, et Secundianus) qui auderent profanis et impiis vocibus obviare Concilio, iuxta angulum Ripensis Daciae turbare consveti. Aliud est, quo magis angimur, de quo quoniam convenimus fuit rite tractandum, ne totum corpus posset ecclesiae toto orbe diffusum, et universa turbare. Nam licet frequenter compererimus ‚Ursicinum' non potuisse obrepere pietati vestrae, quamvis quietum nihil esse patiatur, et inter bellicas necessitates obreptio importuna tentetur: tamen ne sancta mens vestra animique tranquillitas, quae omnibus consulere gestit, importuni hominis simulata adulatione flectatur, deprecandos vos et obsecrandos, si dignanter ducitis, aestimamus: non solum prae-

caventes futura, sed etiam praeterita, quae iam ipsius temeritate gesta sunt, perhorrescentes. Nam si aliquam viam nactus fuerit audaciae, quid non ille confundat? — Quid quod — cum Arianis copulatus atque coniunctus erat eo tempore, quo turbare Mediolanensem ecclesiam coetu detestabili moliebantur, cum Valente nunc ante synagogae fores, nunc in Arianorum domibus miscens occulta consilia et suos iungens? — Cum igitur scriptum sit: ‚Haereticum post unam correctionem devita', cum et alius vir sancto locutus spiritu dixerit declinandas huiusmodi bestias, nec salutatione recipiendas atque congressu: quomodo fieri potest, ut eum, quem societati eorum insertum vidimus, non etiam assertorem perfidiae iudicemus? Quod etiamsi deforet, tamen totius orbis Romani caput, Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam fidem apostolorum ne turbari sineret, obsecranda fuit Clementia vestra. Inde enim in omnes veneranda commonitionis iura dimanant. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 13. p. 587.

157. **Conc. Romani** *definitio de primatu Romanae Sedis, quam neque maculam, neque rugam, neque aliud huiusmodi habere confitetur. A. 382.* — Post has omnes propheticas, et evangelicas, et apostolicas, quas superius depromsimus, Scripturas, quibus Ecclesia Catholica per gratiam Dei fundata est, etiam intimandum putavimus, quod quamvis per orbem diffusae catholicae Ecclesiae quasi unus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana Ecclesia nonnullis synodicis constitutis, sed et evangelica voce Domini Salvatoris nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus etc. Addita etiam est societas beatissimi Pauli Apostoli, vasis electionis, qui non diverso, sicuti haeretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Caesare Nerone agonisans coronatus est, et pariter supradictam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, aliisque omnibus universo mundo sua praesentia et venerando triumpho praetulerunt. *Est ergo prima Petri Apostoli Sedes Romana Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, neque aliud huiusmodi.* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 13. p. 374.

158. **Aurelius Carthaginensis** *ad Damasum PP. cuius summam recognoscit auctoritatem.* Gloriam Apostolicae Sedis et vestrae sublimitatis gratiam nostra humilitas exorat, ut statuta, quae reperire poteritis post finem beati principis apostolorum Petri usque ad vestrae sanctitatis principium, *iuxta apost.*

Sedis auctoritatem, quam cognovimus per vestrae sapientiae sanctitatem gubernari, nobis scripta mittere dignemini. Quatenus per vestrae sanctitatis nobilitatem atque prudentiam *nosse valeamus, quae in praefata S. Sede supradictis temporibus sunt decreta, et qui adversus canonum Apostolorum instituta gesserunt, cognoscantur.* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 130. p. 5.

159. *Damasi responsum ad Aurelium.* Scripta sanctitatis tuae debita veneratione suscepimus, in quibus sitire venerationem ac prudentiam tuam apostolica instituta, ut dignum erat, cognovimus. Qua de re quaedam ex his, quae petisti, misimus, et quaedam adhuc, cum iterum miseris, mittere cupimus. — Quae te et custodire optamus, et aliis praedicanda ac publicanda mandamus, ut ab omnibus inviolate debita veneratione custodiantur, — quia voluntarii violatores canonum graviter a s. patribus iudicantur, et a Spiritu S. cuius instinctu ac dono dictati sunt, damnantur, quoniam blasphemare Spiritum S. non incongrue videntur, qui contra eosdem s. canones non necessitate compulsi, sed libenter aliquid proterve agunt aut loqui praesumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim paesumtio manifeste unum genus est blasphemantium Spiritum S. — Idcirco norma ss. canonum, qui sunt Spiritu Dei conditi, et totius mundi reverentia consecrati, fideliter a nobis est scienda, et diligenter tractanda, ne quovis modo ss. patrum statuta absque inevitabili necessitate, quod absit, transgrediamur, sed fidelissime per ea gradientes, cum eis, qui eos instinctu condiderunt divino, mercedis gloriam, et laboris cumulum eorum meritis auxiliante Domino habere mereamur. His itaque rite deliberatis, et ad ecclesiarum vestrarum notitiam — perlatis, parere vos eorumdem s. canonum regulis summopere convenit, ne in aliquo eis obviare quorumdam ignavia faciat, sed vestra sapiens et sana doctrina, quae cupit vos per omnia placere Deo, illis cohaeredes et comparticipes coelestis regni in sedibus fideles cooperatores ostendat. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 13. p. 423.

160. *Eiusdem Epist. ad Eppos Orientis.* Confidimus quidem sanctitatem vestram Apostolorum instructione fundatam eam tenere fidem eamque plebibus intimare, quae a maiorum institutis nulla ratione dissentiat. Neque enim aliter Dei sentire convenit sacerdotes, quorum pars est ceteros erudire. Sed Gallorum atque Venetensium fratrum relatione comperimus, nonnullos

non haeresis studio, neque enim hoc tantum mali cadere in Dei antistites potest, sed inscitia vel ex simplicitate quadam scaevis interpretationibus aestuantes non satis dispicere, quae magis patrum nostrorum sit tenenda sententia, cum diversa consilia eorum auribus ingerantur. — Par est igitur universos magistros legis per orbem Romanum paria de lege sentire, nec diversis magisteriis fidem dominicam violare. Nam cum dudum haereticorum virus, ut nunc iterum, coepit obrepere, ac praecipue Arianorum blasphemia pullulare coepisset, maiores nostri 318 Eppi atque ex urbe sanctissimi Eppi urbis Romae directi apud Nicaeam confecto concilio hunc murum adversus arma diabolica statuerunt, atque hoc antidoto mortalia pocula propulsarunt, ut Patrem, Filium, Spiritumque S. unius deitatis, figurae, unius credere oporteret substantiae, contra sentientem alienum a nostro consortio iudicantes. Quam definitionem salutarem postea aliis tractatibus quidam pervertere et violare tentaverunt. Sed et in ipso exordio ab iisdem ipsis, qui hoc apud Ariminum rectractare cogebantur, emendatum hactenus est, ut subreptum sibi alia disputatione faterentur, idcirco, quod non intellexissent patrum sententiam apud Nicaeam formatam esse contrariam. Neque enim praeiudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt: cum constet, neque *Romanum Eppum, cuius ante omnes fuit expetenda sententia*, neque Vincentium, qui tot annos illibate sacerdotium servavit, neque alios huiusmodi statutis consensum aliquem commodasse. — Unde advertit sinceritas vestra, hanc solam fidem, quae apud Nicaeam apóstolorum auctoritate fundata est, perpetua firmitate esse retinendam. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 13. p. 347.

161. *Epist. Stephani AEppi et trium conciliorum Africae ad Damasum PP.* Notum vestrae facimus beatitudini, quod quidam fratres in confinio nobis positi quosdam fratres nostros, *venerabiles* videlicet *episcopos, vobis inconsultis a proprio deiiciunt gradu,* vel deiicere moliuntur, *cum vestrae Sedi Epporum iudicia et summorum finem ecclesiasticorum negotiorum in honore beatissimi Petri patrum decreta omnium reservavere,* quae omni cura et sollicitudine observare debemus. *Maxime vero debent ab ipso Praesulum negotia examinari apostolico vertice,* cuius vetusta sollicitudo est, tam mala damnare, quam revelare laudanda. Antiquis enim regulis censitum est, ut quidquid ho-

rum quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almae Sedis vestrae fuisset deductum, ut eius auctoritate iuxta quod fuisset pronunciatum firmaretur, et reliqua multoties talia et his similia, quae super his constituta sunt; quibus si illicite factum est, ut semper vestrae sedi consvetudo fuit occurrite festinanter, et his viriliter ut pater pro filiis certantes, state sicut bene a Iesu filio Sirach dictum est: ‚Usque ad mortem certa pro veritate, et semper Dominus Deus tuus pugnabit pro te.' — **Migne** *Patr. Lat.* t. 130. p. 659.

162. *Responsum PP. ad Stephanum ceterosque Africanae provinciae Eppos.* Lectis fraternitatis vestrae literis, primo gratias ago, quod tantorum fratrum merui benedictione frui, deinde quod circa fratres sollicitos vos reperi et cum eis crucem Domini deferre. — Oportet nos, qui supra domum eius (Domini), hoc est, universalem ecclesiam catholicam, episcopale suscepimus ministerium, sollicite vigilare, ne de sacris eius muneribus, id est, apostolicis viris apostolorumque successoribus atque ministris quisquam nobis dormitantibus valeat supprimi atque iniuste nobisque inconsultis damnari. Scitis, fratres carissimi, *firmamentum a Deo fixum et immobile* atque titulum lucidissimum suorum sacerdotum, id est, omnium epporum, *Apostolicam Sedem esse constitutam*, et verticem ecclesiarum. Tu es enim, sicut divinum pronunciat verbum veraciter, Petrus, et super firmamentum tuum Ecclesiae columnae, qui eppi intelliguntur, confirmatae sunt, et tibi claves regni coelorum commisi, atque ligare et solvere potestatem quae in coelis sunt et quae in terris promulgavi. Tu profanorum hominum et membrorum meorum maximeque discipulorum meorum existis ut princeps et doctor orthodoxae et immaculatae fidei, cuius vice hodie gratia Dei legatione pro Christo fungimur, et omnes huius S. Sedis praesules eius vicem gesserunt, gerunt et gerent. Ideo omnia, quae innotuistis, non licere mandarem, nisi vos tam pleniter instructos esse scirem, quod cuncta, super quibus consulitis, illicita esse non dubitetis. Discutere namque Eppos, et summas eccles. negotiorum causas metropolitano una cum omnibus suis comprovincialibus ita, ut nemo ex iis desit, et omnes in singulorum concordent negotiis, licet: sed *definire* eorum atque eccles. causarum summas querelas vel damnare eppos *absque huius S. Se-*

dis auctoritate minime licet, quam omnes appellare, si necesse fuerit, et eius fulciri auxilio oportet. Nam, ut nostis, synodum sine eius auctoritate fieri non est catholicum, nec eppus nisi in legitima synodo et suo tempore apostolica vocatione congregata definite damnari potest, neque ulla unquam concilia rata leguntur, quae non sunt fulta apostolica auctoritate. — Monentes instruere debetis vicinos vestros, ut quae illicite contra fratres egerunt, cito corrigant, et quos nobis inconsultis laeserunt, plena satisfactione sanent et cito sibi eos reconcilient, si noluerint apost. sedis suscipere censuram. — A talibus deinceps omnes se abstineant sacerdotes, qui noluerint ab apostolicae petrae (super quam Christus universalem construxit Ecclesiam, cui epporum summa iudicia atque maiores causae reservatae sunt atque solidatae) censura ac sacerdotali honore secludi. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 13. p. 424.

163. **C. CPni I. Gener.** 2. *epistola synodica ad Damasum PP. A. 381. v. 382. scripta, in qua de statu suo referentes, simul ad Concilium Romanum deputatos Eppos indicant.* Multitudinem calamitatum nobis ab Arianorum potentia inflictarum Reverentiam vestram velut eas ignorantem docere et enarrare supervacaneum videtur. Neque enim tam parvi res nostras ducere arbitramur pietatem vestram, ut de his doceri opus habeat, quibus condolere oportebat : neque eiusmodi erant tempestates, quibus conflictati sumus, ut latere ob tenuitatem potuerint. Sed et recens tempus persecutionum vivam adhuc servat memoriam non in iis modo qui passi sunt, sed in iis etiam qui perpessorum aerumnas per caritatem participant. — Pro his Deo habenda est gratia, qui tantis afflictionibus servos suos erudivit, et secundum multitudinem miserationum suarum eduxit nos in refrigerium. — Nunc vero postquam Synodum Romae Dei nutu congregantes, nos etiam pro fraterna erga nos caritate vestra tamquam membra propria per religiosissimi Imperatoris literas evocastis, ne quia soli tunc ad subeundas aerumnas fuimus addicti, nunc in ista Imperatorum de pietate concordia soli regnetis, sed nos etiam vobiscum, ut ait Apostolus, conregnemus : optabamus, si fieri posset, omnes simul relictis ecclesiis desiderio potius quam utilitati servire. Quis enim nobis dabit pennas sicut columbae, ut volemus et requiescamus apud vos? Verum quia hoc erat Ecclesias nuper renovari coeptas

denudare et rem praestare pars magna non poterat, convenerāmus enim CPlim ad literas a Reverentia vestra superiore anno post concilium Aquilejense ad religiosissimum Imperatorem Theodosium missas, ad hoc solum iter CPlim usque instructi, et de hac tantum synodo Epporum, qui in provinciis remanserunt, consensum afferentes, cum de longioris profectionis onere nec suspicati essemus, nec ante quidquam audissemus quam CPlim pervenimus; cum praestituti quoque temporis angustia neque ad longius iter adornandum neque ad episcopos communionis nostrae, qui in provinciis erant, commonefaciendos eorumque consensus obtinendos satis esset: quoniam haec multaque ad haec alia plurimos venire prohibebant: quod proximum erat, tum ad res constituendas, tum ad vestram erga nos benevolentiam declarandam, rever. fratres et collegas nostros eppos Cyriacum, Eusebium, et Priscianum exoravimus, ut proficiscendi ad vos laborem libenter susciperent, per quos et pacifica unitatemque spectans voluntas noštra, et incensum sanae fidei studium patefiat. — — **Harduini** *Conc.* I. 821.

164. *Rescriptum Damasi PP. ad Eppos Numidiae.* Licet, fratres carissimi, vobis sint nota patrum decreta, mirari tamen non possumus vestram solertiam circa instituta maiorum, *ut cuncta, quae possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quasi ad Caput, ut semper fuit consvetudo, deferre non desinatis, ut inde capiatis responsa, unde accepistis institutionem et normam recte vivendi.* Unde et vos non immemores canonum esse recordamur, qui id ipsum fieri praecipiunt, non ut vobis scientiae ecclesiasticae regulae aliquid desit, sed *ut auctoritate Sedis Apostolicae fulti in nullo ab eius devietis regulis.* (‚Sequitur fusior institutio de Chorepiscopis.') — **Migne** *Patr. Lat.* t. 13. p. 431.

165—166.

Siricius, PP. A. 385. ss. partim ad quaesita Praesulum pro sua suprema auctoritate rescribit, partim decreta circa disciplinam edit.

165. MON. *Epist. ad Himerium Eppum Tarraconensem.* Directa ad decessorem nostrum sanctae recordationis Damasum

fraternitatis tuae relatio me iam in sede ipsius constitutum, quia sic Dominus ordinavit, invenit. Quam cum in conventu fratrum sollicitius legeremus, tanta invenimus, quae reprehensione et correctione sint digna, quanta optaremus laudanda cognoscere. Et quia necesse nos erat in eius labores curasque succedere, cui per Dei gratiam successimus in honore : facto, ut oportebat, primitus meae provectionis indicio, ad singula, prout Dominus adspirare dignatus est, consultationi tuae responsum competens non negamus : *quia officii nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis christianae religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium qui gravantur, quinimo haec portat in nobis beatus apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suae protegit et tuetur haeredes.* — (Responsis ad quaesita redditis, sic concludit:) Explicuimus, ut arbitror, frater carissime, universa quae digesta sunt in querelam, et ad singulas causas, de quibus per filium nostrum Bassianum presbyterum ad *Romanam Ecclesiam, utpote ad caput tui corporis*, retulisti, sufficientia quantum opinor responsa reddidimus. Nunc fraternitatis tuae animum ad servandos canones et tenenda decretalia constituta magis ac magis incitamus etc. —

166. *Ep. ad Eppos Africae.* Cum in unum plurimi fratres convenissemus ad S. Apostoli *Petri* reliquias, *per quem et apostolatus et episcopatus in Christo coepit exordium*, placuit propter emergentes plurimas causas, quae in aliquantis non erant causae sed crimina, de cetero sollicitudo esset unicuique in Ecclesia curam habere, sicut apostolus praedicat Paulus, talem Deo Ecclesiam exhibendam non habentem maculam neque rugam, ne per alicuius morbidae ovis afflatum conscientia nostra contaminata videretur. — *(Sequuntur constituta de ordinatione epporum,* etc.) — **Migne** *Patr. Lat.* t. 13. p. 1131. ss.

167—177.

Ambrosius, Petro concessas praerogativas uberrime evolvit, eum pastorem appellat dominici gregis, ei soli gratiam Primatus concessam docet, haecque omnia in Siricio quoque Papa, ad quem literas direxit, veneratur. Sec. IV.

167. MON. *Enarr. in Psalm. 40.* — Persecutor super terram, et in infernum cadit: Christus super resurrecturos, Christus super petram, Christus super Ecclesiam. Audi, quomodo super Ecclesiam cadat. Retro erat Petrus, et sequebatur eum, cum a Iudaeis ad Caiphae domum synagogae principis duceretur. *Ipse est Petrus, cui dixit:* ‚Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.' *Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia;* ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita aeterna. Et ideo addidit: ‚Et portae inferi non praevalebunt ei, et tibi dabo claves regni coelorum.' *Beatus Petrus, cui non inferorum porta praevaluit, non coeli porta se clausit, sed e contrario destruxit inferni vestibula, patefecit coelestia. In terris itaque positus coelum aperuit, inferos clausit.*

168. *Enarr. in Psalm. 43.* — Ad *Petrum* dictum est: ‚Simon, ecce satanas expostulavit, ut ventilet vos sicut triticum, *ego autem rogavi Patrem meum, ut non deficiat fides tua.*' — *Petrus Ecclesiae praeponitur*, postquam tentatus a diabolo est. Ideoque ante significat Dominus, quid sit illud, quod postea *eum pastorem elegit Dominici gregis.* Nam huic dixit: *‚Tu autem conversus confirma fratres tuos.'* Conversus est ergo S. Ap. Petrus ad bonam frugem, et ventilatus est sicut triticum, ut esset ipse cum sanctis Domini unus panis, qui nobis esset alimentum. Dum enim Petri actus legimus, Petri praecepta cognoscimus, fit nobis vitae aeternae et salutis alimentum.

169. *Expos. Evang. sec. Luc. lib. 10.* — Ergo quia S. Matthaeus illa praelibaverat, S. Lucas eam sibi navim, in qua Petrus piscaretur, elegit. Non turbatur ista, quae Petrum habet, etsi multa illic discipulorum merita navigabant, tamen eam

adhuc perfidia proditoris agitabat. In utraque Petrus: sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. — Ergo non turbatur haec navis, in qua prudentia navigat, abest perfidia, fides aspirat. *Quemadmodum enim turbari poterat, cui praeerat is, in quo Ecclesiae firmamentum est?* Illic ergo turbatio, ubi modica fides. — Denique etsi aliis imperatur, ut laxent retia sua, *soli* tamen *Petro dicitur: duc in altum*, hoc est, in profundum disputationum etc. — *Petrus* vidit solus Dominum. — Alibi cum Ioanne, alibi solus, ubique tamen impiger currit, *ubique aut solus, aut primus.* — Non est dubium, credidisse Petrum, et credidisse, quia dilexit, dilexisse quia credidit. Unde et contristatur, quia et tertio interrogatur: Amas me? Is enim interrogatur, de quo dubitatur: sed Dominus non dubitat, qui interrogat, non ut disceret, sed ut doceret, quem elevandus in coelum *amoris sui nobis velut vicarium* relinquebat. Sic enim habes: ‚Simon Ioannis diligis me? Utique tu scis, Domine, quia amo te. Dicit ei Iesus: Pasce agnos meos.' — Quia solus profitetur ex omnibus, *omnibus antefertur.* — Denique tertio Dominus non iam ‚Diligis me?' sed ‚Amas me?' interrogavit, et iam non agnos ut primo, quodam lacte vescendos, nec oviculas ut secundo, sed *oves pascere iubetur, perfectiores ut perfectius gubernaret.*

170. *De Poenit. lib. 1.* — Et tu quidem, Domine, omnes cupis sanare, sed non omnes curari volunt. Non vult Novatianus, qui se putat esse sanum. — Tu dicis Petro excusanti ne ei pedes lavares: ‚Nisi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.' Quod ergo isti (Novatiani) possunt consortium tecum habere, qui claves regni non suscipiunt, negantes quod dimittere peccata debeant? Quod quidem recte de se fatentur: *non habent enim Petri haereditatem, qui Petri sedem non habent, quam impia divisione discerpunt:* sed hoc improbe, quod etiam in Ecclesia donari peccata negant posse, cum Petro dictum sit: Tibi dabo claves regni coelorum. —

171. *De Fide lib. 4.* — Ut scias, quia secundum hominem rogat, (Christus) divinitate imperat, habes in Evangelio, quia *Petro dixit:* ‚Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua'; eidem autem supra dicenti ‚Tu es Christus filius Dei vivi' respondit: ‚Tu es Petrus etc.' *Ergo cui propria auctoritate regnum dabat, huius fidem firmare non poterat? quem cum petram dicit, firmamentum Ecclesiae indicavit?* Quando igitur roget, quando imperet, con-

sidera. Rogat quando passurus ostenditur, imperat quando Filius Dei creditur. —

172. *Epist. 42. ad Siricium PP.* Recognovimus literis sanctitatis tuae *boni pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi ianuam serves, et pia sollicitudine Christi ovile custodias, dignus quem oves Domini audiant et sequantur:* et ideo quia nosti oviculas Christi, lupos facile deprehendes, et occurres quasi providus pastor, ne isti moribus perfidiae suae feralique ululatu Dominicum ovile dispergant. —

173. *Comment. in Ep. I ad Corinth.* — Cap. 9. v. 4. 5: ‚Numquid non habemus potestatem mulierem circumducendi, sicut et ceteri Apostoli et fratres Domini ‚et Cephas?' Ideo addidit: ‚et Cephas,' quia cum *primus esset inter Apostolos*, non refutabat sumtus oblatos. Cephas ipse est Simon Petrus. —

174. *Comm. in Ep. ad Galat.* C. 1. v. 18: ‚Deinde post annos tres ascendi Hierosolymam videre Petrum, et mansi apud eum dies quindecim.' Dignum fuit, ut cuperet videre *Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegaverat Salvator curam Ecclesiarum.* — — Cap. 2. v. 7. 8. *Petrum* solum nominat, et sibi comparat, *quia primatum ipse acceperat ad fundandam Ecclesiam;* se quoque pari modo electum, ut primatum habeat in fundandis gentium Ecclesiis, ita tamen, ut et Petrus gentibus praedicaret, si causa fuisset, et Paulus Iudaeis. Nam uterque invenitur utrumque fecisse: sed tamen *plena auctoritas Petro* in Iudaismi praedicatione data dignoscitur, et Pauli perfecta auctoritas in praedicatione gentium invenitur. — V. 9. 10: Ab Apostolis, qui clariores inter ceteros erant, quos et firmitatis causa columnas appellat, — probatum dicit donum, quod accepit a Deo, ut dignus esset habere primatum in praedicatione gentium, sicut et habebat Petrus in praedicatione circumcisionis. Et sicut dat Petro socios viros egregios inter apostolos, ita et sibi iungit Barnabam, qui divino iudicio ei adiunctus est; gratiam tamen *primatus* sibi soli vindicat concessam a Deo, sicut et *soli Petro concessa est inter apostolos.* — V. 11: Post concordiam societatis et honorificentiam primatus: quam sibi invicem per gratiam Dei detulerunt, nunc interveniente causa negligentiae vel erroris dissidere inter se videntur Apostoli, non in propria causa, sed in sollicitudine Ecclesiae. ‚In faciem, inquit, illi restiti.' Quid est hoc, nisi in praesentia ei contradixi? Et qua causa, subiunxit

dicens: ‚quia reprehensus erat.' Reprehensibilis utique ab evangelica veritate, cui hoc factum adversabatur. Nam quis eorum auderet *Petro primo apostolo, cui claves regni coelorum Dominus dedit,* resistere: nisi alius talis, qui fiducia electionis suae sciens se non imparem, constanter improbaret, quod ille sine consilio fecerat. — V. 14: Ideo in *solum Petrum* invehitur, ut in eo, *qui primus est,* discerent ceteri. —

175. *Serm. 44.* — *Petrus* solus Christum Dei filium confitetur. — Pro hac devotione dicitur Petro: Beatus es tu etc. Cum vocaretur ergo Simon, per hanc devotionem vocatus est Petrus. Legimus dicente Apostolo de ipso Domino: ‚Bibebant de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus.' Recte igitur quia petra Christus, *Simon nuncupatus est Petrus, ut qui cum Domino fidei societatem habebat, cum Domino haberet et nominis Dominici unitatem, ut sicut a Christo christianus dicitur, ita et a petra Christo Petrus apostolus vocaretur.* —

176. *Serm. 62.* — Dicitur Petro: duc in altum, hoc est, in profundum disputationum generationis divinae. Quid enim tam profundum, quam quod ait Petrus ad Dominum: Tu es Christus Filius Dei vivi? — *Hanc* igitur *solam Ecclesiae navem ascendit Dominus, in qua Petrus Magister est constitutus dicente Domino*: S*uper hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 14. ss.

177. *Expos. in Apocal.* De visione VII. — Quid significent duodecim fundamenta, ipse exposuit, cum subiunxit, quod in eis scripta essent nomina 12 Apostolorum et Agni. Reprehensus sum a quodam, cur *Petrum fundamentum Ecclesiae* dixerim in eo loco, ubi Dominus dicit: Tu es Petrus. Si Petrus fundamentum est Ecclesiae sicut et ceteri Apostoli, quemadmodum praesens lectio aperte demonstrat, ergo super ipsum aedificata est, sicut et super ceteros; si vero super Petrum Ecclesia aedificata non est, ergo nec super ceteros; vera est ergo huius Ioannis praesens assertio, quia dicit 12 Apostolos duodecim fundamenta esse Ecclesiae. Nec repellit nos a nostro intellectu illud, quod Apostolus dicit: ‚Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.' *Non enim aliud fundamentum est Petrus, et aliud Christus Iesus:* quia Petrus membrum est Christi Iesu, sicut ipse dixit discipulis suis: ‚Vos in me et ego in vobis.' Christus namque fundamentum est

omnium apostolorum suorum, similiter et ipsi fundamenta sunt eorum, qui per eos crediderunt. Unum est igitur fundamentum, id est, Christus, a quo continentur omnia fundamenta, super quem etiam tota compages Ecclesiae constructa est. —

178—180.

Anastasius PP. A. 398. Eppis ad Sedem Apostolicam referentibus congruas tribuit responsiones.

178. MON. *Epist. ad Ioannem Eppum Ierosol.* — Rufinus, de quo me consulere dignatus es, conscientiae suae divinam habet arbitram maiestatem, apud quam se integro devotionis officio ipse viderit qualiter debeat approbare. *) Origenes autem, cuius in nostram lingvam composita derivavit, antea et quis fuerit, et in quae processerit verba, nostrum propositum nescit: quod vero sit animi mei studium, cum tua paulisper super hoc conferam sanctitate. Hoc igitur mente concepi, quod urbis nostrae populis de translatis Origenis lectio patefecit, quadam puris mentibus velut nebula coecitatis iniecta, fidem Apostolorum et maiorum traditione firmatam velut deviis anfractibus illum voluisse dissolvere. Dicere hoc loco libet, quid agat in Romanam lingvam ista translatio. Approbo, si accusat auctorem, et execrandum factum populis prodit, ut iustis tandem odiis teneatur, quem iamdudum fama constrinxerat. Si vero interpres tantorum malorum consensum praestat, et legenda prodit in populos: nihil aliud sui opera laboris exstruxit, nisi ut propriae veluti mentis arbitrio haec, *quae sola, quae prima, quae apud catholicos christianos vera fide* iam exinde ab Apostolis in hoc usque tenentur, inopinatae titulo assertionis everteret. *Absit hoc ab Ecclesiae Romanae catholica disciplina.* Numquam profecto eveniet, aliqua ut haec admittam ratione, quae iure meritoque damnamus. —

179. *Ep. ad Simplicianum.* — Conventus literis memorati

---

*) Quaestionem posuit Anastasio Papae Ioannes Eppus de translato per Rufinum libro Origenis ‚Periarchon.'

(Theophili) convenio sanctitatem tuam, ut sicuti nos in urbe *Roma* positi, *quam princeps apostolorum statuit et fide sua confirmavit gloriosus Petrus,* ne quis contra praeceptum legat haec quae diximus, damnavimus, et cum magnis precibus postulavimus, ut Evangeliorum instituta, quae ex ore suo Dei et Christi docuit censura, serventur, ab hac recedi omnino non debere, sed illud in memoriam deduci, quod Paulus venerabilis apostolus praedixit atque commonuit: ‚Si quis vobis evangelisaverit praeter quod evangelisatum est vobis, anathema sit.' Igitur hoc praeceptum tenentes, illud quidquid est fidei nostrae contrarium, ab Origene quondam scriptum, indicavimus a nobis esse alienum atque punitum. —

180. *Ep. ad. Eppos Germ. et Burg.* Exigit dilectio vestra, ut *ex auctoritate Sedis Apostolicae* vestris deberemus respondere consultis. Et quamvis non prolixe sed succincte hoc agere propter quasdam alias occupationes festinaremus, denuo tamen si necesse fuerit ob has vel alias necessitates, *quasi ad caput* mittere caritative non dubitetis. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 20. p. 68. *ss.*

SECULUM QUINTUM.

181—192.

Innocentius I PP. A. 402. ss. tum ipse in permultis epistolis tamquam responsis ad quaesita Praesulum auctoritatem suam egregie explicuit, tum a Conciliis et Eppis ut supremus Ecclesiae Pastor ac Rector recognitus est.

181. MON. *Ep. ad Victricium Ep. Rotomag.* Etsi tibi, frater carissime, pro merito et honore sacerdotii, quo plurimum polles, vivendi et docendi ecclesiasticae regulae notae sint omnes, neque est aliquid, quod de sacris lectionibus tibi minus collectum esse videatur: tamen quia *Romanae Ecclesiae normam atque auctoritatem magnopere postulasti,* voluntati tuae morem admodum gerens digestas vitae et morum probabilium disciplinas annexas literis meis misi, per quas advertant Ecclesiarum regionis vestrae populi, quibus rebus et regulis Christianorum vita in sua cuiusque professione debeat contineri, qualisque servetur in urbis Romae ecclesiis disciplina. Erit dilectionis tuae, per plebes finitimas et consacerdotes nostros, qui in illis regionibus propriis ecclesiis praesident, regularum hunc librum quasi didascalicum atque monitorem sedulo insinuare, ut et nostros cognoscere, et ad fidem confluentium mores valeant docendi sedulitate formare. Aut enim propositum suum ex hac nostra congruenti lectione cognoscent, aut si quid adhuc desideratur, facile poterunt ex bona imitatione supplere. Incipiamus igitur adiuvante sancto Apostolo *Petro, per quem et apostolatus et episcopatus in Christo coepit exordium,* ut quoniam saepe plures emerserunt causae, — ut de cetero sollicitudo sit uni-

cuique sacerdoti, in sua Ecclesia curam huiusmodi habere, sicut Apostolus praedicat Paulus, talem Ecclesiam Deo exhibendam, non habentem maculam aut rugam, ne alicuius morbidae ovis afflatu conscientia nostra contaminata violetur. Propter eos igitur, qui vel ignorantia vel desidia non tenent eccles. disciplinam, et multa non praesumenda praesumunt, recte postulasti, ut in illis partibus istiusmodi, *quam tenet Ecclesia Romana*, forma servetur. — Ergo quoniam non pro nobis tantum sed pro populo Christi cogimur praestare rationem, disciplinam deificam populum erudire debemus. — 3. Si quae causae vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortae, ut secundum Synodum Nicaenam congregatis eiusdem provinciae episcopis iurgium terminetur, nec alicui liceat, *sine praeiudicio tamen Romanae Ecclesiae, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri,* relictis his sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. — Si *maiores causae* in medium fuerint devolutae, *ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit et beata consvetudo exigit, post iudicium episcopale referantur.* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 20. p. 469.

182. *Ep. ad Eppos Hispaniae Toleti congregatos.* Saepe me et nimia cum teneret cura sollicitum super dissensione et schismate Ecclesiarum, quod per Hispanias latius in dies serpere et citatiore gradu incedere fama proloquitur: necessarium tempus emersit, quo non posset emendatio tanta differri, et deberet congrua medicina provideri. Nam fratres nostri coepiscopus Hilarius et Elpidius presbyter, partim unitatis amore permoti, partim qua laborat provincia pernicie, ut oportuit, excitati, *ad Sedem Apostolicam commearunt et in ipso sinu fidei* violatam intra provinciam pacem, disciplinae rationem esse confusam, et multa contra canones patrum, contemto ordine regulisque neglectis, in usurpatione ecclesiarum fuisse commissa, nec concordiam, in qua fidei nostrae stabilitas tota consistit, posse retineri cum dolore et gemitu prosecuti sunt. — *(Sequuntur plura capitula de variis disciplinae capitibus.)* **Migne** *Patr. Lat.* t. 20. p. 486.

183. *Ep. ad Exuperium Ep. Tolosanum.* — Dilectio tua *institutum secuta prudentium, ad Sedem Apostolicam referre maluit, quid deberet de rebus dubiis custodire,* potius, quam usurpatione praesumta quae sibi viderentur de singulis obtinere.

Cur enim magis pudendum putemus discere aliquid, quam omnino nescire? Mihi quoque ipsi de collatione docilitas accedit, dum perscrutatis rationibus ad proposita respondere compellor, eoque fit, ut aliquid semper addiscat, qui postulatur ut doceat. Proponam igitur singula, subiiciamque responsum. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 20. p. 495.

184. *Ep. ad Eppos Macedoniae.* Magna me gratulatio habuit, cum post tot discrimina totius, ut ita dixerim, mundi Vitalis archidiaconus vestrarum portitor literarum ex illis partibus ad nos usque directus advenit. — Qui cum tradidisset epistolas, eas praecepi illico recenseri. — Quae cum saepius repeti fecissem, adverti *Sedi Apostolicae, ad quam relatio missa quasi ad caput Ecclesiarum currebat,* aliquam fieri iniuriam, cuius adhuc in ambiguum sententia duceretur. Unde de quibus iam dudum scripsisse memini, nunc iterare formam argumentis evidentioribus relationis vestrae geminata percontatio compellit. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 20. p. 527.

185. *Ep. ad Decentium Eugubinum.* Si instituta ecclesiastica, ut sunt a beatis Apostolis tradita, integra vellent servare Domini sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus et consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc aestimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana praesumtione corruptas, putant sibi aut ecclesias non convenire, aut ab Apostolis vel apostolicis viris contrarietatem inductam. *Quis enim nesciat aut non advertat, id, quod a principe apostolorum Petro Romanae Ecclesiae traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari,* nec superduci aut introduci aliquid, quod auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? praesertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, et insulas interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis apostolus Petrus aut eius successores constituerint sacerdotes. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 20. p. 551.

186. *Ep. ad Felicem Nucerinum.* Mirari non possumus dilectionem tuam sequi instituta maiorum, omniaque quae possunt recipere aliquam dubitationem, *ad nos quasi ad caput atque*

ad apicem episcopatus referre, ut consulta videlicet Sedes Apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid faciendumque pronunciet. Quod nos et libenter accipimus et dilectionem tuam memorem canonum comprobamus. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 20. p. 603.

187. *C. Carthaginensis contra Pelagianos A. 416. celebrati epistola ad Innocentium PP. in qua ad coercendos haereticos Sedis Apostolicae auctoritatem implorant tamquam necessariam.* Cum ex more ad Carthaginensem ecclesiam solemniter veniremus, atque ex diversis causis congregata ex nobis synodus haberetur, compresbyter noster Orosius nobis literas ss. fratrum et consacerdotum nostrorum dedit, Herotis et Lazari, quarum formam his constituimus esse subdendam. His ergo lectis, Pelagium et Coelestium auctores argui nefarii prorsus et anathematisandi ab omnibus nobis erroris advertimus. Unde factum est, ut recensendum peteremus, quod ante ferme quinquennium super Coelestii nomine hic apud Ecclesiam Carthaginensem fuerat agitatum. Quo recitato, sicut ex subditis advertere poterit Sanctitas tua, quamvis iudicatio manifesta constaret, quia illo tempore episcopali iudicio excisum hoc tantum vulnus ab Ecclesia videretur, nihilominus tamen id communi deliberatione censuimus, huiusmodi persvasionis auctores, nisi haec apertissime anathematisaverint, ipsos anathematisari oportere : ut si ipsorum non potuerit, saltem eorum, qui decepti sunt ab illis, vel decipi possunt, cognita sententia, quae in eos lata est, sanitas procuretur. Hoc itaque gestum, domine frater, sanctae caritati tuae intimandum duximus, ut statutis nostrae mediocritatis etiam Apostolicae Sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda salute multorum et quorumdam etiam perversitate corrigenda. *(Recensitis erroribus Pelagianorum sic prosequitur Synodus :)* — Veremur, ne apud te ista commemorando, quae maiore gratia de Sede Apostolica praedicas, inconvenienter facere videamur. — Si ergo Pelagius episcopalibus gestis, quae in Oriente confecta dicuntur, etiam tuae venerationi iuste visus fuerit absolutus : error tamen ipse et impietas, quae iam multos assertores habet per diversa dispersos, etiam Apost. Sedis auctoritate anathemanda est. Consideret enim Sanctitas tua, et pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quam sit pestiferum et exitiale ovibus Christi, quod istorum sacrilegas disputationes

necessario sequitur : ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, quod discipulos Dominus monuit et posuit in oratione, quam docuit, aut ne deficiat fides nostra, quod pro Apostolo Petro se rogasse ipse testatus est, etc. — Quaecunque autem alia eis obiiciuntur, non dubium, venerationem tuam, cum gesta episcopalia perspexerit, quae in Oriente in eadem causa confecta dicuntur, id iudicaturam, unde omnes in Dei misericordia gaudeamus. Ora pro nobis, domine beatissime Papa. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 20. p. 564.

188. *C. Milevitani in eodem merito A. 416. habiti epistola ad Innocentium PP. cum eiusdem auctoritatis appellatione.* Quia te Dominus gratiae suae praecipuo munere in Sede Apostolica collocavit, talemque nostris temporibus praestitit, ut nobis potius ad culpam negligentiae valeat, si apud tuam venerationem quae pro Ecclesia sunt suggerenda tacuerimus, quam ea tu possis vel fastidiose vel negligenter accipere : magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam, quaesumus, adhibere digneris. Nova quippe haeresis et nimium perniciosa tentat assurgere, inimicorum gratiae Christi, qui nobis Dominicam etiam orationem impiis disputationibus conantur auferre. — — Haec insinuantes apostolico pectori tuo, non habemus opus multa dicere, et tantam impietatem verbis exaggerare, cum procul dubio te ista permoveant, ut ab eis corrigendis, ne latius serpant, multosque contaminent, vel potius interimant, dum sub nomine Christi a gratia Christi penitus alienant, omnino dissimulare non possis. — Arbitramur, adiuvante misericordia Domini Dei Jesu Christi, qui te et regere consulentem, et orantem exaudire dignatur, auctoritati Sanctitatis tuae de claro Scripturarum lumine depromtae, facilius eos, qui tam perversa et perniciosa sentiunt, esse cessuros. — Haec ad Sanctitatem tuam de Concilio Numidiae scripta direximus, imitantes Carthaginensem Ecclesiam, et Carthaginensis provinciae coëpiscopos nostros, quos ad Sedem Apostolicam, quam beatus illustras, de hac causa scripsisse comperimus. Memor nostri in Dei gratia augearis, Domine beatissime, meritoque venerabilis et in Christo honorande, sanctissime Papa. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 20 .p. 568.

189. *Epistola quinque Epporum Numidiae, ac inter hos S. Augustini Hipponensis, ad eundem Papam in eodem merito, quae pariter ad duae priores plena est summa devotione erga*

auctoritatem Sedis Ap. De Conciliis duobus provinciae Carthaginensis atque Numidiae ad tuam Sanctitatem a non parvo Epporum numero subscriptas literas misimus contra inimicos gratiae Christi, qui confidunt in virtute sua, et Creatori nostro quodammodo dicunt : tu nos creasti homines, iustos autem ipsi nos fecimus. — Audivimus esse in urbe Roma, ubi ille (Pelagius) diu vixit, nonnullos, qui diversis causis ei faveant. — Non agitur de uno Pelagio, qui iam fortasse correctus est, quod utinam ita sit : sed de tam multis, quibus loquaciter contendentibus, et infirmas atque ineruditas animas velut vinctas trahentibus, firmas autem et in fide stabiles ipsa contentione fatigantibus, usquequaque iam plena sunt omnia. Aut ergo a tua veneratione accersendus est Romam, et diligenter interrogandus, quam dicat gratiam, qua fateatur, si tamen iam fateatur, ad non peccandum, iusteque vivendum homines adiuvari, aut hoc ipsum cum eo per literas agendum. Et cum inventus fuerit hanc dicere, quam docet ecclesiastica et apostolica veritas, tunc sine ullo scrupulo ecclesiae, et sine latibulo ambiguitatis ullius absolvendus est, tunc est revera de eius purgatione gaudendum. — Si et ante tempus legis, et tempore ipso legis, iustos patres ex fide viventes non possibilitas naturae infirmae et indignae ac vitiatae, et sub peccato venumdatae, sed Dei gratia per fidem iustificabat, et nunc eadem in apertum iam veniens, revelata iustificat : anathematizet ergo Pelagius scripta sua, ubi contra eam, etsi non per contumaciam, tamen per ignorantiam disputat; — aut si ea sua esse negat, aut scriptis suis ab inimicis suis dicit immissa, quae sua esse negat, anathemathizet ea tamen, et damnet paterna exhortatione et auctoritate sanctimoniae tuae. Si ergo vult, onerosum sibi et perniciosum ecclesiae discat scandalum auferre, quod scandalum auditores et in perversum dilectores eius usquequaque spargere non quiescunt. Si enim cognoverint eundem librum, quem illius vel putant esse vel norunt, epporum catholicorum auctoritate, et maxime sanctitatis tuae, quam apud eum esse maioris ponderis minime dubitamus, ab eodem ipso esse anathematisatum atque damnatum, non eos ulterius aestimamus ausuros — pectora fidelia et simpliciter christiana turbare etc. — Cetera quae illi obiecta sunt, sicut gestis defensa perviderit, ita de his procul dubio tua beatitudo iudicabit. Dabit sane nobis veniam svavitas mitissima cor-

dis tui, quod prolixiorem epistolam fortassis quam velles tuae misimus sanctitati. Non enim rivulum nostrum tuo largo fonti augendo refundimus, sed in hac non parva tentatione temporis, unde nos liberet cui dicimus : ne nos inferas in tentationem, utrum etiam noster licet exiguus ex eodem, quo etiam tuus abundans, emanet capite fluentorum, hoc a te probari volumus, et tuis rescriptis de communi participatione unius gratiae consolari. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 20.p. 571.

190. *Rescripta Innocentii PP. ad praevias Afrorum epistolas : in quibus Papa de Sede Apostolica pronunciat, ab ipsa totam Eppatus auctoritatem derivari. Ad Carthaginense Concilium.* In requirendis Dei rebus quas omni cum sollicitudine decet a sacerdotibus, maxime a vero iustoque et catholico tractari concilio, antiquae traditionis exempla servantes et ecclesiasticae memores disciplinae, vestrae religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronunciaretis, vera ratione firmastis, qui *ad nostrum referendum approbastis esse iudicium, scientes quid Apostolicae Sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis huius emersit.* Quem sequentes tam mala damnare novimus, quam probare laudanda. Vel id vero, quod patrum instituta sacerdotali officio custodientes non censetis esse calcanda, quod illi non humana sed divina decrevere sententia, ut quidquid quamvis de disiunctis remotisque ageretur provinciis, non prius ducerent finiendum, *nisi ad huius Sedis notitiam perveniret, ut tota huius auctoritate iusta quae fuerit pronunciatio firmaretur, indeque sumerent ceterae Ecclesiae* (velut de natali suo fonte aquae cunctae procederent et per diversas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manarent), quid praeciperent, quos abluerent, quos veluti coeno inemundabili sordidatos mundis digna corporibus unda vitaret. —

191. *Ad Milevitanum Concilium.* Inter ceteras Romanae Ecclesiae curas et Apostolicae Sedis occupationes, quibus diversorum consulta fideli ac medica disceptatione tractamus, frater et coepiscopus noster Iulius dilectionis vestrae literas, quas ex Milevitano Concilio cura fidei propensiore misistis, mihi inopinanter ingessit, Carthaginensis etiam Synodi querelae parilis scripta subiungens. — *Diligenter et congrue Apostolici consu-*

litis honoris arcana, honoris, inquam, illius, quem praeter illa, quae sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium ecclesiarum, super anxiis rebus quae sit tenenda sententia: *antiquae scilicet regulae formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam.* — Qui id etiam actione firmastis, nisi scientes, quod per omnes provincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanent? praesertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis et honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit ecclesiis omnibus in commune prodesse. —

192. *Ad quinque Eppos Numidiae.* Fraternitatis vestrae literas, plenas fidei, totoque religionis catholicae vigore firmatas, a duobus missas Conciliis per fratrem et coepiscopum nostrum Iulium pergrato suscepimus animo, quod earum tenor omnisque contextio in consideratione quotidianae gratiae Dei, et in eorum correctione, qui contra sentiunt, integra ratione consistit: ut et illis omnem tollere possit errorem, et idoneum dato quovis nostrae legis exemplo, quem sequi debeant dignum possint praebere doctorem. Sed de his iam satis, ut opinor, supra diximus, cum vestris relationibus respondentes, rescripsimus, quid vel de illorum perfidia, vel de vestra sententia sentiremus. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 20. p. 582. 589. 594.

193—200.

Ioannes Chrysostomus, A. 407. mortuus, in permultis suis libris de Primatu Petri magnifice ac eloquenter disserit.

193. MON. *Adversus Iudaeos Orat. 5.* — Praedicere, quae facturus esset, (Christus) mirum quidem ac prodigiosum: verum praedicere quae alii facturi sunt, efficereque ut fides illis habeatur, sintque cunctis perspicua, multo maius est ac mirabilius. Praedixit *Petro:* ‚Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Proinde dic age, Iudaee, quid habes, quod reprehendas aut

redarguas ex iis, quae dicta sunt? quid habes, quo doceas hanc praedictionem esse mendacem? Annon testimonium cum rebus consentit, etiamsi mille modis ipse contendas in adversum? Quot enim bella adversus Ecclesiam concitata sunt? quot exercitus instructi, quot arma mota? — Nihil tamen horum dissolvit Ecclesiam, ac ne infirmiorem quidem reddidit. —

194. *Adv. Iud. Orat. 8.* — *Petrus* post gravem illam negationem, quoniam celeriter suum ipsius peccatum recordatus est, nulloque accusante dixit peccatum, flevitque amare: sic abluit illam abnegationem, ut etiam *primus Apostolorum fuerit factus, eique totus terrarum orbis commissus fuerit.* —

195. *De Poenit. homil. 3.* — *Petrus* ille *apostolorum princeps, in Ecclesia primus*, amicus Christi, qui revelationem ab hominibus non accepit, sed a Patre, sicut ipsi testimonium Dominus reddit, — hic Petrus *(Petrum cum dico, petram nomino infragilem, crepidinem immobilem, apostolum magnum, primum discipulorum*, primum vocatum, et primum obedientem) non parvum facinus admisit, sed maximum, qui Dominum negavit, procuratorem, Salvatorem omnium. —

196. *Homil. in Petrum et Eliam.* — Petro committendae erant claves Ecclesiae, imo potius committebantur ei claves coelorum, eidemque concredenda erat multitudo populi. Quid enim ait illi Dominus: Quodcunque ligaveris etc. Erat vero Petrus aliquanto asperior: quodsi et impeccabilis fuisset, quam veniam habituri fuissent ii, qui ab illo docendi erant? Propterea hoc disposuit divina gratia, ut in peccatum quoddam incideret, quo ex iis, quae ipse passus fuerat, humanior in alios redderetur. Ac considera, quem in peccatum labi permittat: *Petrum illum apostolorum coryphacum, fundamentum immobile, petram quae frangi nequit, Ecclesiae principem, portum inexpugnabilem, turrim inconcussam.* — Ipse in peccatum labi permissus est, *cui Ecclesia committenda erat, columna Ecclesiarum, portus fidei, Petrus doctor orbis* peccare permissus est, ut haec permissio humanitatis argumentum aliis proponeretur. —

197. *Homil. de decem millium talent. debitore.* — *Petrus chori apostolorum princeps, os discipulorum, columna Ecclesiae, firmamentum fidei, confessionis fundamentum, orbis terrarum piscator*, qui genus nostrum ex profundis errorum in coelum adduxit, qui ubique fervidus et libertate plenus, imo potius ca-

ritate quam libertate, tacentibus omnibus, accedens ad Magistrum dixit: ‚Quoties peccabit in me frater meus et remittam illi? usque septies?‘ —

198. *Homil. 54. in Matthaeum.* — Quid igitur os apostolorum *Petrus?* Semper fervens, chori apostolici coryphaeus, omnibus interrogatis ipse respondet. — Quid igitur Christus? — ‚Et ego dico tibi etc.‘ Hinc declarat, multos esse credituros, eiusque sensum erigit, et *pastorem ipsum constituit.* — ‚Et ego dabo tibi claves etc.‘ — Viden' quomodo ad sublimiorem de se opinionem Petrum erigat, et seipsum revelet, ac per hasce duas promissiones se Filium Dei esse ostendat? Nam *quae uni Deo sunt propria, nempe peccata solvere, Ecclesiam in tanto fluctuum concursu immotam reddere, hominemque piscatorem toto impugnante orbe petra firmiorem reddere, haec se illi daturum pollicetur.* —

199. *Homil. 88. in Ioannem.* — ‚Dicit Iesus *Simoni Petro:* Simon Ionae, diligis me plus his? dicit ei: etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce oves meas.‘ Et cur aliis praetermissis, de his hunc alloquitur? *Eximius erat inter Apostolos, os discipulorum, et coetus illius Caput, ideo Paulus prae aliis hunc visurus venit.* Simul ostendens ei, oportere deinceps fidere, quasi abolita negatione, *fratrum ei praefecturam committit.* — Ter interrogat, et ter eadem imperat, ut ostendat, *quanti faciat ovium curam.* — Quodsi quis dixerit: cur ergo Iacobus Ierosolymorum thronum accepit? respondebo: *Petrum non throni huius, sed totius orbis doctorem a Christo statutum fuisse.* —

200. *Serm. de poenit.* — Audistis omnino Domini benignitatem, qui cum aliis laudibus hanc quoque beato *Petro* dedit: ‚Tibi dabo claves regni coelorum.‘ — Cur non dedit Ioanni, qui supra pectus Domini recumbens, amoris certum habuit indicium? cur non Iacobo, qui primus capite plexus est? — Cur claves regni coelorum non illi tradidit, quem prae omnibus diligebat? — Non dat claves Iacobo, non Ioanni, non cuiquam alii Apostolorum, qui sine peccato erant: sed Petrum ex clementia sua delegit. Quia enim Petrus, priusquam gallus cantaret, peccato praeventus fuit: ideo nemini discipulorum, qui sine peccato erant, claves regni coelorum concredidit, sed Petro, ut cum Petrus quempiam videret de peccatis poenitentiam agentem, et

peccata per poenitentiam evacuantem, qui vellet in regnum coelorum ingredi, exempli sui memor illum ad salutem iuvaret. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 26. ss.

201—205.

Idem Ioannes Chrysostomus factione inimicorum sede sua deiectus, auxilium implorat Innocentii Papae. Huius epistolae tum ad Chrysostomum, tum ad alios in hoc merito. A. 404. ss.

201. *Prima epistola Chrysostomi ad Innoc. PP.* Etiam antequam redditae sunt literae nostrae, opinor pietatem vestram audivisse, quidnam hic patrare ausa fuerit iniquitas. Ea enim rerum est magnitudo et gravitas, ut nulla ferme orbis pars relicta sit, quae tristem hanc tragoediam non audierit: quandoquidem fama usque ad fines terrae perlata, plurima ubique lamenta et eiulatus excitavit. Verum quia non satis est plangere, sed opus etiam *ut cura geratur*, et spectetur qua ratione et quo consilio gravissima illa Ecclesiae tempestas sedetur: necessarium esse duximus ut persvadeatur Demetrio, Pansophio, Pappo et Eugenio — eppis, relictis Ecclesiis propriis pelago se tanto committere, susceptaque longinqua peregrinatione hac ad vestram properare caritatem, de omnibus vos manifeste docentes, *quo quantocius rebus succurratur*; misimus autem cum eis venerabiles dilectosque diaconos Paulum et Cyriacum, et nos quoque paucis caritatem vestram, quae facta sunt, in epistolae formam docebimus. *(Recensitis, quae Theophilus Alexandrinus adversum se patraverit, seque vi ac potentia sede sua eiectum exulare fecerit, sic prosequitur:)* — Verum quia, sicut prius dixi, ea, quae perperam fiunt, non solum deploranda, sed et corrigenda sunt: *ideo caritatem vestram obseero, ut provocetur ad condolendum, faciendumque omnia, quo mala haec sistantur.* Neque enim hic facinorum finis, sed ad priora adiecerunt et alia. *(Enarrat, qualiter opera Imperatoris Sedi suae restitutus,*

ac iterum paulo post eiectus a factiosis extiterit, tum continuat:) — Igitur, cum haec ita se habere didiceritis, *studium vestrum et magnam diligentiam adhibete, quo retundatur haec, quae in Ecclesias irrupit, iniquitas.* Quippe si mos hic invaluerit, et fas fuerit cuivis in alienam paroeciam irrumpere, et eiicere quos voluerit, et auctoritate propria quaeque pro libidine sua facere, scitote quod brevi transibunt omnia, et totus orbis premetur bello inexpiabili, omnibus eiectis et omnes eiicientibus. Quapropter ne confusio haec omnem quae sub coelo est nationem invadat, obsecro *ut scribas, quod haec tam inique facta et ab una solum parte absentibus nobis, et non declinantibus iudicium, non habent robur*, sicut neque sua natura habent; illi autem, qui adeo inique egisse deprehensi sunt, poenae ecclesiasticarum legum subiaceant, nobis vero, qui nec convicti, nec redarguti, nec habiti ut rei sumus, literis vestris et caritate vestra, aliorumque omnium, quorum scilicet et antea societate fruebamur, frui concedite. Si autem adversarii nostri, qui ita inique egerunt, adhuc fingunt crimina quaedam, propter quae nos iniuste eiecerunt, non datis nobis actis, neque libellis, neque manifestatis accusatoribus: si dentur iudices incorrupti, agemus et tuebimur etiam nos libenter causam, monstrabimusque nos non esse reos eorum, quae nobis obiiciunt, sicut et plane innoxii sumus, et contra quae ab ipsis facta contra omnem sunt ordinem, contra omnes leges, contra omnes ecclesiasticos canones. Et quid dico, canones ecclesiasticos? neque in gentilium iudiciis, neque in barbarorum tribunalibus talia attentata sunt unquam. — Haec igitur omnia cum ita se habere intellexeritis a dominis meis piissimis, fratribus nostris Eppis, *obsecro ut praestetis id quod petent officii.* Quo non solum nobis gratificabimini, sed et Ecclesiarum universitati, mercedemque accepturi estis a Deo, qui nihil non propter Ecclesiarum pacem facere dignatur. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 28. p. 529.

202. *Innocentius PP. datis ad Theophilum Alex. literis, reprobat ea, quae in negotio Chrysostomi inique gesta fuere.* Frater Theophile, nos et te, et fratrem Ioannem habemus nobis communicantes, sicut et in prioribus literis*) mentem nostram manifestam fecimus. Ac ne nunc quidem ab eodem proposito de-

*) Literae hae non extant.

sistentes, rursum tibi eadem scribimus, et quotiescunque ad nos rescripseris: fieri scilicet non posse, ut, nisi congruum iudicium subsequatur super his, quae per ludibrium gesta sunt, sine ratione a Ioannis communione discedamus. Tu igitur, si iudicio confidis, siste te ad Synodum, quae secundum Christum fuerit, et ibi expositis criminationibus sub testibus Nicaeni Concilii canonibus (alium enim canonem Romana non admittit Ecclesia) securitatem habebis contradictionis expertem. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 20. p. 493.

203. *Idem ad Clerum et populum CPnum in eodem merito.* Ex literis caritatis vestrae, quas per Germanum presbyterum, et Cassianum diaconum misistis, scenam malorum, quam ob oculos posuistis, anxia sollicitudine cognovi; quantisque calamitatibus et aerumnis fides laboret, repetita saepius lectione perspexi. Quam quidem rem sola patientiae consolatio sanare potest. — Quis ferre possit ea, quae ab illis delinquuntur, quos prae ceteris decebat tranquillitatis ac pacis et concordiae esse studiosos? Nunc autem praepostero more sacerdotes innoxii e sedibus ecclesiarum suarum exturbantur. Quod quidem primus iniuste perpessus est frater et consacerdos noster Ioannes Eppus vester, cum nulla ratione fuisset auditus. Nullum crimen offertur, nec auditur. Et quodnam est hoc perditum consilium? Ut non sit aut quaeratur ulla species iudicii, in locum viventium sacerdotum alii substituuntur: quasi qui ab huiusmodi facinore auspicati sunt, aliquid recti aut habere aut egisse iudicari possint. Neque enim talia unquam a patribus nostris gesta esse comperimus, sed potius prohibita, cum nemini licentia data sit in locum viventis alium ordinandi. Nam reproba ordinatio honorem sacerdotis auferre non potest, siquidem is eppus omnino esse nequit, qui iniuste substituitur. Quod autem ad canonum observationem attinet, solis illis parendum esse dicimus, qui Nicaeae definiti sunt, quos solos sectari et agnoscere debet Ecclesia Catholica. Si autem a quibusdam alii proferantur, qui a Nicaenis canonibus dissentiant, et ab haereticis compositi esse arguantur, hi ab Eppis catholicis reiiciuntur. Nam quae ab haereticis sunt excogitata, ea catholicis regulis adiungere non licet. Quippe illi per contraria et illicita placita perpetuo id agunt, ut Nicaenorum patrum sententiam labefactent. Hos igitur canones non solum non sequendos, verum etiam una cum haereticis et schismaticis dogmatibus

condemnandos esse dicimus, quemadmodum etiam in Sardicensi Synodo iam condemnati sunt ab Eppis, qui nos praecesserunt. Sed quid adversus ista in praesenti faciamus? Necessaria est cognitio Synodi, quam et iam pridem congregandam esse diximus. Ea enim sola est, quae huiusmodi tempestatum motus sedare possit. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 20. p. 501.

204. *Chrysostomi altera litera ad Innoc. PP.* Corpus quidem nostrum uno tantum loco tenetur, caritatis autem ala in universo orbe circumvolitat. Proinde licet tanta itineris intercapedine separati simus, a pietate tamen vestra non absumus, sed quotidie vobis praesentes sumus; caritatis enim oculis videmus vestram illam fortitudinem, sincerum affectum, constantiamque non mutabilem, consolationemque illam magnam, perpetuam atque stabilem, quam nobis affertis. Quanto enim fluctus extolluntur sublimius, et plures latent scopuli, vehementioresque sunt tempestates, tanto magis vigilantia vestra augetur, neque vos tanta viae prolixitas, neque tantum temporis intervallum, neque rerum difficultates segniores reddiderunt: sed perseveranter imitamini optimos gubernatores, qui tunc maxime vigiles sunt, cum excitari fluctus, mare intumescere, et multum aquarum fragorem, profundissimamque interdiu noctem ingruere vident. Eapropter et gratias vobis habemus multas, et desideramus quidem ad vos dare crebras literas, id quod nobis maximo foret solatio. Verum quia nobis hoc denegat solitudo loci, — precamur ut diuturnum silentium nostrum efficiat, ut magis nobis condoleatis, quam ut nos reos putetis negligentiae. — Quantum in vestra pietate situm fuit, iam res omnes sedatae et emendatae, et sublata omnia scandala fuissent, gauderentque Ecclesiae tranquilla et sincera pace, et essent plane secunda omnia, ac contemtae leges violataeque patrum constitutiones vindicatae forent. At quoniam reipsa nihil tale contigit, cum ii, qui priora adgressi sunt, novis ea sceleribus cumulare contendant: nolo equidem omnia, quae interim gesta sunt, singillatim recensere, — ceterum vestram oro vigilantiam, ut licet illi omnia tumultibus impleverint, laboraverintque morbis incurabilibus et poenitentiae non capacibus, cum tamen curare morbos illorum statueritis, malis ne cedatis, neve animum despondeatis, considerata tanti operis magnitudine. Certamen enim illud ferme pro toto orbe est, pro Ecclesiis deiectis atque prostratis, pro populis disper-

sis, pro clero divexato, pro eppis exulibus, pro constitutionibus patrum violatis. Et idcirco iterum atque iterum, et saepius vestram oramus diligentiam, ut quanto maior est tempestas, tanto maius adhibeatur studium. Expectamus quidem futurum, ut res aliquanto amplius corrigantur. Quod si minus fiet, vos vestram coronam apud misericordem Deum habetis, et hi, qui iniuria afficiuntur, consolationem ex fervore caritatis vestrae non parvam accipient: nam et nos tertium nunc annum in exilio versantes, — non mediocriter consolantur stabilis et constans vester affectus ac fiducia, mirificeque oblectatur benefica et sincera vestra caritas. Hic noster murus, haec securitas, hic portus absque fluctibus, hic innumerorum bonorum thesaurus, haec laetitiae mirificaeque voluptatis causa est. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 28. p. 535.

205. *Responsum Innocentii PP.* Et si innocens prospera omnia expectare et a Deo misericordiam petere debet, tamen etiam a nobis, qui patientiam svademus, competentes literae per Cyriacum diaconum sunt transmissae, ne contumelia plus valeat ad opprimendum, quam bona conscientia ad spem relevandam. Neque enim tu docendus es, tot populorum doctor et pastor, optimos quosque semper et assidue probari, utrum in vigore patientiae permaneant, nec ulli labori ac molestiae succumbant. Et vero conscientia firmum est praesidium adversus omnia, quae iniuste accidunt: quae nisi quis patientia superaverit, malae suspicionis de se argumentum praebet. Cuncta enim tolerare debet, qui Dei primum, ac deinde conscientiae fiducia nititur. Quippe vir bonus ac probus exerceri quidem potest ad patientiam, superari vero non potest, cum divinae Scripturae mentem eius muniant atque custodiant. Abundant enim exemplis lectiones sacrae, quas populis tradimus, quae universos fere sanctos variis modis vexatos, et tamquam examine quodam probatos esse testantur, atque ita ad patientiae coronam pervenisse. Consoletur ergo caritatem tuam, frater admodum venerande, ipsa conscientia, quae in calamitatibus habet consolationem virtutis. Inspectante enim Domino Christo, in portu pacis conscientia pura consistit. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 28. p. 537.

206—211.

Zosimus PP. A. 417. s. a propugnata fide catholica celebris, pluribus epistolis ac decretis auctoritatem Primatialem conspicuam reddidit.

INTR. Ad retundendam obiectionem, quasi Zosimus Papa in causa Pelagiana in fide vacillasset, opportune monendum censemus cum erudito collectore Epistolarum Rom. Pontificum Constantio: ‚Si ea benignitate, qua Pelagium Coelestiumque, conversos illos existimans, complexus est, ad indulgentiam quam propensus esset patefecit: eo etiam studio, quo illos postmodum detracta fraude ubique terrarum curavit condemnandos, ab haeresi probanda quam alienus esset, quamque catholicae veritati semper fuerit addictus, omnibus comprobavit. Ipso quippe usus est Deus, ut Pelagianorum condemnationi coronis celeberrimo decreto imponeretur.‘

206. MON. *Epist. ad Eppos Galliae. — Placuit apost. Sedi,* ut si quis ex qualibet Galliarum parte sub quolibet ecclesiastico gradu ad nos Romam venire contendit, vel alio terrarum ire disponit, non aliter proficiscatur, nisi Metropolitani Arelatensis Eppi formatas acceperit, quibus sacerdotium suum vel locum eccles. quem habet scriptorum eius adstipulatione perdoceat. — *Quam auctoritatem ubique nos misisse manifestum est, ut cunctis regionibus innotescat, id, quod statuimus, omnimodis esse servandum.* Si quis autem haec salubriter constituta temerare tentaverit, sponte sua se a nostra noverit communione discretum. —

207. *Ep. ad Africanos in causa Coelestii.* Magnum pondus examinis magna desiderant, ut non sit rebus ipsis, quae geruntur, inferior libra iudicii. His accedit *Apost. Sedis auctoritas, cui in honorem beatissimi Petri patrum decreta peculiarem quamdam sanxere reverentiam.* Orandum igitur et incessanter orandum, ut continua gratia, perennique adiutorio Dei *ex hoc fonte in totum orbem pax fidei et catholicae societatis nullis ne-*

bulis interfuscata mittatur. Coelestius presbyter nostro se ingessit examini, expetens, ea, quae de se Apostolicae Sedi aliter, quam oportuit, essent inculcata, purgari. —

208. *Ep. ad Eppos prov. Viennensis et Narbonensis.* Multa contra veterem formam Proculus usurpasse detectus est in ordinationibus nonnullorum indebite celebrandis, quas proxime numerosa cognitione discussimus. — Attamen illa praesumtio nos admodum movit, quod in Synodo Taurinensi, cum longe aliud ageretur, in apost. Sedis iniuriam subripiendum putavit, ut sibi concilii illius emendicata praestaret obreptio ordinandorum sacerdotum veluti metropolitano in Narbonensi secunda provincia potestatem: et ne solus impudenter indebita postulando huic Sedi videretur intulisse convicium, socium sibi Simplicium Viennensis civitatis adscivit, qui non dissimili impudentia postularet, ut sibi quoque in Viennensium provincia creandorum sacerdotum permitteretur arbitrium. Indecens ausus, et in ipso vestibulo resecandus, hoc ab Eppis ob certas causas concilium agitantibus extorquere, quod contra statuta patrum, et sancti Trophimi reverentiam, qui primus Metropolitanus Arelatensis civitatis ex hac Sede directus est, concedere, vel mutare ne huius quidem Sedis possit auctoritas. *Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta patrum sanxere reverentiam.* Et quia redire in ordinem suum intermissa praecipimus, fratres carissimi, metropolitanus Arelatensis civitatis Eppus iam inde a Trophimo ordinationis seriem temporibus roboratam inviolabili in utraque Narbonensi et Viennensi auctoritate possideat. —

209. *Ep. ad Hilarium Narbonensem.* Mirati admodum sumus, dum nobis studiosius requirentibus relatio tua de ordinandis in provincia Narbonensi prima sacerdotibus legeretur, quod dum assertioni et desideriis tuis cupis consultum, praetermissa veri fide relationem tuam sub honestatis specie colorasti, asserens in aliena provincia ab alio non debere fieri sacerdotes: cum utique debueris non quid tibi rectum videretur, sed quid habuerit antiqua consvetudo, suggerere. — Licet *sola, quae in Sede apostolica habita sunt, potuissent gesta sufficere*: tamen etiam hac te auctoritate constringimus, ut praesumtioni tuae, quam extulisse contra veterem consvetudinem videbaris, modum noveris iustae praescriptionis indictum, neque aestimes tibi ulterius pontificatum de ordinandis sacerdotibus vindicandum. — Si

quid contra haec, quae a nobis sunt sub Dei iudicio statuta, tentaveris, non solum quos faciendos credideris, episcopatum obtinere non possint, sed etiam ipse catholica communione discretus sero de illicitis praesumtionibus ingemiscas. —

210. *Ep. ad Eppos Afros in Conc. Carthaginensi.* Quamvis *Patrum traditio apostolicae Sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de eius iudicio disceptare nullus auderet,* idque per canones semper regulasque eadem sedes servaverit, et currens adhuc suis legibus eccles. disciplina *Petri* nomini, a quo ipsa quoque descendit, reverentiam quam debet exolvat; tantam enim huic Apostolo canonica antiquitas per sententias omnium voluit esse potentiam, ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, ut et ligata solveret, et soluta vinciret; par potestatis conditio data in eos, qui Sedis haereditatem ipso annuente meruissent: habet enim ipse cum omnium Ecclesiarum, tum huius maxime ubi sederat, curam, nec patitur aliquid privilegii aut aliqua titubare aura sententiae, cui vi ipsa sui nominis firma et nullis hebetata motibus constituit fundamenta, et quae sine suo periculo temere nullus incessat. Cum ergo tantae auctoritatis Petrus caput sit, et sequentia omnium maiorum studia firmaverint, ut tam humanis quam divinis legibus et disciplinis omnibus firmetur Romana Ecclesia, cuius locum nos regere, ipsius quoque potestatem nominis obtinere non latet vos, sed nostis, fratres carissimi, et quemadmodum sacerdotes scire debetis: tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia, nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultro literis referremus: dantes haec fraternitati, ut in commune consulentes, non quia quid deberet fieri nesciremus, aut faceremus aliquid, quod contra utilitatem Ecclesiae veniens displiceret, sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum de illo (Coelestio), qui apud vos, sicut ipsi per literas dicitis, fuerat accusatus, et ad nostram, qui se assereret innocentem, non refugiens iudicium ex appellatione pristina, venerit sedem. —

211. *Commonitorium ad Legatos.* Fratri Faustino et filiis Philippo et Asello presbyteris. Vobis commissa negotia non latent. Vos ita ut nostra, imo quia nostra ibi in vobis praesentia est, cuncta peragite, maxime cum et hoc nostrum possitis habere mandatum, et verba Canonum, quae in pleniorem firmitatem huic Commonitorio inseruimus. Ita enim dixerunt dilectissimi fratres

in Concilio Nicaeno (Sardicensi) cum de Epporum appellatione decernerent. (*Citatur Can. 7.*) De appellationibus autem Clericorum, id est, minoris loci, quid acturi sitis, est ipsius synodi certa responsio. (Can. 17. C. Sardic.) — **Migne** *Patr. Lat.* t. 20. p. 642. ss.

212—214.

Bonifacius PP. A. 418. ss. in suis doctrinalibus epistolis ad Petri Ap. praerogativas provocat, et ostendit: illas nominatim ab Orientalibus semper agnitas fuisse.

212. MON. *Epist. ad Rufum.* Beatus Apostolus *Petrus, cui arx sacerdotii dominica voce commissa est,* in immensum gratulationis extollitur, quoties pervidet concessi sibi honoris a Domino intemeratae se pacis filios habere custodes. Quid enim gaudio debeat maiore pensare, quam quod agnoscit acceptae potestatis illaesa iura servari? Vere namque *immobile* requirit a diversis destinata super negotiis quibusque consultatio *fundamentum, quae eius consulit Sedis arcanum, quam constat dignatione petrae spiritalis elatam .* —

213. *Ep. ad Eppos Thessaliae.* Institutio *universalis* nascentis *Ecclesiae de beati Petri sumsit honore principium,* in quo regimen eius et summa consistit. Ex eius enim eccles. disciplina per omnes Ecclesias religionis iam crescente cultura fonte manavit. Nicaenae Synodi non aliud praecepta testantur, adeo ut non aliquid super eum ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri, omnia denique huic noverat Domini sermone concessa. *Hanc ergo Ecclesiis toto orbe diffusis velut caput suorum certum est esse membrorum,* a qua se quisquis abscidit, fit christianae religionis extorris, cum in eadem non coeperit esse compage. Audio Epporum quosdam apostolico iure contemto novum quidpiam contra Christi propria praecepta tentare, cum se ab apost. Sedis communione, et, ut dicam verius, potestate separare nituntur, eorum petentes auxilium, quos ecclesiasticarum sanctio regularum maioris esse non

dedit potestatis. — Accipite ergo admonitionem et correptionem nostram. — Servate honorem debitum Capiti, etc. —

214. *Ep. ad Eppos Illyrici.* Manet beatum Apostolum *Petrum* per sententiam dominicam *universalis Ecclesiae* ab hoc suscepta *sollicitudo*, quippe quam Evangelio teste in se noverit esse fundatam, nec unquam eius honor vacuus potest esse curarum, cum certum sit summam rerum ex eius deliberatione pendere. Quae res animum meum usque ad Orientis loca — extendunt. Indesinenter enim ab unoquoque illinc veniente percontor de pace fratrum, id est, de quiete pontificum, quae solet, quoties diabolus huic invidet, alicuius praesumtione turbari. Cum igitur ad nos ordine suo cuncta servari fama nunc usque detulerit, vehementer mirati sumus eius rei stupentes, ut poscebat ratio relatorum, quam in iniuriam patrum intentio novella tentavit. *(Agit* de dissidiis *Corinthi* exortis.) — Sed absit hoc a Domini sacerdotibus, ut in hunc aliquis eorum cadat reatum, ut nova quidpiam usurpatione tentando inimica sibi faciat scita maiorum, aemulum se illum specialiter habere cognoscens, *apud quem Christus noster sacerdotii summam locavit.* — Tibi inquit, dabo claves regni coelorum; — tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. — Nemo unquam apostolico culmini, de cuius iudicio non licet retractare, manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis exstitit, nisi qui de se voluit iudicari. — Sed quia res postulat, approbandum documentis est, *maximas Orientalium Ecclesias* in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione maiore, *sedem semper consuluisse Romanam*, et quoties usus exegit, eius auxilium postulasse. *(Commemorat exempla Athanasii, Petri Alexandrini, Meletii, Flaviani etc.)* — Quoniam igitur ad probandam veritatem arbitror quae diximus exempla sufficere, quamvis plura vestri notione teneantur: absque fraternitatis iniuria conventui vestro volumus his literis obviatum, — convenientes, ut condecet, fratres, ne quis volens in nostra communione durare, fratris et coepiscopi nostri Perigenis iterum ad discutiendum in medium nomen adducat: cuius sacerdotium apostolus Petrus semel iam Spiritus S. suggestione firmavit, nihil huic relinquens in posterum quaestionis, cui dum constitueretur a nobis per eius temporis spatium quo vacavit, nihil omnino constet obiectum. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 20. p, 760. 777. 779.

215—224.

Hieronymus, A. 420. mortuus, Petri Primatum, Cathedrae Petri firmitatem ac unitatem nervose commonstrat, et factum reprehensi a Paulo Petri egregie explicat.

215. MON. *Epist. ad Damasum PP.* Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus indiscissam Domini tunicam et desuper textam minutatim per frusta discerpit, et Christi vineam exterminant vulpes, ut inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, ubi fons signatus et hortus ille conclusus sit, possit intelligi: ideo mihi *cathedram Petri et fidem Apostolico ore laudatam* censui consulendam, inde nunc meae animae postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi. Neque vero tanta vastitas elementi liquentis, et interiacens longitudo terrarum me a pretiosae margaritae potuit inquisitione prohibere. ‚Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur aquilae.' Profligato a sobole mala patrimonio, *apud vos solos incorrupta patrum servatur haereditas.* Ibi cespite terra foecundo Dominici seminis puritatem centeno fructu refert. — Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas. A Sacerdote victimam salutis, a Pastore praesidium ovis flagito. Facessat invidia, Romani culminis recedat ambitio, cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. *Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est, Cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si qui in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio. — Quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, antichristi est.* Nunc igitur, proh dolor! post Nicaenam fidem, post Alexandrinum iuncto pariter Occidente decretum, trium hypostaseon ab Arianorum prole, Campensibus, novellum a me homine Romano nomen exigitur. *(Postquam obiectum isthoc de tribus hypostasibus uberius evolverat, concludit :)* — Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam per crucifixam mundi salutem, per ho-

mousian Trinitatem, ut mihi epistolis tuis sive tacendarum sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas. — Simul etiam, cui apud Antiochiam debeam communicare, significes, quia Campenses cum Tarsensibus haereticis copulati nihil aliud ambiunt, quam ut auctoritate communionis vestrae fulti tres hypostases cum antiquo sensu praedicent.

216. *Epist. altera ad Damasum PP.* Importuna in Evangelio mulier tandem meruit audiri; et clauso cum servis ostio media licet nocte ab amico panes amicus accepit. Deus ipse, qui nullis contra se viribus superari potest, publicani precibus vincitur. Ninive civitas, quae peccato periit, fletibus stetit. Quorsum ista tam longo repetita principio? videlicet ut parvum magnus aspicias, ut dives pastor morbidam non comtemnas ovem. — Ego, ut ante iam scripsi, Christi vestem in Romana urbe suscipiens, nunc barbaro Syriae limite teneor. — Hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat. — *Ego interim clamito, si quis cathedrae Petri iungitur, meus est.* — Idcirco obtestor Beatitudinem tuam, per crucem Domini, per necessarium fidei nostrae decus, passionem Christi, ut qui *Apostolos honore sequeris*, sequaris et merito, ita in solio cum duodecim iudicaturus sedeas, ita te alius senem cum Petro cingat, ita municipatum coeli cum Paulo consequaris, ut mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes. Noli despicere animam, pro qua Christus mortuus est.

217. *Ep. ad Marcellam adversus Montanum.* — Si *Petrus* Apostolus, *super quem Dominus fundavit Ecclesiam*, et prophetiam et promissionem Domini (de Spiritu S. Paraclito) illo tempore completam memoravit Act. II. 14., quomodo possumus nobis aliud tempus vindicare? —

218. *Ep. ad Pammachium et Marcellam.* — Vos christiani senatus lumina, accipite et graecam et latinam etiam hoc anno epistolam, ne rursum haeretici mentiantur a nobis pleraque vel addita vel mutata. — Orate Dominum, ut quod in graeco placet, in latino non displiceat, et quod totus Oriens miratur et praedicat, laeto sinu Roma suscipiat. *(Scribit contra Origenis errores, aliosque haereticos S. Doctor.)* Praedicationem quoque cathedrae Marci Evangelistae *Cathedra Petri Apostoli sua praedicatione confirmet.* Quamquam celebri sermone vulgatum sit, beatum quoque Papam Anastasium eodem fervore, quia eodem

spiritu est, latitantes in foveis suis haereticos persecutum, eiusque literae doceant damnatum in Occidente quod in Oriente damnatum est. Cui multos imprecamur annos, ut haereseos rediviva plantaria per illius studium longo tempore arefacta moriantur.

219. *Ep. ad Augustinum de reprehensione Petri a Paulo.* — Secundo loco quaeris : cur dixerim in Comment. Epistolae ad Galatas, Paulum id in Petro non potuisse reprehendere, quod ipse fecerat. — Si quid reprehensione dignum putaveras in explanatione nostra, eruditionis tuae fuerat quaerere, utrum ea, quae scripsimus, haberentur in Graecis, ut si illi non dixissent, tunc meam proprie sententiam condemnares : praesertim cum libere in Praefatione confessus sim, Origenis commentarios me esse secutum, et vel mea vel aliena dictasse, et in fine eiusdem capituli, quod reprehendis, scripserim : Si cui iste non placet sensus, quo *nec Petrus peccasse, nec Paulus procaciter ostenditur arguisse maiorem*, debet exponere, qua consequentia Paulus in altero reprehendat, quod ipse commisit. Ex quo ostendi, me non ex definito id defendere, quod in graecis legerem, sed ea expressisse quae legeram, ut lectoris arbitrio derelinquerem, utrum probanda essent an improbanda. *(Uberius evolvit in sequentibus veritatem suae expositionis, ostendendo, Paulum non minus ac Petrum propter Iudaeorum metum finxisse se Legis praecepta servare.)*

220. *Comment. in Ep. ad. Gal. lib. I. c. 2. ad vers. 11. ss.* — Cum vidisset Paulus apostolus periclitari gratiam Christi, nova bellator vetus usus est arte pugnandi, ut dispensationem Petri, qua Iudaeos salvari cupiebat, nova ipse contradictionis dispensatione corrigeret, et resisteret ei in faciem, non arguens propositum, sed quasi in publico contradicens, ut ex eo, quod Paulus eum arguens resistebat, hi, qui crediderant ex gentibus, servarentur. Quodsi putat aliquis vere Paulum Petro Apostolo restitisse, et pro veritate Evangelii intrepide fecisse iniuriam praecessori, non ei stabit illud, quod et ipse Paulus Iudaeis Iudaeus factus est, ut Iudaeos lucrifaceret, et eiusdem simulationis tenebitur reus, quando caput totondit in Cencris, et facto calvitio oblationem obtulit in Jerusalem, et Timotheum circumcidit, et nudipedalia exercuit, quae utique manifestissime de ceremoniis Iudaeorum sunt. Si itaque ipse, qui ad praedicatio-

nem gentium missus erat, non putavit abs re dicere : ‚Sine offendiculo estote Iudaeis et Ecclesiae Dei,‘ — et fecit aliqua quae contraria essent Evangelii libertati, ne scandalisaret Iudaeos : qua auctoritate, qua fronte audet hoc in Petro reprehendere, qui circumcisionis Apostolus erat, quod ipse apostolus gentium arguitur commisisse? Sed, ut ante iam diximus, restitit secundum faciem publicam Petro et ceteris, ut hypocrisis observandae legis, quae nocebat eis qui ex gentibus crediderant, correptionis hypocrisi emendaretur, et uterque populus salvus fieret. — Nec mirum quamvis iustos homines tamen aliqua simulare pro tempore, — cum et ipse Dominus noster non habens peccatum nec carnem peccati, simulationem peccatricis carnis assumserit, ut condemnans in carne peccatum nos in se faceret iustitiam Dei. Legerat utique Paulus in Evangelio Dominum praecipientem : ‚Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum.‘ Et quomodo cum etiam de minimis fratribus hoc faciendum iusserit, ausus est *Apostolorum maximum* in publica facie tam procaciter, tam constanter arguere, *nisi et Petro sic placuisset argui, et Paulus non ei faceret iniuriam de quo ante dixerat : Veni Ierosolymam videre Petrum.* — Quodsi cui iste non placet sensus, *quo nec Petrus peccasse, nec Paulus procaciter ostenditur arguisse maiorem*, debet exponere qua consequentia hoc Paulus in altero reprehendat, quod ipse commisit. —

221. *Lib. I. adv. Iovinianum.* — At dicis : *super Petrum fundatur Ecclesia;* licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, et cuncti claves regni coelorum accipiant, et ex aequo super eos Ecclesiae fortitudo solidetur : tamen propterea *inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto schismatis tollatur occasio.* Sed cur non Ioannes electus est virgo? *Aetati delatum est, quia Petrus senior erat*, ne adhuc adolescens ac pene puer progressae aetatis hominibus praeferretur. —

222. *Dial. adv. Pelagianos lib. 1.* — Quid Aristoteli et Paulo? Quid Platoni et *Petro?* Ut ille enim *princeps* philosophorum, ita *hic Apostolorum fuit, super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est, quae nec impetu fluminis, nec ulla tempestate concutitur.*

223. *Lib. de viris illustr.* Simon Petrus — *princeps Apostolorum,* post eppatum Antiochensis Ecclesiae et praedicationem

dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderant, — *Romam pergit, ibique 25 annis Cathedram sacerdotalem tenuit,* usque ad ultimum annum Neronis. — Sepultus Romae in Vaticano iuxta viam triumphalem, totius orbis veneratione celebratur. — Clemens — quartus post Petrum Romae Eppus — scripsit *ex persona Romanae Ecclesiae* ad Ecclesiam *Corinthiorum* valde utilem Epistolam.

224. *Comment. in Ev. Matth. c. 16.* — Petrus ex persona omnium apostolorum profitetur: Tu es Christus Filius Dei vivi. — Quid est quod ait: ‚Et ego dico tibi?' Quia tu mihi dixisti: ‚Tu es Christus filius Dei vivi,' et ego dico tibi, non sermone casso et nullum habente opus, sed dico tibi, quia meum dixisse fecisse est. ‚Quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.' Sicut ipse lumen Apostolis donavit, ut lumen mundi appellarentur, ceteraque ex Domino sortiti sunt vocabula, ita et *Simoni, qui credebat in petram Christum, Petri* largitus est nomen: at secundum metaphoram petrae recte dicitur ei: *Aedificabo Ecclesiam meam super te.* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 22. ss.

225—227.

Rescripta **Imperatorum Theodosii et Honorii** quoad iura Ecclesiae Romanae in **Illyricum**, A. 421.

225. MON. *Theodosius pro iure Ecclesiae CPnae edit decretum.* Theodosius Aug. Philippo Praefecto Illyrici. Omni innovatione cessante vetustatem et canones pristinos ecclesiasticos, qui nunc usque tenuerunt, per omnes Illyrici provincias servari praecipimus: ut si quid dubietatis emerserit, id oporteat non absque scientia viri reverentissimi sacrosanctae legis Antistitis urbis CPnae, quae Romae veteris praerogativa laetatur*), conventui sacerdotali sanctoque iudicio reservari.

*) Editores huius decreti in Patrologiae Cursu D. **Migne** t. 20. p. 769. ad verba haec observant: ‚Ea veteris Romae praerogativa est, ut sit Apostolica Sedes. At civitas CPna, ut Gelasius ep. 9. loquitur, nullum inter sedes nomen accepit. Imo neque ex Regis praesentia ullam ecclesiis

226. *Honorius Imp. monet Theodosium, ut decretum praevium, Romanae Sedi praeiudicans, abroget.* Omnibus quidem causis, in quibus nostrum postulatur auxilium, intercessionem apud aures Clementiae tuae negare non possumus: sed his maiorem necessario curam studiumque debemus, *quibus Sanctae Sedis Apostolicae desideria continentur.* Nam cum favore divino nostrum semper gubernetur imperium, procul dubio illius urbis Ecclesia speciali nobis cultu veneranda est, *ex qua et Romanum principatum accepimus, et principium accepit sacerdotium.* Siquidem nihil aliud a pietate nostra postulaverit missa legatio nisi quod catholicae fidei disciplinae et aequitati concordet. Petit enim, ut haec privilegia, quae dudum a patribus constituta usque ad tempora nostra servata sunt, inconcussa perdurent. In qua parte respicit Serenitas tua, nihil vetustis decretis, s. quae canonum conscripta sunt regulis, penitus derogandum, nec tot iam seculorum reverentiam novellis praeiudiciis sauciandam. Unde maiestas tua recensitis nostrae pietatis affatibus Christianitatis memor, quam pectoribus nostris misericordia coelestis infundit, universis remotis, quae diversorum Epporum subreptionibus per Illyricum impetrari dicuntur, antiquum ordinem praecipiat custodiri, *ne sub Principibus Christianis Romana perdat Ecclesia, quod aliis imperatoribus non amisit.*

227. *Theodosius illaesa servari iura Romani Pontificis iubet.* Dignum meretur iudicium, quisquis perennis Principis affatus ad nostram videtur deferre clementiam, domine sancte, pater auguste venerabilis, tum praecipue Christianae Religionis intuitu, quae venerandis sensibus maiestatis tuae ita infusa est, ut per nostra corda latius porrecta servetur. Deus enim auctor ideo praesules fecit christianorum principum posteros, ut omni subreptione frustrata, id, quod a maioribus nostris constitutum est, reservetur. Et quamquam non solum in iis, quae divina suffragia incorrupta servarunt, affatus perennitatis tuae a nobis observentur affectu celeri omnique veneratione suscepta, tum praecipue haec res: quia seculi totiusque regni nostri sospita-

praerogativam accedere idem Papa epist. 23. asserit. Eam autem, qua Romanum Pontificem gaudere Nicaena Synodus Can. 6. observat, antistiti CPno hic attribui obscurum non est. Quam novitatem a Theodosio admitti eo magis est mirum, quod in hoc ipso edicto omnem innovationem cessare se velle praeloquitur.'

tem illius inclytae urbis nomen hactenus servat. Unde omni supplicantium Epporum per Illyricum subreptione remota, statuimus observari, quod prisca apostolica disciplina et canones veteres eloquuntur. Super qua re secundum formam oraculi perennitatis tuae ad viros illustres praefectos praetorii Illyrici nostri scripta porreximus, ut cessantibus Epporum subreptionibus antiquum ordinem specialiter faciant custodiri, *ne venerabilis Ecclesia sanctissima Urbis privilegia a veteribus constituta amittat, quae perenne nobis sui nominis consecravit imperium.*

228—231.

Coelestinus I PP. A. 422—432. de obligatione referendi ad Sedem Ap. deque huius iure, gubernandi Ecclesiam, et custodiae Canonum intendendi.

228. MON. *Epist. ad Eppos Illyrici.* Inter ceteras curas et diversa negotia, quae *ad nos ex cunctis veniunt semper Ecclesiis*, propensiorem nos etiam vestri sollicitudinem gerere, et ex decretorum nostrorum sanctione discetis, et ipsarum qualitate causarum poteritis advertere. Nunc tamen Dyrrhacenae provinciae causa nos monuit, ubi quorumdam accusantium factione frater et coepiscopus noster Felix, si non nostra intervenisset diligentia, fuisset oppressus. — *Nos praecipue circa omnes cura constringimur, quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in S. Petro Apostolo, cum illi claves aperiendi claudendique daret, indulsit,* et inter apostolos suos, non qui altero esset inferior, sed eum maxime qui esset primus, legit. Dominentur nobis regulae, non regulis dominemur; simus subiecti canonibus, cum canonum praecepta servamus. —

229. *Ep. ad Eppos provinciae Vienn. et Narbon.* Cuperemus quidem de vestrarum Ecclesiarum ita ordinatione gaudere, ut congratularemur potius de profectu quam aliquid admissum contra disciplinam eccles. doleremus. Ad nostram enim laetitiam et benefacta perveniunt, et mocroris aculeis nos quae fuerint

male facta compungunt. *Nec silere possumus, cum ad hoc, ut ab illicitis revocemus aliquos, officii nostri provocemur instinctu, in speculis a Deo constituti, ut vigilantiae nostrae diligentiam comprobantes et quae coercenda sunt resecemus, et quae observanda sunt sanciamus.* (Sequuntur statuta quoad plura disciplinae eccles. capita.)

230. *Ep. ad Eppos Apuliae et Calabriae.* Nulli sacerdotum suos licet canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare. Quae enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libito, licentia populis permissa, frangatur? Audivimus quasdam propriis destitutas rectoribus civitates Eppos petere sibi velle de laicis, tantumque fastigium tam vile credere, ut hoc iis, qui non Deo, sed seculo militaverint, aestiment nos posse conferre. — Talibus itaque, fratres carissimi, *qui iuris nostri, id est, canonum gubernacula custodimus,* necesse est obviemus. — Quisquis conatus fuerit tentare prohibita, sentiet censuram Sedis Apost. minime defuturam. —

231. *Ep. ad Eppos Galliarum.* Apostolici verba praecepti sunt, apud Iudaeos atque Gentiles sine offensione nos esse debere. Hoc quisquis Christianus est, tota animi virtute custodit. Quod cum ita sit, non parum periculi illum manere poterit ante Deum, qui hoc detrectat etiam fidelibus exhibere. — Filii nostri praesentes *Prosper* et *Hilarius*, quorum circa Deum nostrum sollicitudo est laudanda, tantum nescio quibus presbyteris illic licere, qui dissensioni Ecclesiarum studeant, sunt apud nos prosecuti, ut indisciplinatas quaestiones vocantes in medium pertinaciter eos dicant praedicare adversantia veritati. Sed vestrae dilectioni iustius imputamus, quando illi supra vos habent copiam disputandi. Legimus supra magistrum non esse discipulum, hoc est, non sibi debere quemquam in iniuriam doctorum vindicare doctrinam. Nam et hos ipsos a Deo nostro positos novimus ad docendum. — Quid illic spei est, ubi magistris tacentibus ii loquuntur, qui, si ita est, eorum discipuli non fuerunt? Timeo, ne connivere sit hoc tacere. — Reccurrerunt ad Apostolicam praedicti Sedem, haec ipsa nobis, quae tentat perturbatio, conquerentes. Habetote, fratres carissimi, pro catholicae plebis pace tractatum. — Non est agentium causa solorum, universalis Ecclesia quacunque novitate pulsatur. — *(Literis his adnectitur fusior enumeratio*

auctoritatum Sedis Apostolicae de gratia Dei adversus errores Pelagianorum.) — **Migne** *Patr. Lat.* t. 50. p. 427. 430. 436. 528.

232—234.

Prosper Aquitanus. A. 428. ss. Sedem beati Petri velut principem ac solium potestatis extollit.

232. MON. *Lib. de praet. Sedis Apost. Epporum auctorit. de gratia.* Quia nonnulli, qui catholico nomine gloriantur, in damnatis autem haereticorum sensibus seu pravitate sive imperitia demorantes piissimis disputatoribus obviare praesumunt; et cum Pelagium atque Coelestium anathematisare non dubitent, magistris tamen nostris tamquam necessarium modum excesserint obloquuntur, eaque tantummodo sequi et probare profitentur, quae *sacratissima beati Apostoli Petri Sedes* contra inimicos gratiae Dei per ministerium praesulum suorum sanxit et docuit: necessarium fuit diligenter inquirere, quid rectores Romanae Ecclesiae de haeresi, quae eorum temporibus exorta fuerat, iudicarint, et contra nocentissimos liberi arbitrii defensores quid de gratia Dei sentiendum esse censuerint, ita, ut etiam Africanorum Conciliorum quasdam sententias iungeremus, quas utique suas fecerunt apostolici Antistites, cum probarunt. —

233. *Lib. Sententiarum ex opp. S. Augustini. c. 363.* Qui sic confitetur Christum Deum, ut eundem hominem neget verum, — non est pro illo mortuus Christus, quia secundum hominem mortuus est Christus. — Nec ullus se beati *Petri* defendat exemplo, qui se multis lacrymis et accusavit et lavit, *ut principem suum Ecclesia non negationis sed poenitentiae incitatione sequeretur.*

234. *De vocat. omn. Gentium lib. 2. c. 16.* — Ad cuius rei effectum (propagationis Religionis Christianae) credimus providentia Dei *Romani* regni latitudinem praeparatam, ut nationes vocandae ad unitatem corporis Christi prius iure unius consociarentur imperii: quamvis gratia Christiana non contenta sit

eosdem limites habere quos Roma, multosque iam populos sceptro crucis Christi illa subdiderit, quos armis suis ista non domuit. Quae tamen *per Apostolici sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis quam solio potestatis.* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 51.

235—260.

Augustinus, A. 430. mortuus, solita cum facundia et primatum Petro a Domino collatum in omni suo opere praedicat, et Romanae Ecclesiae, in qua semper viguerit Cathedrae Apostolicae principatus, summam potestatem confitetur.

235. MON. *Epist. ad Glorium, Eleusium etc.* — Si in eius (Secundi Tigisitani) corde cogitatio pacis habitaret, non apud Carthaginem postea cum traditoribus, quos praesentes atque confessos Deo dimiserat, damnaret crimina traditionis, quos absentes apud eum nemo convicerat. Tanto magis enim timere debuit, ne pax unitatis violaretur, quanto erat Carthago civitas ampla et illustris, unde se per totum Africae corpus malum, quod ibi esset exortum, tamquam a vertice effunderet. Erat etiam transmarinis vicina regionibus et fama celeberrima nobilis : unde non mediocris utique auctoritatis habebat episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret et *Romanae Ecclesiae, in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus,* et ceteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse coniunctum, ubi paratus esset causam suam dicere, si adversarii eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur. —

236. *Ep. ad Generosum.* — Si ordo Epporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius et vere salubriter ab ipso *Petro* numeramus, *cui totius Ecclesiae figuram gerenti Dominus ait: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferorum non vincent eam.* — In illum autem ordinem

Epporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, qui nunc eandem cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil praeiudicaret Ecclesiae et innocentibus Christianis, quibus Dominus providens ait de praepositis malis: Quae dicunt, facite, quae autem faciunt, facere nolite, dicunt enim et non faciunt. Ut certa sit spes fidelis, quae non in homine, sed in Domino collocata numquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur. —

237. *Ep. ad Paulinum de haeresi Pelagii.* — Posteaquam ad nos literae de Oriente venerunt, eandem causam (Pelagianam) apertissime ventilantes, nullo modo iam qualicumque episcopali auctoritate deesse Ecclesiae debueramus. *Missae sunt itaque de hac re ex duobus Conciliis Carthaginensi et Milevitano relationes ad Apostolicam Sedem,* antequam gesta ecclesiastica, quibus apud Eppos provinciae Palaestinae Pelagius perhibetur esse purgatus, vel in manus nostras vel in Africam pervenissent. *Scripsimus etiam ad beatae memoriae Papam Innocentium* praeter Conciliorum relationes literas familiares, ubi de ipsa causa aliquanto diutius egimus. *Ad omnia nobis ille rescripsit eo modo, quo fas erat atque oportebat Apostolicae Sedis Antistitem.* —

238. *Ep. ad Optatum in eodem merito.* — Te autem, si libenter vel patienter admittis, carissime frater, admoneo, ne haeresim novam minus cautus incurras, quae antiquissimae fidei molitur fundamenta convellere adversus Dei gratiam disputando, quam Dominus Christus pusillis et magnis ineffabili bonitate largitur: cuius vel auctores, vel certe accerrimi notissimique svasores cum Pelagius et Coelestius extitissent, conciliorum eppalium vigilantia in adiutorio Salvatoris, qui suam tuetur Ecclesiam, etiam *a duobus venerabilibus Antistitibus Apostolicae Sedis, Papa Innocentio et Papa Zosimo,* nisi correcti etiam egerint poenitentiam, *toto christiano orbe damnati sunt.* — De quibus exempla recentium literarum, sive quae specialiter ad Afros, sive quae universaliter ad omnes Eppos de memorata Sede manarunt, ne forte ad vestram sanctitatem nondum pervenerint, vobis curavimus mitti. — *(Citatis pluribus verbis e literis Sedis Apostolicae, pronunciat:)* In his verbis *Apost. Sedis tam antiqua atque fundata, certa et clara est catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare christiano.* —

239. *Ep. ad Bonifacium PP.* Noveram te quidem fama celeberrima praedicante, et frequentissimis atque veracissimis nuntiis, quanta esses Dei gratia plenus acceperam, beatissime atque venerande Papa Bonifaci. — Neque dedignaris, qui non alta sapis, *quamvis altius praesideas*, esse amicus humilium et amorem rependere impensum. — Unde — ausus sum aliquid ad tuam beatitudinem scribere de his rebus, quae hoc tempore eppalem curam, si qua in nobis est, ad vigilantiam pro grege Dominico stimulo recentiore sollicitant. Novi quippe haeretici, inimici gratiae Dei, — cum non desinant fremere ad Dominici gregis caulas atque ad diripiendas tanto pretio redemtas oves aditus undecunque rimari, communisque sit omnibus nobis, qui fungimur eppatus officio, *quamvis ipse in ea praeemineas celsiore fastigio*, specula pastoralis: facio quod possum pro mei particula muneris, — ut pestilentibus et insidiantibus eorum scriptis medentia et munientia scripta praetendam, quibus rabies, qua furiunt, aut etiam ipsa sanetur, aut a laedendis aliis repellatur. Haec autem, quae — duabus epistolis illorum ista disputatione respondeo, ad tuam potissimum dirigere sanctitatem *non tam discenda, quam examinanda, et ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda constitui.* —

240. *Tract. 7. in Evang. Ioannis.* — ‚Intuitus autem eum (Simonem) Iesus dixit: tu es Simon filius Ioannis, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.‘ Non magnum, quia Dominus dixit, cuius filius esset iste. — *Magnum, quia mutavit ei nomen, et fecit de Simone Petrum;* Petrus autem a petra, petra vero Ecclesia: ergo *in Petri nomine figurata est Ecclesia.* Et quis securus, nisi qui aedificat super petram? — *Una est securitas, et aedificare et super petram aedificare.* —

241. *Quaest. ex Nov. Test. 75.* Cur Salvator pro se tantum et Petro didrachmam solvit, non etiam pro ceteris Apostolis? — Didrachma ab his exigenda erat, qui aliquid negotii gerebant, aut artibus operam dabant. Salvator autem, quia nihil horum curabat, neque discipuli eius, exigendus utique non erat: sed quia inimicus diabolus semper in insidiis erat, occasionem quaerens si posset inclinare Salvatorem, exactorum didrachmae animos occupavit, ut eius facerent voluntatem, ut accedentes ad *Petrum, qui primus inter Apostolos erat,* solvi debere ab eorum magistro dicerent didrachmam, qui ab his omnibus liberi erant.

— Salvator cum pro se et Petro dari iubet, pro omnibus exolvisse videtur: quia sicut in Salvatore erant omnes causa magisterii, ita et post Salvatorem *in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse Caput eorum, ut pastor esset gregis Dominici.*

242. *Enarr. in Ps. 103.* — *Petrus*, ut sequeretur Dominum, novimus quod piscator erat, quid potuit dimittere? vel frater eius Andreas, vel filii Zebedaei Ioannes et Iacobus, etiam ipsi piscatores; et tamen quid dixerunt? ‚Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te.' — *Prorsus totum mundum dimisit Petrus, et totum mundum Petrus accepit.* —

243. *Enarr. in Ps. 108.* Psalmum istum de Christo habere prophetiam, quisquis Actus Apostolorum fideliter legit, agnoscit: ubi de Christi traditore Iuda prophetatum esse, quod hic scriptum est ‚fiant dies eius pauci, et eppatum eius accipiat alter', quando Mathias in locum Iudae ordinatus numero Apostolorum duodecim adiunctus est, evidenter apparet. Sed si de illo uno homine omnia, quae hic in malo dicta sunt, intelligere conemur, expositionis ratio non omnimodo aut vix valebit occurrere; si autem de tali genere hominum malorum, id est, inimicorum Christi ingratorumque Iudaeorum, omnia mihi videntur posse clarius aperiri. Sicut enim quaedam dicuntur, quae ad Apostolum *Petrum* proprie pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad *Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gestasse personam propter primatum, quem in discipulis habuit,* sicuti est: ‚Tibi dabo claves regni coelorum' et si qua huiusmodi: ita Iudas personam quodammodo sustinet inimicorum Christi Iudaeorum, qui et tunc oderant Christum, et nunc per successionem perseverante genere ipsius impietatis oderunt. —

244. *Sermo 46. cap. 13.* Unus pastor bonus, quia boni omnes in uno. Hic invenio omnes pastores bonos in uno pastore. Non enim vere pastores boni desunt, sed in uno sunt. Multi sunt, qui divisi sunt: hic unus praedicatur, quia unitas commendatur. Neque enim vere modo ideo tacentur pastores, et dicitur pastor, quia non invenit Dominus cui commendet oves suas: tunc autem ideo cummendavit, quia Petrum invenit: imo vero et *in ipso Petro unitatem commendavit.* Multi erant Apostoli, et *uni dicitur: Pasce* oves meas. — Nam et ipsum *Petrum*, cui commendabat oves suas quasi alter alteri, unum secum facere volebat, ut sic

ei oves commendaret, *ut esset ille caput, ille figuram corporis portaret, id est, Ecclesiae,* et tamquam sponsus et sponsa essent duo in carne una.

245. *Sermo 76, c. 1.* Evangelium, quod recentissime recitatum est (Matth. XIV. 24—33.) de Domino Christo, qui super aquas maris ambulavit, et de apostolo Petro, qui ambulans timendo titubavit, et diffitendo mersus, confitendo rursus emersit, admonet nos intelligere, mare praesens seculum esse, *Petrum vero Apostolum Ecclesiae unicae typum.* Ipse enim *Petrus in ordine Apostolorum primus,* in Christi amore promtissimus, saepe unus respondet pro omnibus. — Simon antea vocabatur. Hoc autem ei nomen, ut Petrus appellaretur, a Domino impositum est, et hoc in ea figura, ut significaret Ecclesiam. — *cap. 2.* — *Petrus* a petra cognominatus beatus, *Ecclesiae figuram portans, apostolatus principatum tenens,* continuo post paululum iam audito quod beatus esset, iam audito quod Petrus esset, iam audito quod supra petram aedificandus esset, posteaquam audivit futuram Domini passionem, — displicuit ei. Timuit ne perderet morientem, quem confessus fuerat vitae fontem. — Christus — continuo reprehendit, quem paulo ante laudaverat, et quem beatum dixerat, satanam appellat. — *cap. 3.* — Quia Ecclesia Christi habet firmos, habet et infirmos: — in eo, quod dixit Petrus ‚Tu es Christus filius Dei vivi,' firmos significat; in eo autem, quod trepidat et titubat, et Christum pati non vult, mortem timendo, vitam non agnoscendo, infirmos Ecclesiae significat. *In illo* ergo *uno Apostolo, id est Petro, in ordine Apostolorum primo et praecipuo, in quo figurabatur Ecclesia,* utrumque genus significandum fuit, id est, firmi et infirmi, quia sine utroque non est Ecclesia. —

246. *Serm. 147.* De verbis Evang. Ioannis ‚Simon Ioannis, diligis me plus his?' cap. 21, v. 15. ss. — *Apostolum Petrum, primum omnium Apostolorum*, meministis in Domini passione fuisse turbatum. A se turbatum, sed a Christo innovatum. — Interrogat eum Dominus, — et dicit ei: ‚Simon Ioannis, diligis me plus his?' Respondit ille et dixit: ‚Etiam, Domine, tu scis, quia amo te.' Et iterum Dominus hoc interrogavit, et tertio hoc interrogavit. Et respondenti dilectionem commendavit gregem. — *In uno Petro figurabatur unitas omnium pastorum,* sed bonorum, qui sciant oves Christi pascere Christo non sibi.

247. *Serm. 295.* — Beatus *Petrus, primus Apostolorum*, vehemens Christi amator, qui meruit audire: Et ego dico tibi etc. — Dominus Iesus discipulos suos ante passionem suam elegit, quos Apostolos appellavit. Inter hos pene ubique *solus Petrus totius Ecclesiae meruit gestare personam.* Propter ipsam personam, quam totius Ecclesiae solus gestabat, audire meruit: ‚Tibi dabo claves regni coelorum.' Has enim claves non unus homo, sed unitas accepit Ecclesiae. Hinc ergo Petri excellentia praedicatur, quia ipsius universitatis et unitatis Ecclesiae figuram gessit. — Merito etiam post resurrectionem Dominus ipsi Petro oves suas commendavit pascendas. Non enim inter discipulos solus meruit pascere dominicas oves: sed quando Christus ad unum loquitur, unitas commendatur, et *Petro primitus, quia in Apostolis Petrus est primus. — Dominus semel, et iterum, et tertio oves suas commendavit Petro.* —

248. *Serm. 299.* — Sicut nostis omnes, qui Scripturas S. nostis, Apostolus *Petrus* inter discipulos, quos Dominus praesens in carne elegit, *primus* electus est: Paulus autem — longe postea, non dispar illis. *Petrus* ergo *primus Apostolorum*, Paulus autem novissimus: Deus autem, cuius hi servi, cuius hi praecones, cuius hi praedicatores, primus et novissimus. *Petrus in Apostolis primus*, Paulus in Apostolis novissimus: Deus et primus et novissimus, ante quem nihil et post quem nihil. Deus ergo, qui se primum et novissimum aeternitate commendavit, ipse Apostolos primum et novissimum passione coniunxit.

249. *Serm. supposit. 79.* De verbis Evangelii Matth. 26, 31. ss. 69. ss. — Beatum *Petrum* paululum Dominus subdeseruit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia praevalere, et ut *Ecclesiae rectori futuro* ignoscendi peccantibus quaedam regula poneretur. — *Credendae* enim *erant Petro Apostolo claves Ecclesiae: imo creditae sunt ei claves regni coelorum.* Credenda quoque ei erat populorum innumera multitudo, quae esset pro suae naturae vitiis passionibus, culpis involuta atque peccatis. Denique sic ad eum Salvator dicit: Tibi dedi claves regni coelorum. Deinde sequitur: Quaecunque ligaveris etc. videlicet ut in clavibus fidelis ianitor, in sententiis esset clementissimus dispensator. — Sed idcirco divinae providentiae secretum ita temperavit atque permisit, ut primus ipse laberetur ac rueret in peccatum, quo erga pec-

cantes duriorem sententiam proprii casus intuitu temperaret. — *Totius corporis morbum in ipso capite curat Ecclesiae* (Dominus), et in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem, in ipsa confessionis Christi crepidine, in ipso immobilis fidei fundamento, in Petro scilicet etc. —

250. *Serm. suppos. 101.* De verbis Act. Ap. 10, 1—28. — Vas Ecclesiam significat; quatuor lineae, quibus dependebat, quatuor partes orbis terrarum, per quas extenditur Ecclesia Catholica. — *Petrus* in multis locis apparet quod *personam gestet Ecclesiae.* — Beatus *Petrus typum Ecclesiae habuit Catholicae.* —

251. *Serm. suppos. 190.* Institutio solemnitatis hodiernae (Cathedrae S. Petri) a senioribus nostris *Cathedrae* nomen accepit, ideo quod *primus Apostolorum Petrus* hodie eppatus cathedram suscepisse referatur. Recte ergo Ecclesiae natalem Sedis illius colunt, quam Apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit, dicente Domino : ‚Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.‘ *Petrum* itaque *fundamentum Ecclesiae* Dominus nominavit et ideo digne fundamentum hoc Ecclesia colit, *supra quod ecclesiastici aedificii altitudo consurgit.* —

252. *Serm. suppos. 192.* Nostis, fratres carissimi, beatissimum *Petrum* in Salvatoris passione suis erroribus profecisse, et posteaquam negavit Dominum, fuisse apud Dominum meliorem. Fidelior enim factus est, posteaquam fidem se perdidisse deflevit, atque ideo maiorem gratiam reperit quam amisit. *Tamquam bonus enim pastor tuendum gregem accepit,* ut qui sibi antea infirmus fuerat, *fieret omnibus firmamentum,* et qui interrogationis tentatione nutaverat, ceteros fidei stabilitate fundaret. Denique pro soliditate devotionis *Ecclesiarum petra* dicitur, sicut ait Dominus : ‚Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.‘ Petra enim dicitur eo, quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, et *tamquam saxum immobile totius operis christiani compagem molemque contineat.* —

253. *Serm. suppos. 202.* Cum omnes beati Apostoli parem gratiam apud Dominum sanctitatis obtineant, nescio quo tamen pacto Petrus et Paulus videntur prae ceteris peculiari quadam in Salvatorem fidei virtute praecellere. Quod quidem ex ipsius Domini iudicio possumus approbare. Nam *Petro* sicut bono dispensatori, *clavem regni coelestis* dedit, Paulo tamquam idoneo

doctori magisterium ecclesiasticae institutionis iniunxit, scilicet ut quos iste erudierit ad salutem, ille suscipiat ad quietem, quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna coelorum. — Ambo igitur claves a Domino perceperunt: scientiae ille, hic *potentiae*. —

254. *Serm. suppos. 203.* — *Petrus* in illa coelestium discipulorum schola *praecipuus*, ac *primus* idoneus, qui verba vitae ex Christi ore suscipiens, per Evangelii potestatem Iudaeorum gentem perditam quaereret, et abdicatos ad haereditatem vocaret, interpres legis, assertor gratiae, destructor synagogae, Ecclesiae reparator: et ideo solus inter Apostolos meruit audire: ‚Amen dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam;' dignus certe qui aedificandis in domo Dei populis *lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum.* —

255. *Lib. de agone christiano. c. 30.* Nec eos audiamus, qui quamvis neminem rebaptisent, praeciderunt se tamen ab unitate, et Luciferiani magis quam Catholici dici maluerunt. In eo enim quod intelligunt baptisma Christi non esse repetendum, recte faciunt. Sentiunt enim sacramentum sancti lavacri nusquam esse, nisi ex Catholica Ecclesia, sed eam formam secum habere sarmenta praecisa, quam in ipsa vite, antequam praeciderentur, acceperant. Hi sunt enim, de quibus Apostolus dicit: ‚habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.' Est enim magna virtus pietatis pax et unitas, quia unus est Deus. Hanc illi non habent, quia praecisi ab unitate sunt. — Nusquam tam vigere debent viscera misericordiae, quam in Catholica Ecclesia, ut tamquam vera mater nec peccantibus filiis superbe insultet, nec correctis difficile ignoscat. *Non enim sine causa inter omnes Apostolos huius Ecclesiae Catholicae personam sustinet Petrus:* huic enim Ecclesiae claves regni coelorum datae sunt, cum Petro datae sunt. Et cum ei dicitur, ad omnes dicitur: ‚amas me, pasce oves meas.' Debet ergo Ecclesia Catholica correctis et pietate firmatis filiis libenter ignoscere etc. — *cap. 31.* Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri *dum in Petro petram non intelligunt*, et nolunt credere datas Ecclesiae claves regni coelorum, ipsi eas de manibus amiserunt. —

256. *Lib. de vera et falsa poenitentia. c. 20.* Sacerdos

omnis cui profertur peccator, ante quem statuitur omnis langvor, in nullo eorum sit iudicandus, quae in alio iudicare est promtus. Iudicans enim alium, qui est iudicandus, condemnat se ipsum. Cognoscat igitur se, et purget in se, quod alios videt sibi offerre. — Caveat ne corruat, ne iuste perdat potestatem iudiciariam. Licet enim poenitentia ei possit acquirere gratiam, non tamen mox restituit in potestatem primam. Licet enim *Petrus* post lapsum restitutus, fuerit, et saepe lapsis sacerdotibus reddita sit dignitatis potestas, non est tamen necesse, ut hoc omnibus concedatur quasi ex auctoritate. Invenitur enim auctoritas quae concedit, et quasi imperat. Invenitur et alia, quae minime concedit, sed vetat. — Itaque Pontifex iustus atque discretus non cogitur sacerdotes suos semper abiicere, nec mox restituere, *nisi statutum fuerit a Romano Pontifice.* —

257. *De baptismo contra Donatistas. L. II. c. 1.* Quantum pro nobis, hoc est, pro pace catholica faciant ea, quae tamquam ex auctoritate beati *Cypriani* adversus nos a parte Donati proferuntur, et quantum sint adversus eos, a quibus proferuntur, adiuvante Domino demonstrare proposui. — Quid ergo isti dicunt, cum veritatis viribus praefocantur, cui consentire nolunt? ‚Cyprianus, inquiunt, cuius tantum meritum novimus tantamque doctrinam, cum multis coëpiscopis suis sententias proprias conferentibus, in concilio statuit: haereticos vel schismaticos, id est, omnes, qui extra unius Ecclesiae communionem sunt, baptismum non habere, et ideo quisquis ab eis baptisatus ad Ecclesiam venerit, esse in Ecclesia baptisandum.‘ Non me terret auctoritas Cypriani, quia reficit humilitas Cypriani. Magnum quidem meritum novimus Cypriani Eppi et Martyris, *sed numquid maius quam Petri Apostoli et Martyris?* de quo idem Cyprianus in epist. ad Quintum ita loquitur: ‚Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit etc..‘ Ecce ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis S. didicimus, Apostolum Petrum, *in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia praeeminet*, aliter quam veritas postulabat de circumcisione agere solitum a posteriore Apostolo Paulo esse correctum. Si ergo potuit Petrus — contra veritatis regulam, quam postea Ecclesia tenuit, cogere gentes iudaisare: cur non potuit Cyprianus contra regulam veritatis, quam postea tota Ecclesia tenuit, cogere haereticos vel schismaticos denuo baptisari? Puto

quod sine ulla sui contumelia Cyprianus Eppus Petro Apostolo comparatur, quantum attinet ad martyrii coronam. Ceterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. *Quis enim nescit illum Apostolatus principatu cuilibet episcopatui praeferendum?*

258. *Contra literas Petiliani. L. II. c. 51. Petilianus* dixit: Si cathedram vobis miseri vindicatis, habetis illam profecto quam David propheta psalmographus pestilentiae cathedram pronunciavit: vobis enim iuste relicta est, quia eam sancti sedere non possunt. *Augustinus* respondit: Et haec non vides non aliqua esse documenta, sed vana convicia. Hoc enim est illud, quod paulo ante dixi, verba legis dicitis, sed in quos dicatis non attenditis, sicut diabolus verba legis dicebat, sed cui diceret non agnoscebat. Ille caput nostrum sursum ascensurum deorsum volebat deiicere: vos autem corpus eiusdem Capitis, quod per totam terram diffusum est, ad exiguam partem vultis redigere. — Verumtamen si omnes per totum orbem tales essent, quales vanissime criminaris: *Cathedra* tibi quid fecit *Ecclesiae Romanae, in qua Petrus sedit*, et in qua hodie Anastasius sedet: vel Ecclesiae Ierosolymitanae, in qua Iacobus sedit, et in qua hodie Ioannes sedet, quibus nos in catholica unitate connectimur, et a quibus vos nefario furore separastis? Quare appellas ‚cathedram pestilentiae' Cathedram Apostolicam? — Sed quid est aliud quam nescire quid dicere, et tamen non posse nisi maledicere? —

259. *Lib. I contra Iulianum Pelag. cap. 4.* — An ideo contemnendos putas (tot Ecclesiae Catholicae defensores ac doctores), quia Occidentalis Ecclesiae sunt omnes, nec ullus est in eis commemoratus a nobis Orientis Eppus? Quid ergo faciemus, cum illi Graeci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua *primum Apostolorum suorum* voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. *Cui Ecclesiae praesidentem beatum Innocentium si audire voluisses*, iam tunc periculosam iuventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit ille vir sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi *quod antiquitus Apostolica Sedes et Romana cum ceteris tenet perseveranter Ecclesia?* Et tamen eius successorem — Zosimum — crimine praevaricationis accusas, quia doctrinae apostolicae et sui decessoris sententiae noluit refragari. —

260. *Retractationum lib. I. c. 21.* — Dixi in quodam loco de Apostolo *Petro*, quod *in illo tamquam in petra fundata sit Ecclesia*: qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait: ‚Hoc ipsa petra Ecclesiae canente culpam diluit.‘ Sed scio me postea saepissime sic exposuisse, quod a Domino dictum est: ‚Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam‘, ut super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens: Tu es Christus Filius Dei vivi: ac sic Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiae figuraret, quae super hanc petram aedificatur, et accepit claves regni coelorum. Non enim dictum est illi: tu es petra; sed: tu es Petrus. Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum quae sit probabilior, eligat lector. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 32. ss.

261.

Ioan. Cassianus, A. 430. de Petro Ap. enunciat: illum Romanae Ecclesiae rexisse gubernaculum, et ut fidei ita sacerdotii principatum habuisse.

MON. *De incarn. Christi contra Nestorium. Lib. III. c. 12.* Quodsi auctoritas tibi forsan personae *maioris* placet (quamvis nullius displicere vel persona vel sexus debeat, cui confessio sacramenti auctoritatem facit, quia quamlibet conditio cuiusquam aut locus minor sit, virtus tamen fidei nescit imminui), interrogemus tamen non incipientem aliquem puerulum, cuius institutio rudis, aut feminam, cuius fides forsitan videatur incipiens, sed *summum illum et inter discipulos discipulum, et inter magistros magistrum, qui Romanae Ecclesiae gubernaculum regens, sicut fidei habuit, ita et sacerdotii principatum.* Dic nobis ergo, dic nobis, quaesumus, *princeps apostolorum Petre*, dic quemadmodum credere Ecclesiae Deum debeant? aequum est enim, ut doceas nos, doctus a Domino, et aperias nobis ianuam, cuius clavem accepisti. Exclude omnes suffodientes coelestem domum,

et eos, qui per adulterinas cavernas et illicitos intrare aditus moliuntur, averte, quia certum est, quod nullus ostium regni intrare poterit, nisi *cui clavis a te in Ecclesiis collocata* reserarit. *) Dic ergo quemadmodum credere Iesum Christum et confiteri communem Dominum debeamus. — Interroganti ergo Domino Iesu Christo, quem eum crederent, quem confiterentur esse discipuli, respondit *primus apostolorum Petrus*, unus utique pro omnibus, idem enim unius habuit responsio, quod habebat omnium fides. — *cap. 13.* Sed tamen quia *summi apostoli* testimonio usus sum, quo Dominum Iesum Christum coram Deo ipse confessus sit, videamus quemadmodum confessionem eius is, quem confessus est, approbarit. — Dicenti ergo Apostolo ‚Tu es Christus filius Dei vivi' quid a Domino Salvatore responsum est: ‚Beatus es, inquit, Simon Barjona, quia caro et sangvis non revelavit tibi, sed Spiritus Patris mei qui in coelis est.' — Ergo in Apostoli dicto et Spiritus S. et praesentis Filii, et Dei Patris testimonium vides. — *cap. 14.* Sed tamen dictum illud Domini, quo collaudavit Petrum, quae dicta alia consequuntur? ‚Et ego, inquit, dico tibi: quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.' Vides, quod dictum Petri Ecclesiae fides est? ergo extra Ecclesiam sit necesse est, qui fidem Ecclesiae non tenet. ‚Et tibi, inquit Dominus, dabo claves regni coelorum.' Fides haec coelum meruit, fides haec claves regni coelestis accepit. **Migne** *Patr. Lat.* t. 50.

262—272.

Acta in **Conc. Generali Ephesino** pro primatu Sedis Romanae, A. 431.

262. MON. *Epistola Cyrilli Alexandrini ad Coelestinum Papam, relationem de Nestorii erroribus et turbis per eos exci-*

---

* Notat in suo commentario Gazaeus Alardus: ‚Locus obscurus, et, ni fallor, vitiatus. Ubi pro a te ‚tibi', pro in Ecclesiis ‚in Ecclesia', pro collocata ‚collata' emendandum et reponendum puto. Quis enim nescit claves regni coelorum Petro non a Petro sed a Christo collatas, non collocatas? nisi forte sic exponatur: clavis, id est, potestas ligandi atque solvendi, Scripturas interpretandi, et fidei controversias definiendi a Petro ut primo Christi vicario, vel per Petrum in Ecclesia collocata et relicta.'

tatis praestans. Si silere, et non pietatem tuam *de omnibus quae moventur, literis certiorem facere citra culpam* ac sinistrae suspicionis metum liceret, praesertim in rebus adeo necessariis, ubi etiam recta fides a nonnullis depravata periclitatur: in memetipso dicerem, bonum et periculi expers est silentium, praestatque quietam vitam agere quam turbatam. Sed quoniam Deus hisce in rebus vigilantiam a nobis exigit, et *longa Ecclesiarum consuetudo suadet, ut huiusmodi res cum sanctitate tua communicentur,* scribo plane necessitate adactus, ac significo, satanam in praesentia omnia miscere, et contra Ecclesias Dei furere, necnon omnium ubique populorum, qui in recta fide ambulant, subversionem moliri. — *(Describit errores Nestorii, tum prosequitur:)* Ab illius (Nestorii) tamen communione palam et aperte nosmetipsos non prius divellimus, quam haec pietati tuae indicaverimus. Digneris igitur nobis declarare, quid tibi videatur, et utrum aliquando cum illo communicare oporteat, an libere denunciare, neminem cum eo, qui talia sentit ac docet, communicare. Opus est autem, ut tuae pietatis super hac re sententia tum piissimis Deique amantissimis Macedoniae Eppis, tum omnibus Orientis Antistitibus per literas manifesta fiat. Illis enim cupientibus ansam dabimus, ut uno animo in una sententia persistant, et rectae fidei, quae impugnatur, opera ferant. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 50. p. 447.

263. *Coelestinus Papa Cyrillo Alexandrino defert vices suas, ut in Synodo de erroribus Nestorii iudicatura nomine suo praesidium gerat, et sententiam ferat.* Tristitiae nostrae sanctitatis tuae literae missae per Filium nostrum Possidonium diaconum laetitiam reddiderunt, et gaudium alternavimus cum moerore. Cum enim respicimus et recensemus quae dixerat is, qui CPnam perversis praedicationibus turbare conatur Ecclesiam, non parvo animus noster dolore concussus diversis cogitationum stimulis vexabatur, qualiter populis possit, ut in fide persisterent, subveniri. Dum vero mentem nostram ad tuae fraternitatis scripta convertimus, paratum iam remedium, quo pestifer morbus salubri remedio vitaretur, invenimus, puri fontis liquorem de tuae caritatis sermone manantem, qui coenum omne male fluentis rivi detergeret, et omnibus quid de fide nostra sentire debeant aperiret. Ut illum ergo reprehendimus et notamus, ita sanctitatem tuam velut praesentem in literis suis dominica sumus caritate

complexi, cum unum idemque nos sentire de Domino videremus. — Auctoritate tecum nostrae Sedis adscita, vice nostra usus, hanc exequeris districto vigore sententiam: ut aut infra decem dies — pravas praedicationes suas scripta professione condemnet, et hanc se de nativitate Christi Dei nostri fidem tenere confirmet, quam et Romana, et tuae sanctitatis Ecclesia, et universalis devotio tenet; aut nisi hoc fecerit, mox sanctitas tua, illi ecclesiae provisura, a nostro eum corpore modis omnibus sciat esse removendum. — Eadem autem scripsimus et ad sanctos fratres et coëpiscopos nostros, — ut nota sit de eo nostra, imo Christi nostri divina sententia. — **Harduini** *Conc.* I. 1322.

264. *Idem Papa ad Eppos Orientis.* Optaremus quidem sicuti una est Dei essentia, ita inter omnes, qui ubique sunt, homines unam rectae fidei veritatem teneri. — (*Post praemissa plura de erroribus Nestorii, prosequitur:*) Unde quoniam in talibus causis non est tuta longior conniventia, — episcopum Nestorium, et si quis alius eum secutus haec praedicat, *a nostra communione secrevimus*, quamdiu scriptura professionis emissa perversitatem quam coeperat docere, condemnet, et hanc de virgineo partu, id est, de humani generis salute, fidem asserat se tenere, quam secundum apostolicam doctrinam *Romana* et Alexandrina, et *catholica universalis Ecclesia* tenet et veneratur et praedicat. **Migne** *Patr. Lat.* t. 50. p. 465.

265. *Idem Papa Clero populoque CPno.* Ad eos, qui faciunt Ecclesiam Dei, mihi locuturo det apostolicus sermo principium, ut sancti discipuli prius audiant illius qui praedicavit gentibus verba doctoris: ‚Praeter illa, inquit, quae sunt extrinsecus instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum.‘ Et rursus: ‚Quis infirmatur, et ego non uror?‘ Ita et nos, licet longe positi, ubi perversitate doctrinae cognovimus nostra membra lacerari, paterna sollicitudine nos urente, pro vobis alieno flagravimus incendio: licet inter ecclesias Dei, quae ubique in unum Christi thalamum referuntur, nihil longe sit, nihil censeatur alienum. Cum ergo nostra viscera sitis, iure trepidavimus, ne fidem vestram, quae ubique praedicatur, a tramite veritatis insinuatio male docentis avertat. Nam Nestorius Eppus de virgineo partu, et de divinitate Christi Dei et Salvatoris nostri, velut eius reverentiae et communis omnium salutis oblitus nefanda praedicat, vitanda persvadet, sicut et eius scripta ad nos ab ipso

cum propria subscriptione transmissa, sicut etiam relatio sancti fratris et coëpiscopi mei Cyrilli per filium Posidonium diaconum ad me missa patefecit. Quibus omnibus recensitis magnam vitandamque perversitatem impiae praedicationis invenimus. *(Post plura contra errores Nestorii prolata, et verba consolationis pro iis, quo Nestorius e Clericis eiici fecit ac exulare, sic prosequitur:)* — Ne ad tempus eius videatur valere sententia, qui in se iam divinam sententiam provocarat, aperte Sedis nostrae sanxit auctoritas: nullum sive episcopum, sive clericum, seu professione aliqua Christianum, qui a Nestorio vel eius similibus, ex quo talia praedicare coeperunt, vel loco suo vel communione deiecti sunt, vel deiectum vel excommunicatum videri, sed hi omnes in nostra communione et fuerunt, et hucusque perdurant; quia neminem deiicere vel movere poterat, qui praedicans talia titubabat. — Cum ad sanctum fratrem et coëpiscopum nostrum Cyrillum responsa congrua mitteremus, et haec vobis per carissimum Posidonium eius diaconum, et huic, de quo agitur (Nestorio) dirigenda ab eodem fratre meo scripta transmisimus. Et quia nostra in tanto negotio propemodum praesentia necessaria videbatur, vicem nostram propter marina et terrena spatia ipsi sancto fratri meo Cyrillo delegavimus, ne morbus iste longitudinis occasione grassetur. — Ut autem noveritis, sub qua definitione literas miserimus, ipsam sententiam huic epistolae fecimus subter adnecti, ut datam de ipso formulam cognoscatis: ‚Aperte igitur agnosce, hanc nostram esse sententiam, ut nisi de Christo Deo nostro ea praedices, quae et Romana, et Alexandrina, et omnis catholica sentit ecclesia, sicut etiam sancta CPna ecclesia ad te usque optime tenuit iuxta expositam in Synodo Nicaena fidem; ac nisi hanc perfidam novitatem, qua hoc, quod venerabilis scriptura coniungit, niteris separare, intra decimam diem a primo innotescentis tibi huius conventionis die numerandam deposueris, atque aperta et scripta confessione damnaveris: noveris te ab universalis ecclesiae catholicae communione deiectum, et ad omnia, quaecunque sacerdotalis auctoritatis sunt, minime idoneum.‘ — **Harduini** *Conc.* I. 1311. ss.

266. *Commonitorium sive Instructio eiusdem Papae ad Eppos pro Concilio Ephesino in Orientem proficiscentes.* Cum Deo nostro, sicut credimus et speramus, auctore ad destinata Vestra Caritas venerit loca, ad fratrem et coëpiscopum nostrum

Cyrillum consilium vestrum omne convertite, et quidquid in eius videritis arbitrio, facietis. Et auctoritatem Sedis Apostolicae custodiri debere mandamus. Siquidem et instructiones, quae vobis traditae sunt, hoc loquantur, ut interesse conventui debeatis, et ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententiis iudicare debeatis, non subire certamen. Quodsi transactam synodum, et rediisse omnes eppos videritis, requirendum est qualiter fuerint res finitae. Si pro antiqua fide catholica res gestae sunt, et sanctum fratrem meum Cyrillum CPlim didiceritis profectum, ire vobis illo necesse est, ut epistolas nostras Principi porrigatis. Quodsi aliter actum est, et in dissensione res sunt, ex ipsis rebus coniicere poteritis, quid cum consilio supradicti fratris agere debeatis. — **Harduini** *Conc.* I. 1347.

267. *Sententia Concilii contra Nestorium non comparentem in I Actione prolata.* Sancta Synodus dixit: Cum praeter cetera impiissimus Nestorius neque nostrae citationi parere, neque sanctissimos religiosissimosque episcopos a nobis destinatos admittere voluerit, non potuimus ad eorum, quae impie docuit, examinationem animum non adiungere. Deprehendentes itaque partim ex literis commentariisque ipsius, partim e sermonibus, quos nuperrime in hac Ephesiorum metropoli habuit, quique testimoniis comperti sunt, illum impie sentire et praedicare: coacti per sacros canones et epistolam sanctissimi patris nostri et comministri Coelestini Romanae Ecclesiae Eppi, lacrymis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus. Igitur D. N. I. C. quem suis ille blasphemis vocibus impetivit, per sanctissimam hanc Synodum eundem Nestorium episcopali dignitate privatum, et ab universo sacerdotum consortio et coetu alienum esse definit. — **Harduini** *Conc,* I. 1422.

268. *Coelestini Papae ad Synodum Epistola in Synodi Actione II summo cum honore excepta. Philippus Apost. Sedis presbyter et legatus dixit:* Gratias agimus sanctae et adorandae Trinitati, quod nos humiles sancto vestro conventu dignata est. Dudum quidem sanctissimus beatissimusque Papa noster Coelestinus, Sedis Apostolicae Eppus, per suas epistolas ad Cyrillum sanctum virum ac piissimum ecclesiae Alexandrinae Eppum, de praesenti hac causa et negotio definivit, quae literae sacro vestro coetui sunt exhibitae. Et nunc alias rursum ad corroborationem.

fidei catholicae, ad vestram omnium pietatem per nos misit literas, quas a nobis exhibitas decenter sanctae Synodo iubete legi, ac inter ecclesiasticos commentarios referri. *Cyrillus Eppus Alexandrinus dixit:* Suscepta epistola sanctissimi et per omnia beatissimi sanctae apost. sedis Romanae episcopi Coelestini, sanctae Synodo cum honore recitetur. *Epistola Papae:* Spiritus Sancti testatur praesentiam congregatio sacerdotum. Verum est enim quod legimus, quia nec potest Veritas mentiri, cuius in evangelio ista sententia est: ‚Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi et ego sum in medio eorum.' Quod cum ita sit, si nec huic tam brevi numero Spiritus S. deest, quanto magis eum nunc interesse credimus, quando in unum convenit tanta turba sanctorum? Sanctum namque est pro debita sibi veneratione Concilium, in quo utique nunc apostolorum frequentissimae illius, quam legimus, congregationis aspicienda reverentia est. *(Post plura opportuna monita de eo, ut per episcopos in apostolorum locum succedentes nonnisi ea, quam Dominus tradidit, et apostoli praedicarunt, annuncietur et custodiatur doctrina, sic concludit:)* — His omnibus breviter animati, quia, sicuti ait Apostolus, scientibus legem loquor, et loquor sapientiam inter perfectos, adestote catholicae fidei, et ecclesiarum quietem defendite, quia sic dictum est et praeteritis, et praesentibus, et futuris, rogantes atque servantes, quae ad pacem sunt Ierusalem. Direximus pro nostra sollicitudine sanctos fratres et consacerdotes nostros, unanimes nobis et probatissimos viros, Arcadium et Projectum Eppos, et Philippum presbyterum nostrum, qui iis, quae aguntur, intersint, et quae a nobis antea statuta sunt, exequantur. Quibus praestandum a vestra sanctitate non dubitamus assensum, quando id, quod agitur, videatur pro universalis ecclesiae securitate decretum. — *Omnes reverentissimi episcopi simul acclamaverunt.* Hoc iustum iudicium. Novo Paulo Coelestino, novo Paulo Cyrillo, Coelestino custodi fidei, Coelestino cum Synodo concordi, Coelestino universa synodus gratias agit. Unus Coelestinus, unus Cyrillus, una fides synodi, una fides orbis terrarum. — *Firmus Caesareae Cappadociae Eppus dixit:* Apostolica et sancta Sedes Coelestini sanctissimi Eppi per literas, quas ad religiosissimos Eppos, — necnon ad sanctas CPlis et Antiochiae ecclesias misit, etiam ante de praesenti negotio sententiam regulamque praescripsit:

quam nos quoque secuti — formam illam executioni mandavimus, canonicum apostolicumque iudicium in illum (Nestorium) proferentes. *Philippus presbyter et apost. sedis legatus dixit*: Gratias agimus sanctae venerandaeque synodo, quod literis sancti beatique Papae nostri vobis recitatis, sancta membra sanctis vestris vocibus sancto Capiti, sanctis etiam vestris exclamationibus, vos adiunxeritis. Non enim ignorat vestra beatitudo, totius fidei vel etiam apostolorum caput esse beatum Apostolum Petrum. Proinde cum nostra mediocritas multis tempestatibus iactata et vexata serius accesserit, rogamus, ut ea nobis patefieri mandetis, quae ante adventum nostrum in sancta hac synodo acta sunt, quo iuxta beati Papae nostri praesentisque huius sancti coetus sententiam, nos quoque confirmemus conformiter eorum depositioni. — *Theodotus Ancyrae Eppus dixit:* Iustam esse sanctae Synodi sententiam demonstravit universorum Deus per literas Coelestini religiosissimi Eppi huc allatas, et per vestrae pietatis adventum. Nam Coelestini Eppi sanctissimi et beatissimi zelum et in piam fidem studium demonstrastis. Quoniam vero iusta ratione permota beatitudo vestra ex ipsis actorum commentariis intelligere quaesivit de Nestorii depositione: iustam sententiam, sanctaeque synodi zelum et consensum in fide, quam piissimus et sanctissimus Eppus Coelestinus magna voce depraedicat, vestra reverentia plane certoque cognoscet: quod fiet, ubi hoc etiam quod vobis satisfactum sit, et reliqua praesenti Actioni addentur. — **Harduini** *Conc.* I. 1466. ss.

269. *In Actione III Synodi Legati Sedis Apostolicae sententiam Synodi in Nestorium latam nomine Summi Pontificis confirmant. — Philippus presbyter et legatus apost. sedis dixit:* Ex actorum lectione cognovimus, quae in Nestorium constituta sunt in sancto vestro concilio. In quibus commentariis intelleximus, omnia canonice et ex ecclesiastica disciplina iudicata esse. Ac nunc quoque petimus a corona vestra, quamvis supervacaneum sit, ut quae in vestra synodo lecta sunt, rursum nobis etiam eadem legantur, ut sequentes formulam sanctissimi Papae Coelestini, qui hanc curam nobis commisit, et vestrae etiam sanctitatis, iudicia vestra confirmare possimus. — *Lectis dein Actis, idem legatus dixit:* Nulli dubium, imo seculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus Apostolorum princeps et caput, fideique columna et ecclesiae catholicae fun-

damentum a Domino N. I. C. Salvatore humani generis ac redemtore claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet. Huius itaque secundum ordinem successor et locum tenens, sanctus beatissimusque Papa noster Coelestinus Eppus nos ipsius praesentiam supplentes ad hanc S. Synodum misit: quam quidem synodum convenire iusserunt humanissimi christianissimique Imperatores, memoria retinentes et perpetuo custodientes fidem catholicam etc. — Firmum est iuxta omnium ecclesiarum decretum, nam orientalis et occidentalis ecclesiae sacerdotes vel per se vel certe per suos legatos sacerdotali huic consessui intersunt, quod in ipsum (Nestorium) pronunciatum est. — Quamobrem intelligat Nestorius, se a communione sacerdotii ecclesiae catholicae alienum esse. — *(Idem et duo eppi legati Sedis Apostolicae declararunt.) Cyrillus Eppus Alexandriae dixit*: Quae Arcadius et Projectus sanctissimi piissimique eppi, necnon Philippus religiosissimus Romanae Ecclesiae presbyter deposuerint, perspicue S. Synodus percepit. Deposuerunt enim supplentes locum Sedis Apostolicae, totiusque Synodi sanctissimorum Deoque dilectissimorum occidentalium Epporum. Quare cum ea, quae a Coelestino sanctissimo Deoque dilectissimo Eppo definita iam fuerant, executi sint, sanctaeque synodi, quae in hac Ephesiorum metropoli convenit, sententiae contra haereticum Nestorium latae adstipulati sint: consequens est, ut eorum, quae hesterno hodiernoque die acta sunt, commentarii superioribus actis attexentur, ipsorumque pietati offerantur, quo propria obsignatione, ut moris est, planam faciant ac manifestam cum omnibus nobis canonicam assensionem. — **Harduini** *Conc.* I. 1475. ss.

270. *Relatio Synodi ad Papam.* Sanctitatis tuae circa pietatem zelus, et circa fidei sinceritatem cura nostro omnium Salvatori Deo grata et placita, omni admiratione digna existit. Est enim hoc vobis adeo magnis in more positum, ut in omnibus celebres sitis, studiaque vestra ecclesiarum firmamenta constituatis. Quia vero necesse est, ut omnia quae consecuta sunt, Sanctitati tuae significentur: non potuimus non scribere, secundum omnium nostrum Salvatoris Christi voluntatem, piissimorumque ac Christi amantium Imperatorum sanctionem ex

multis variisque provinciis episcopos supra ducentos in Ephesiorum metropoli nos convenisse. — *(Sequitur fusior descriptio eorum, quae in Synodo acta erant.)* Fuerunt in consessu nostro illi quoque, qui a Sanctitate tua missi sunt, — qui sua praesentia tuam nobis exhibuerunt, Apostolicaeque sedis locum supplevérunt. — Porro autem perlectis in S. Synodo commentariis actorum in depositione impiorum Pelagianorum et Coelestianorum, — quae a pietate tua de ipsis decreta et constituta sunt, iudicavimus et nos ea solida firmaque permanere debere, et idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes. Ut autem omnia, quae gesta sunt, clare cognoscas, etiam commentarios misimus, et Synodi subscriptiones. — **Harduini** *Conc.* I. 1503.

271. *Epistola Papae ad Synodum post damnatum Nestorium.* Tandem malorum fine gaudendum est, tandem nobis omnibus in commune dicendum: Dextera tua Domine glorificata est in virtute, dextera manus tua confregit inimicos. Proprie namque ipsi confracti sunt, quando iniqua loquentium, dicente David, os videamus esse obstructum. Huiusce tamen tam fideliter peractae rei vos executores nobiscum videmus fuisse fidei defensores, qui convenientes in unum, et secundum Apostolum non quae vestra sunt quaerentes sed quae Christi Iesu, negotium Domini communis egistis. — Una eademque relatione — deiectionem iustam, et exaltationem didicimus iustiorem. *(Nestorii depositio et alterius in locum illius electio intelligitur.)* — Peracta est a vobis totius summa negotii: agendum nunc est quod instat et restat, ne sit in vacuum laboratum. Longius quidem sumus positi, sed per sollicitudinem totum propius intuemur. Omnes habet beati Petri apostoli cura praesentes: non nos ante Deum nostrum de hoc possumus excusare quod scimus. — De his autem qui cum Nestorio videntur pari impietate sensisse, atque se socios eius sceleribus addiderunt, quamquam legatur in eos vestra sententia, tamen nos quoque decernimus quod videtur. Multa perspicienda sunt in talibus causis, quae Apostolica Sedes semper adspexit. Quod loquimur, Coelestianorum testantur exempla, quod spem de Synodo hucusque gesserunt. Habent, si resipiscunt, copiam revertendi: quod his solis non permittitur, quos proprie cum auctoribus haereseos omnium fratrum constat subscriptione damnatos. Per Dei namque misericordiam aliquos

ex eorum numero ad nos iam rediisse gaudemus. Quod hoc consilio factum est, ut quos conscientia mixta non poterat, saltem sententia separaret. Hoc, moneo, vestra fraternitas sequatur exemplum; sit caput sceleris cum his quos synodalia loquuntur statuta damnatum: reliqui, quos cum hoc sentientes in communione ecclesiastica non habemus, eiiciantur e civitatibus suis, et se in nostro collegio noverint non futuros, nisi secundum ecclesiasticum et Christianorum Principum constitutum damnata cum auctoribus sociisque damnantes se profiteantur catholicos sacerdotes. — **Harduini** *Conc.* I. 1671.

272. *Epistola eiusdem PP. ad Clerum et populum CPnum.* Exultatio matris est congregatio filiorum. Denique laetatur Ecclesia ita se filios, quos diabolus disperserat, iterum congregasse, ut ex his, nisi filius perditionis, nemo sit perditus, quia eum filium suum nequaquam pater agnovit. — Sed iam oblivionem tantorum malorum volo sanctis mentibus imperatam. Ex animis tollatur qui sublatus est oculis; tollatur, inquam, qui sic vocatus est praecursor inferni. Habuit crebras sinister praedicator insidias, tetendit arcum suum frequenter, ut legimus, et ore suo spicula venenata iactavit, neminem tamen vestro in numero quem feriret invenit. — Quae nos de vobis in bello intestino positis cura atque sollicitudo tunc habuit? in modum dierum duximus noctes, quia talibus causis omne tempus angustum est. — *Nec tamen beatus Petrus apostolus deseruit tam graviter laborantes.* Nam cum separari tale ulcus de ecclesiastico corpore horrens omnibus putredo svaserit, cum ferro obtulimus et fomentum. Sed ille (Nestorius) abusus nostro studio, quo illum sequimur, qui nec de pusillis aliquem vult perire, mortem desperatus optavit. Denique et medicinam respuens, elegit abscindi, tulit de se apostolicum, vel hoc nobiscum sentiens, ipse iudicium, ut abscinderetur qui nos contristabat, et volebat convertere Evangelium Christi. — *Nemo in vobis illud quatiat fundamentum, quod firma petra et angularis lapis ille construxit.* Aedificate super hoc catholici quod soletis. — Gaudeo vos fundamento huic non stipulam, non ligna, non foenum, sed illas imposuisse divitias, quas architectorum sapientium praecepta mandabant imponi. Bene manebitis, quia tam sollicite fabricatis. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 50. p. 548.

273—277.

Cyrillus Alexandrinus, praeter ea, quae pro tuenda auctoritate S. Sedis in Syn. Ephesina gessit, in operibus quoque suis Primatum Sedis Romanae eximie evolvit.

273. MON. *Lib. IV. in Isaiam Orat. 2.* — Est omnium fundamentum et basis inconcussa Christus, qui omnia coercet ac continet, ut bene firma sint : in ipso enim omnes aedificamur, domus spiritualis, compacti per Spiritum in templum sanctum, in habitaculum ipsius; habitat enim in cordibus nostris per fidem. Fundamenta etiam proxima et viciniora nobis intelligi possunt Apostoli et Evangelistae, oculati testes, et ministri sermonis, facti in confirmationem fidei. Nam ubi cognoverimus ipsorum traditiones esse sequendas, rectam et minime alienam aut deviam a Christo fidem servabimus. Ab ipso enim dictum est *divino Petro :* Tu es Petrus etc. *petram,* opinor, *vocans immotam fidem discipuli.* —

274. *Comment. in Lucam. c. 22. v. 32. :* ‚Ego autem rogavi pro te.' His verbis significat, illum, si traditur fuisset ad tentandum satanae, prorsus fidem amissurum, quandoquidem etsi minime traditus lapsus est; negavit enim unica eum perturbante ancillula in aula pontificis. Cum ergo Dominus discipuli negationem innuisset iis verbis, quibus dixit: ‚Oravi pro te, ut non deficiat fides tua,' infert statim consolatorium sermonem, aitque: ‚Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos,' id est: *firmamentum atque magister esto illorum, qui per fidem ad me accedunt.* —

275. *De SS. Trinit. dial. 4.* — Divina scripta *Petrum, eximium illum inter apostolos*, beatum praedicatum fuisse dicunt. Cum enim Salvator in partibus Caesareae versaretur, quae dicebatur Philippi, rogaretque quemnam esse dicerent homines Filium hominis, — sapienter admodum et scite clamavit : Tu es Christus Filius Dei vivi; cumque veram de illo sententiam haberet, remunerationem tulit illico, Christo dicente : Beatus es etc. —

Petram, opinor quasi denominative nihil aliud quam *inconcussam et firmissimam discipuli fidem* appellans, *super quam,* etiam *citra casus periculum firmata est ac fundata Christi Ecclesia,* et ipsis inferorum portis perpetuo manet inexpugnabilis : sed et Petri fides in Filium non temere arrepta, et ex humano sensu promanans, sed ex ineffabili doctrina coelitus immissa, Deo et Patre Filium suum clare ostendente, et illius certam persvasionem suorum mentibus iniiciente. Nequaquam enim mentitus est Christus cum dixit : ‚Caro et sangvis non revelavit tibi, sed Pater meus coelestis.' Si ergo beatus *Petrus tam praecellentibus donis ornatur,* confessus ipsum esse Filium Dei viventis, qui non miserrimi sint ac proiecti, Deique ac Patris voluntatem rectamque doctrinam sane quam temere vellicent, qui fructum substantiae ipsius ad facturam deducunt? etc. —

276. *Homil. Pasch. IX.* — Prodeat vero iam insuper *Petrus* quoque, ille *sanctorum discipulorum princeps,* qui a Salvatore aliquando rogatus, quem dicunt homines esse Filium hominis? clamat aperte : Tu es Christus Filius Dei vivi. Quid hinc porro consecutum est? Beatus praedicatus est discipulus, qui hoc diceret. — *Munus* praeterea, quantum cogitatione assequi possumus, *praeclarum atque amplum,* fideique orthodoxae proemium tulit, *claves regni coelorum,* quemadmodum scriptum est. —

277. *Thesaur. lib. I. c. 21.* — Oportet nos tamquam membra inhaerere Capiti nostro Romano Pontifici, et throno Apostolico, ex quo nostrum est quaerere, quid credendum, quid sentiendum, et quid tenendum sit. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 36. ss.

278—281.

Isidorus Pelusiota, Sec. 5. diserte agnoscit: Ecclesiam super Petrum Ap. aedificatam, eique claves coelorum traditas esse.

278. MON. *Epist. lib. I. ep. 142.* — Peccatum omne etiam ab iis, qui id admiserint repetitum, alii aliis mutuo remittere a Christo iussi sumus. Id enim ille et docuit, et fecit. — Fecit, cum — ipsum *Petrum*, *apostolici sodalitii coryphaeum*, non

solum corporeis, sed etiam spiritualibus peccatis ac morbis liberavit. —

279. *Epist. lib. I. ep. 235.* Non ea de causa Christus, qui pectus ipsum penetrat, ex discipulis suis percontabatur, ‚quem me dicunt homines esse', quod variam hominum de se opinionem ignoraret, sed ut hac ratione certam omnibus confessionem traderet, quam ab eo inspiratus *Petrus, tamquam basim ac fundamentum iecit, super quod Dominus Ecclesiam suam exstruxit.*

280. *Epist. lib. II. ep. 99.* — Apostoli ea, quae ceperunt, literis complexi sunt, velut *Petrus, apostolici chori praesul,* in eo libro, quo res suas gestas narrat, aperte pronunciavit: Quae cepimus, scripsimus. At mundus ne ea quidem, quae scripta sunt, capere potuit. —

281. *Epist. lib. IV. ep. 166.* — Quodsi te passio Christi perturbat, quae contra Deum quidem per summam audaciam adornata fuit, sed carnem attigit, audi *coryphaeum ac principem Apostolorum,* dicentem: ‚Cum igitur Christus passus sit carne.' (I. Pet. 4, 1.) Si ergo is, *cui claves coelorum traditae sunt,* carnem propriam esse pronunciavit, quae passiones recipere potuit: — nihil est, quod perturbet te passio. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 40.

282—285.

Theodoretus Cyrensis Eppus, Sec. 5. singulariter notandum censet, quod Paulus Apostolus Petrum videndi gratia Hierosolymam concesserit; Athanasius autem ad Iulium Eppum Romanum confugerit.

282. MON. *Interpr. Ep. ad Roman. cap. 1.* — ‚Cupio enim videre vos, ut impertiar aliquid gratiae spiritualis.' Sunt haec, quae dicuntur, plena humilitatis. Non enim dixit, ut dem, sed, ut impertiar. Communico enim ex iis, quae accepi. Et quia primus eis *magnus Petrus* doctrinam evangelicam praebuit, necessario intulit: ‚ad confirmandos vos.' Non enim aliam, inquit, doc-

trinam vobis afferre, sed eam, quae iam oblata est, confirmare, et arbores iam plantatas irrigare volo. —

283. *Interpr. Ep. ad Galat. c. 2.* — ‚Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre *Petrum*.' Et hoc rursus ostendit eius animi virtutem. Etenim cum humana doctrina non indigeret, ut qui ab universorum Deo eam acceperat, *Apostolorum Principi* convenientem honorem tribuit. Propterea enim ad eum venerat, non ut ab eo aliquid disceret, sed ut solummodo videret. —

284. *Eccles. histor. Lib. II. c. 3.* — Athanasius praecognitis illorum (Eusebianorum) insidiis, secessit ipse, et in Occidentem se contulit. Ad *Romanum* enim *Eppum*, *Iulium* videlicet, qui Ecclesiam illam tunc regebat, Eusebiani compositas in Athanasium calumnias perscripserant. Is vero *ecclesiasticam sequens regulam, et ipsos Romam venire iussit, et divino Athanasio ad iudicium diem dixit.* —

285. *Epist. 118. ad Archidiaconum Romae.* Saeva omnino tempestas nostras Ecclesias invasit: qui vero fidei adhaerent apostolicae, in sanctitate tua commodum habent portum et tranquillum. Non enim pro evangelicis dogmatibus pugnatis duntaxat, sed factam in nos iniuriam penitus detestamini. Procul enim agentes nos, et triginta quinque mansionum remotos intervallo condemnarunt, ut libuit, iudices aequissimi, abiectaque doctrina, quae a Dei et Salvatoris nostri adventu in hanc usque diem in Ecclesiis obtinuit, novam quamdam ac spuriam, et apostolicae traditioni prorsus contrariam induxerunt, et iis, qui antiqua documenta retinent, aperte bellum indicunt. Dignare igitur, Deo dilectissime, sanctissimi omni ex parte beatissimique Archiepiscopi zelum accendere, ut Orientis etiam Ecclesiae sollicitudine vestra fruantur, ac praecipue traditam ab initio a sanctis Apostolis fidem defendere, et intactam paternam haereditatem conservare, et incumbentem nebulam discutere, et pro nocte obscura liquidam serenitatem efficere, et iniuste in nos patratam caedem redarguere. Decet enim sanctitatem tuam ad cetera egregia facinora sua hunc etiam zelum adiungere. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 41.

286—287.

Sixtus III PP. A. 432. ss. duplici ad Cyrillum Alex. aliosve Orientis Eppos litera ius Sedis Apostolicae in rebus fidei ac disciplinae sententiam ferendi evolvit.

286. MON. *Epist. ad Cyrillum Alex. et Eppos Orientis.* Gratiam habentes Dei nostri circa nos humanitati, quod eo tempore, quo nos ad supremum sacerdotii apicem vocare dignatus est, concessit nobis secundum pietatem suam praesentiam sanctorum fratrum et coepiscoporum nostrorum Hermogenis et Lampetii. — Nam per sanctos consacerdotes nostros — has literas mittere visum est ad pietatem tuam, quales utique ad S. Synodum misimus *) de seductoribus Nestorii. Valde igitur, fateor, laetati sumus, quia contigit nobis una eademque opportunitate et quae ad fidem, et quae ad nos ipsos pertinent, communicare. Omnes quippe fratres praesentes habuit ordinatio nostra. Quis enim non interesse visus est, quando Oriens per suos legatos aderat? — Sic *Romana Ecclesia unum suffragium custodivit in institutione praedicatoris fidei*, ut in ipsa fidei praedicatione unam semper sententiam servavit. Quoniam ergo sufficit paucis verbis significasse ordinationem meam, nobis loquendum superest de iis, quae sanctus frater noster Cyrillus postulat. Etenim sufficiunt, quae iam a beatae memoriae decessore meo scripta fuerunt de fide, pro qua gaudemus triumphantes secundum auxilium Christi Dei nostri, in quem quaestio mota fuerat. Attamen quoniam pigere non debet saepe repetere quae salubriter definita sunt, necessarium duxi — haec paucis declarare, quae multo iam sermone olim *Apostolicae Sedis sententia definivit.* — Est itaque et in nobis eadem sententia. — Haec vero ad vicinorum fratrum notitiam volo mitti per pietatem tuam, ut discant in re tanta etsi olim cuncta plenissime definita fuerint, non ces-

*) Sensus verborum est: vel in decessore suo se quoque comprehendi, vel quia in sententia Concilii praecipuas sub antecessore suo partes egit.

sare aut segnem esse tamen apostolicam sedem, *neque enim permittit nos quietos esse ab eiusmodi curis omnium Ecclesiarum sollicitudo.*

287. *Ep. altera ad Cyrillum.* Magna sumus laetitia alacritatis impleti, postquam, sicut legimus, ex alto nos Oriens visitavit. Ecce enim sollicitis nobis, quia neminem perire volumus, sanctitas tua redintegratum corpus Ecclesiae suis epistolis indicavit. — *Ad beatum Apostolum Petrum fraternitas universa convenit.* — Ad nos reversi sunt fratres, *ad nos*, inquam, *qui morbum communi studio persequentes animarum curavimus sanitatem.* Non se exuli vestro sanctus frater noster Ioannes addiderat (Antiochenus Eppus), — nam, quantum rerum exitus docet, suspendit suam sententiam, non negavit. — Exulta, frater carissime, — quaerebat Ecclesia quos recepit. Nam si neminem perire volumus de pusillis, quanto magis gaudendum nobis est sanitate rectorum? — Expectamus memorati fratris nostri Ioannis clericos et optamus venire. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 50. p. 583. 602.

288.—289.

Vincentius Lirinensis, A. 440. in celebri suo Commonitorio Ap. Sedis auctoritatem pro merito praedicat.

288. MON. *Commonit. I. c. 6.* — Mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promtius novellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus plena sunt omnia. Sed ne longum fiat, *unum aliquod, et hoc ab Apostolica potissimum Sede* sumemus, ut omnes luce clarius videant, beatorum Apostolorum beata successio quanta vi semper, quanto studio, quanta contentione defenderit susceptae semel Religionis integritatem. *(Fuse exponit controversiam Cypriani cum Stephano PP. de baptismo haereticorum.)* —

289. *Commonit. II. c. 32.* Quae omnia licet cumulate abundeque sufficerent ad profanas quasque novitates obruendas et extingvendas, tamen ne quid deesse tantae plenitudini videretur,

ad extremum adiecimus geminam *Apostolicae Sedis auctoritatem*, unam scilicet S. Papae Xysti, qui nunc Romanam Ecclesiam venerandus illustrat, alteram decessoris sui beatae memoriae Papae Coelestini. *(Citat verba utriusque de fugiendis novitatibus, et tenenda doctrina ab antiquo tradita.)* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 50.

290—323.

Leo I Magnus, PP. A. 440. ss. tum in suis operibus et plurimis ad Praesules epistolis, tum in Generali Synodo **Chalcedonensi** Primatialis potestatis iura insigniter exercuit, et contra praetensam per Eppum **CPnum** praerogativam pluribus literis pugnavit.

290. MON. *Serm. 2.* — Nec abest, ut confido, ab hoc coetu etiam beatissimi apostoli *Petri* pia dignatio et fida dilectio; nec vestram devotionem ille deseruit, cuius vos reverentia congregavit. De vestro itaque et ipse gaudet affectu, et in consortibus honoris sui observantiam dominicae institutionis amplectitur, probans ordinatissimam totius Ecclesiae caritatem, quae in *Petri Sede Petrum suscipit*, et a tanti amore pastoris nec in persona tam imparis tepescit haeredis. —

291. *Serm. 3.* — De cuius (omnipotentis et perpetui Sacerdotis Christi) principali aeternoque praesidio etiam apostolicae opis munimen accepimus, quod utique ab opere suo non vacat: et firmitas fundamenti, cui totius Ecclesiae superstruitur altitudo, nulla incumbentis sibi templi mole lassescit. *Soliditas enim illius fidei, quae in apostolorum principe est laudata, perpetua est, et sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit.* — Manet dispositio veritatis, et *beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit. — In universa Ecclesia* ‚Tu es Christus Filius Dei vivi' *quotidie Petrus dicit*, et omnis lingva, quae confitetur Dominum, *magisterio*

huius vocis imbuitur. Haec fides diabolum vincit, et captivorum eius vincula dissolvit. Haec erutos mundo inserit coelo, et portae inferi adversus eam praevalere non possunt. Tanta enim divinitus soliditate munita est, ut eam neque haeretica unquam corrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia. — His igitur modis, dilectissimi, rationabili obsequio celebratur hodierna festivitas, (Annivers. assumtionis Papae) *ut in persona humilitatis meae ille intelligatur, ille honoretur, in quo et omnium pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat, et cuius dignitas etiam in indigno haerede non deficit.* —

292. *Serm. 4.* — Cum de consortio istius muneris (Pontificatus) magna sit nobis materia communium gaudiorum, verior tamen nobis et excellentior erit causa laetandi, si non in nostrae humilitatis consideratione remoremini, cum multo utilius multoque sit dignius ad beatissimi *Petri* Apostoli gloriam contemplandam aciem mentis attollere, et hunc diem in illius potissimum veneratione celebrare, *qui ab ipso omnium carismatum fonte tam copiosis est irrigationibus inundatus, ut, cum multa solus acceperit, nihil in quemquam sine ipsius participatione transierit. — De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur,* ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, *omnes tamen proprie regat Petrus*, quos principaliter regit et Christus. — Omnes Apostolos Dominus, quid de se homines opinentur, interrogat, et tamdiu sermo respondentium communis est, quamdiu humanae ignorantiae ambiguitas explicatur. At ubi quid habeat sensus discipulorum exigitur, *primus est in Domini confessione, qui primus est in apostolica dignitate.* — ‚Et ego, inquit Dominus, dico tibi, quia tu es Petrus,‘ id est, cum ego sim inviolabilis petra, — tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. — Dicitur beatissimo Petro : ‚Tibi dabo claves regni coelorum etc.‘ Transivit quidem etiam in alios apostolos ius potestatis istius, et ad omnes Ecclesiae principes decreti huius constitutio commeavit : sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo singulariter hoc creditur, quia cunctis Ecclesiae rectoribus Petri forma proponitur.

Manet ergo *Petri privilegium,* ubicunque ex ipsius aequitate fertur iudicium. Nec nimia est vel severitas, vel remissio, ubi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut solverit, aut ligaverit. Instante autem passione sua, Dominus inquit: ‚Simon, Simon, ecce satanas expostulavit vos etc.' Commune erat omnibus apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinae protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, *si mens Principis victa non fuerit. In Petro omnium fortitudo munitur, et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum apostolis conferatur.* — Cum itaque tantum *nobis* videamus praesidium divinitus institutum, rationabiliter et iuste in ducis nostri meritis et dignitate laetamur, gratias agentes sempiterno Regi Redemtori nostro Domino Iesu Christo, *quod tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiae principem fecit,* ut si quid etiam nostris temporibus recte per nos agitur, rectequc disponitur, illius operibus, illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est: ‚Et tu conversus confirma fratres tuos,' et cui post resurrectionem suam Dominus ad trinam aeterni amoris professionem, mystica insinuatione ter dixit: ‚Pasce oves meas.' Quod nunc quoque procul dubio facit, et mandatum Domini pius pastor exequitur, confirmans nos cohortationibus suis, et pro nobis orare non cessans, ut nulla tentatione superemur. —

293. *Serm. 5.* — Quamvis singuli quique pastores speciali sollicitudine gregibus suis praesint, sciantque se pro commissis sibi ovibus reddituros esse rationem: *nobis tamen cum omnibus cura communis est*, neque cuiusquam administratio non nostri laboris est portio: ut, dum ad beati apostoli Petri sedem ex toto orbe concurritur, et illa universalis Ecclesiae a Domino eidem commendata dilectio etiam ex nostra dispensatione deposcitur, tanto amplius nobis instare oneris sentiamus, quanto cunctis maiora debemus. — Subiungit se ad rationem solemnitatis nostrae (annivers. assumt. Pontif.) non solum *apostolica,* sed etiam *episcopalis* beatissimi *dignitas Petri,* qui sedi suae praeesse non desinit, et indeficiens obtinet cum aeterno Sacerdote consortium. *Soliditas enim illa, quam de petra Christo etiam ipse petra fa-*

ctus accepit, in suos quoque se transfudit haeredes, et ubicunque aliquid ostenditur firmitatis, non dubie apparet fortitudo pastoris. —

294. *Serm. 51.* (al. 94.) — Ad confirmandam huius fidei (in Dominum Iesum Christum) saluberrimam cognitionem interrogaverat discipulos suos Dominus, inter diversas aliorum opiniones quid ipsi de eo crederent, quidve sentirent? ubi *Petrus* apostolus per revelationem summi Patris, corporea superans et humana transcendens, vidit mentis oculis Filium Dei vivi, et confessus est gloriam Deitatis, quia non ad solam respexit substantiam carnis et sangvinis. Tantumque in hac fidei sublimitate complacuit, ut beatitudinis felicitate donatus *sacram inviolabilis petrae acciperet firmitatem, super quam fundata Ecclesia* portis inferi et mortis legibus praevaleret, nec in solvendis aut ligandis quorumcunque causis aliud ratum esset in coelis, quam quod Petri sedisset arbitrio. —

295. *Serm. 62.* — Merito beatus *Petrus* apostolus in huius unitatis confessione laudatus est: qui, cum Dominus quid de ipso intelligerent discipuli, scrutaretur, omnium celerrime ora praeveniens ‚Tu es, inquit, Christus Filius Dei vivi.' Quod utique non revelante vidit carne nec sangvine, quorum obiectu interiores oculi poterant impediri, sed ipso Spiritu Patris in corde operante credentis, ut *ad regimen totius Ecclesiae* praeparatus, primum disceret quod doceret, et pro soliditate fidei, quam erat praedicaturus, audiret: ‚Tu es Petrus etc.' —

296. *Serm. 82.* — Isti sunt (Petrus et Paulus), qui te (Roma!) ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia, *per sacram beati Petri sedem caput orbis effecta,* latius *praesideres* religione divina quam dominatione terrena. — Nam cum 12 apostoli accepta per Spiritum S. omnium locutione lingvarum, imbuendum Evangelio mundum distributis sibi terrarum partibus suscepissent, beatissimus *Petrus, princeps apostolici ordinis,* ad arcem *Romani* destinatur imperii, ut lux veritatis, quae in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se *ab ipso capite* per totum mundi corpus effunderet. —

297. *Serm. 83.* — Exultemus in Domino, et spiritali iucunditate laetemur, quia Unigenitus Dei Patris Filius D. N. I. C. ad insinuanda nobis suae dispensationis et divinitatis mysteria

apostolici ordinis primum beatum Petrum huic civitati dignatus est praerogare, cuius hodierna solemnitas recurrente triumpho martyrii specimen et decus contulit orbi terrarum. Hoc enim obtinuit illa confessio, quae a Deo Patre inspirata apostolico cordi omnia humanarum opinionum incerta transcendit, et *firmitatem petrae, quae nullis impulsionibus quateretur, accepit.* — *(Reliqua de Petri privilegiis eodem modo proponit Pontifex, ac in Serm. 4. superius citato.)* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 54. ss.

298. *Epist. I. ad Eppum Aquilejensem.* Relatione sancti fratris et coepiscopi nostri Septimi — agnovimus, quosdam presbyteros et diaconos ac diversi ordinis clericos, quos Pelagiana sive Coelestiana haeresis habuit implicatos, ita in vestra provincia ad communionem catholicam pervenisse, ut nulla ab eis damnatio proprii exigeretur erroris; et pastoralibus excubiis nimium dormitantibus lupos ovium pellibus tectos in ovile Dominicum non depositis bestialibus animis introisse, et quod per auctoritatem canonum decretorumque nostrorum ne insontibus quidem conceditur, usurpasse. — Ne ergo hoc ulterius audeatur, neve per quorumdam negligentiam introducta pernicies ad eversionem multarum tendat animarum: hac nostri auctoritate praecepti industriae tuae fraternitatis indicimus, ut congregata apud vos synodo — omnes sive presbyteri sive diaconi, sive cuiusque ordinis clerici, qui de Pelagianorum Coelestianorumque consortio in communionem catholicam ea imprudentia sunt recepti, ut non prius ad damnationem sui coarctarentur erroris, nunc saltem — damnent apertis professionibus suis superbi erroris auctores, et quidquid in doctrina eorum universalis Ecclesia exhorruit, detestentur, omniaque decreta synodalia, quae ad excisionem huius haereseos *Apostolicae Sedis confirmavit auctoritas,* amplecti se et in omnibus approbare plenis et apertis ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur. —

299. *Ep. V. ad Eppos Metrop. Illyrici.* — Quia *per omnes Ecclesias cura nostra distenditur,* exigente hoc a nobis Domino, qui *apostolicae dignitatis* beatissimo apostolo *Petro primatum* fidei suae remuneratione commisit, universalem ecclesiam in fundamenti ipsius soliditate constituens, necessitatem sollicitudinis quam habemus, cum his qui nobis collegii caritate iuncti sunt sociamus. Vicem itaque nostram fratri et coepiscopo nostro Anastasio — commisimus. — Si quae vero *causae graviores,*

vel *appellationes* emerserint, eas sub ipsius relatione *ad nos mitti* debere decrevimus, *ut nostra secundum ecclesiasticum morem sententia finiantur.* —

300. *Epist. ad Anastasium Ep. Thessalonicensem.* — 11. Si in eo, quod cum fratribus tractandum definiendumve credideris, diversa eorum fuerit a tua voluntate sententia, ad nos omnia sub gestorum testificatione referantur, ut remotis ambiguitatibus quod Deo placeat decernatur. — Quoniam et *inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris praeemineret.* De qua forma Epporum quoque est orta distinctio, et magna dispositione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, et rursum quidam in maioribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos *ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiae cura conflueret, et nihil usquam a suo Capite dissideret.* —

301. *Epist. X. ad Eppos prov. Viennensis in Gallia.* Divinae cultum religionis, quem in omnes gentes omnesque nationes Dei voluit gratia coruscare, ita D. N. I. C. humani generis Salvator instituit, ut veritas, quae antea legis et prophetarum praeconio continebatur, per apostolicam tubam in salutem universitatis exiret. — Sed huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in *beatissimo Petro apostolorum omnium summo principaliter collocarit*, et ab ipso quasi quodam *capite* dona sua velit in corpus omne manare, ut *exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere.* Hunc enim in consortium individuae unitatis assumtum, id, quod ipse erat, voluit nominari, dicendo: ‚Tu es Petrus etc.' ut aeterni templi aedificatio mirabili munere gratiae Dei in Petri soliditate consisteret, hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portae contra illam inferi praevalerent. Verum hanc Petrae istius sacratissimam firmitatem Deo, ut diximus, aedificante constructam nimis impia vult praesumtione violare, quisquis eius potestatem tentat infringere, favendo cupiditatibus suis, et id, quod accepit a veteribus, non sequendo: cum nulli se subditum legi, nullis institutionis dominicae credit regulis contineri, a vestro nostroque per novae usurpationis

ambitum more desciscens, praesumendo illicita, et quae custodire debuit negligendo. Verum haec nos Deo, ut credimus, aspirante, servata circa vos nostrae caritatis gratia, quam sanctitati vestrae Apostolica semper Sedes, ut meministis, impendit, nitimur consilio maturiore corrigere, et vestrarum Ecclesiarum statum communicato vobiscum labore componere, non nova instituentes sed vetera renovantes. — Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat, *Apostolicam Sedem pro sui reverentia a vestrae etiam provinciae sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam,* et per diversarum, quemadmodum vetus consvetudo poscebat, *appellationem* causarum *aut retractata aut confirmata fuisse iudicia.* — Sed hunc tramitem semper inter maiores nostros et bene tentum et salubriter custoditum ‚Hilarius' Ecclesiarum statum et concordiam sacerdotum novis praesumtionibus turbaturus excessit, ita suae vos cupiens subdere potestati, ut se beato Apostolo Petro non patiatur esse subiectum, ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum vindicans, — ipsius quoque beatissimi *Petri* reverentiam verbis arrogantioribus minuendo: *cui cum prae ceteris solvendi et ligandi tradita sit potestas, pascendarum tamen ovium cura specialius mandata est: cui quisquis principatum aestimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiae suae semet in inferna demergit.* — (In sequentibus castigat Papa factum Hilarii Arelatensis, Eppos cum praeiudicio Sedis Apostolicae deponentis.)

302. *Ep. XII. ad Eppos Africanos Mauritaniae Caesariensis.* Cum de ordinationibus sacerdotum quaedam apud vos illicite usurpata crebrior ad nos commeantium sermo perferret, ratio pietatis exegit, ut *pro sollicitudine, quam universae Ecclesiae ex divina institutione dependimus*, rerum fidem studeremus agnoscere. — *(Post uberiorem correptionem de usitata in Mauritania indignorum ad sacerdotium provectione, et plura disciplinae puncta enucleata, concludit:)* Si quae vero aliae emerserint causae, quae ad statum ecclesiasticum et ad concordiam pertineant sacerdotum, illic sub timore Domini volumus ventilentur, et de componendis atque compositis omnibus *ad nos relatio plena mittatur*, ut ea, quae iuxta eccles. morem iuste et rationabiliter fuerint definita, *nostra quoque sententia roborentur.*

303. *Ep. 33. ad Synodum Ephesinam II.*)* Religiosa clementissimi Principis fides sciens ad suam gloriam maxime pertinere, si intra Ecclesiam catholicam nullius erroris germen exurgeret, hanc reverentiam divinis detulit institutis, ut ad sanctae dispositionis effectum *auctoritatem Apostolicae Sedis adhiberet*: tamquam ab ipso beatissimo *Petro* cuperet declarari, quid in eius confessione laudatum sit, quando dicente Domino ‚Quem me esse dicunt homines Filium hominis?' varias quidem diversorum opiniones discipuli memorarunt, sed cum ab eis, quid ipsi crederent, quaereretur, princeps apostolorum plenitudinem fidei brevi sermone complexus, ‚Tu es, inquit, Christus Filius Dei vivi.' — Quod si Eutyches intelligenter ac vivaciter crederet, nequaquam ab huius fidei tramite deviaret. Propter quam ei (Petro) respondetur a Domino: ‚Beatus es Simon etc.' Nimis autem a compage huius aedificationis alienus est, qui et beati Petri confessionem non capit, et Christi Evangelio contradicit. — *(Enarrat Pontifex, ad concilium ab Imperatore convocatum se quoque Legatos mittere.)* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 54. ss. item *Bullarium editionis Taurinensis novissimae* t. 1. p. 50. ss.

304. *Epist. 52. qua Theodoritus Eppus Cyri Leoni PP. conqueritur de iniqua sui depositione per pseudosynodum Ephesinam facta.* Si Paulus praeco veritatis, tuba Spiritus S. ad *magnum Petrum* se contulit, ut iis, qui Antiochiae de legali conversatione ambigebant, explicationem ab illo referret: multo magis nos humiles et pusilli ad *Apostolicam Sedem vestram accurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus remedium a vobis accipiamus. Vobis enim primas in omnibus tenere convenit.* Multis siquidem praerogativis ornatur sedes vestra. — Habet — communium patrum magistrorumque veritatis Petri et Pauli sepulcra, fidelium animas illuminantia. — Hi sedem vestram nobilissimam reddiderunt, hic honorum vestrorum est apex. — *(Enarrat fusius suam in pseudosynodo depositionem, et prosequitur:)* At ego *Apostolicae vestrae Sedis expecto sententiam*, et oro atque

---

*) De hac Epistola adnotatur in collectione Hispanica et aliis: illam productam quidem fuisse, sed occultatam, auctore Dioscoro. De hac Synodo (vulgo latrocinali) Leo PP. in aliis literis ad Archimandritas CPnos enunciat: ‚ea, quae in Epheso nuper contra iustitiam vel canonum disciplinam per unius hominis impotentiam gesta sunt, nulla catholicae fidei ratio rata esse permittit.'

obtestor sanctitatem vestram, ut mihi rectum ac iustum tribunal vestrum invocanti opem ferat, iubeatque ad vos venire, et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhaerentem ostendere. —

305. *Responsum Leonis PP. ad Theodoritum.* Remeantibus ad nos fratribus et consacerdotibus nostris, quos ad S. Concilium Sedes beati Petri direxit, agnovimus dilectionem tuam superno adiutorio nobiscum tam Nestorianae impietatis quam Eutychianae vesaniae extitissi victricem. Unde gloriamur in Domino, — qui nullum nos in nostris fratribus detrimentem sustinere permisit, sed *quae nostro prius ministerio definierat, universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium Sede formatum totius christiani orbis iudicium recepisset, ut in hoc quoque Capiti membra concordent:* in quo amplior nobis accrescit gaudendi materia, dum tanto magis se perculit inimicus, quanto contra Christi ministros saevius insurrexit. Nam ne aliarum sedium ad eam, quam ceteris omnium Dominus statuit praesidere, consensus assentatio videretur, aut alia quaelibet subrepere posset adversa suspicio, inventi prius sunt, qui de iudiciis nostris ambigerent. Et dum nonnulli a dissensionis incitati auctore ad contradictionum bella prosiliunt, ad maius bonum, malo eius, auctore totius bonitatis dispensante, perventum est. Dulcius siquidem munera gratiae divinae proveniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur: et minus bonum videri solet pax continuata per otium, quam reddita per laborem. Ipsa quoque veritas et clarius renitescit, et fortius retinetur, dum quae fides prius docuerat, haec postea examinatio confirmarit. Multum denique sacerdotalis officii meritum splendescit, ubi sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. — Exulta igitur, carissime frater, et in unico Dei Filio victor exulta. — Solis iustitiae iubar, densis per Orientem Nestorii et Eutychis nebulis impeditum, pure ab Occidente resplenduit, ubi culmen summum in Apostolis et doctoribus principaliter collocavit etc. —

306. *Epist. 99. Epporum Galliae ad Papam, plena devotionis et subiectionis.* Perlata ad nos epistola beatitudinis vestrae, quam ad Orientem pro catholicae fidei assertione misistis, optassemus statim Apostolatui vestro pro tam immenso munere gratiarum actionem referre, nisi nobis difficultatem, qua in unum

celeriter non potuimus convenire, vel spatia, quibus a nobis disparati sumus, longa terrarum, vel aurarum, quae in regionibus nostris praeter consvetudinem fuit, intemperies attulisset. — Exultavimus Christo propitio lectis beatitudinis vestrae literis, et omni instructione patefacta, omnes intra Gallias constitutos exultare mox fecimus, dolentes pariter pro his vobiscum, qui catholicae fidei lumine derelicto errorum tenebras inciderunt. Quae *Apostolatus vestri scripta ita ut symbolum fidei,* quisquis redemtionis sacramenta non negligit, tabulis cordis adscribit, et tenaci quo ad confundendos haereticorum errores paratior sit, memoriae commendavit. — Quis autem Apostolatui vestro pro hoc tanto munere, quo non solum Gallias, sed *totum mundum* velut quibusdam pretiosissimis gemmis ornavit, dignas aestimet gratias posse persolvi? *Doctrinae post Deum vestrae debet fidelis,* ut constanter teneat quod credebat; debet etiam infidelis, ut a perfidia sua, agnita veritate, discedat, et *apostolicae institutionis luce perfusus* erroris sui tenebras derelinquat magisque sequatur et credat, quod *per os vestrum* D. N. I. C. de sacramento incarnationis suae docet, quam id teneat, quod diabolus humanae salutis et veritatis inimicus instillat. — Meritis apostolatus vestri pius Dominus praestitit, ut haeresim iam diu occulte nutritam vestris temporibus proderet. Ad laudem enim sollicitudinis vestrae pertinet, quod malorum error latere non potuit; ad gloriam fidei redundat, quod prava persvasio participes aut non invenit aut inventos amisit. Respiciat itaque, oramus, conservando apostolatum vestrum misericors Dominus Ecclesiam suam toto orbe diffusam: vobis enim ita invigilantibus et hi, qui curam animae suae gerunt, sollicitiores in fide redduntur, et hi, qui paulo desides sunt, tanto ad sollicitudinem accenduntur exemplo. Quod nos ante oculos semper habentes non desinemus Domino ac Deo nostro gratias agere et pariter supplicare, gratulantes quod tantae sanctitatis, tantae fidei, tantaeque doctrinae *Apostolicae Sedi, unde religionis nostrae propitio Christo fons et origo manavit,* Antistitem dederit; petentes etiam, ut datum concessumque munus pontificii vestri longissima ad aedificationem Ecclesiarum suarum aetate custodiat. — **Migne** *Patr. Lat.* l. cit.

307. *Ep. 101. qua* **Anatolius Eppus CPnus pro praerogativa suae Sedis** *Leonem PP. obtestatur.* —

Quoniam etiam de aliis rebus oportebat nos considerare, ut tanta Synodus (Chalcedonensis) omnia videretur agere sine ulla omissione, quae correctionis indigent, atque approbationis tum in canonicis tum in ecclesiasticis capitibus, cura adhibita est et ab iis qui omnia moderantur, et a magnificentissimis gloriosissimisque iudicibus, et illustri et glorioso senatu et clero universo et populo, *ut afficeretur aliquo honoris additamento sanctissima sedes huius regiae urbis CPlis per consensum huius S. Synodi circa canonem 150 ss. patrum,* qui congregati fuerant sub magno Theodosio piae recordationis. — Et hanc rem adgressi sumus confidentes merito vestrae beatitudini, fore, ut proprium reputet honorem Sedis CPnae, quippe iam diu apostolicus vester thronus sollicitudinem erga ipsam et concordiam habet, ipsique per omnia proprium, quibus rebus indigebat, auxilium elargitus est abundanter. Etenim cum nullum sit dubium quin gaudeat omnino vestra beatitudo, quod quae ab ipsis celebratur congregatio, praestantiorem habuerit honorem, promto animo progressa est ad confirmandum quidem ipsum canonem 150 ss. patrum statuentium, ut CPnus Eppus habeat honorem et primum locum post Romanam sanctissimam sedem, eo quod etiam CPlis sit nova Roma, definivitque etiam, ut ordinationes ipse faceret Metropolitarum Ponticae, et Asianae, et Thracicae dioecesis. — Ita vero cum omnes res bene essent progressae, atque in laetitiam desiissent, piissimi protinus eppi Paschasinus et Lucentius et reverendissimus presbyter Bonifacius, saepe quidem de hac ipsa re a nobis edocti et ignorantes intentionem vestrae sanctitatis, quam habetis erga CPlis sanctissimam Ecclesiam, postquam signavit S. Synodus et subscriptione confirmavit huiusmodi definitionem, reiiciunt Synodum, turbant et confusione implent consessum, pro nihilo hanc sedem habentes, et facientes omnia, quae iniuriam afferunt tum mihi, tum CPlis sanctissimae Ecclesiae. Constituta sunt etiam haec nutu piissimorum nostrorum imperatorum. — Nos et ante et post ipsorum adventum (Legatorum Sedis Apost.) quae ad vestram gloriam et honorem debitum pertinent, curavisse in omnibus et Deus est testis, et ipsa facta manifestant. — Sedes CPlis habet patrem thronum apostolicum vestrum, praecipuo atque excellenti modo se ipsam vobiscum coniungens, ut ex vestra de ipsa sollicitudine omnes

quidem intelligant, vos iamdiu ipsius commodis sincere consulentes etiam nunc eandem curam habere de illa. —

308. *Ep. 104. Leonis PP. ad Marcianum Imp. contra praetensionem Eppi CPni.* Magno munere misericordiae Dei totius Ecclesiae Catholicae multiplicata sunt gaudia, cum sancto et glorioso clementiae vestrae studio perniciosissimus error extinctus est, ut labor noster citius ad desideratum perveniret effectum, quem Deo serviens principatus vester et fide et potestate iuvisset. — His autem, propter quae tanta facta est congregatio sacerdotum, bono et optabili fine compositis, *miror et doleo, quod pacem universalis Ecclesiae divinitus reformatam ambitionis rursus spiritus inquietat.* — Apud Christianum et vere religiosum vereque orthodoxum Principem loquor, *multum Anatolius Eppus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmento.* Habeat, sicut optamus, CPna civitas gloriam suam, ac protegente dextera Dei diuturno clementiae vestrae fruatur imperio. Alia tamen ratio est rerum secularium, alia divinarum; nec praeter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio. Propria perdit, qui indebita concupiscit. — *Non dedignetur* (Anatolius) *regiam civitatem, quam apostolicam non potest facere sedem,* nec ullo speret modo, quod per aliorum possit offensiones augeri. Privilegia enim Ecclesiarum ss. patrum canonibus instituta et venerabilis Nicaenae Synodi fixa decretis nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari. In quo opere auxiliante Christo fideliter exequendo necesse est me perseverantem exhibere famulatum: quoniam dispensatio mihi credita est, et ad meum tendit reatum, si paternarum regulae sanctionum, quae in Synodo Nicaena ad totius Ecclesiae regimen Spiritu Dei instruente sunt conditae, me (quod absit) connivente violentur, et maior sit apud me unius fratris voluntas, quam universae domus Domini communis utilitas. Et ideo sciens gloriosam clementiam vestram ecclesiasticae studere concordiae, et his, quae pacificae congruunt unitati, piissimum praestare consensum, precor et sedula suggestione vos obsecro, ut ausus improbos unitati christianae pacique contrarios ab omni pietatis vestrae abdicetis assensu, et fratris mei Anatolii nocituram ipsi, si perstiterit, cupiditatem salubriter comprimatis. — Agite quod et christianae est probitatis et regiae, ut praedictus Eppus pareat Patribus, consulat paci, neque sibi

aestimet licuisse, quod Antiochenae Ecclesiae sine ullo exemplo contra instituta canonum Eppum ordinare praesumsit: quod nos amore reparandae fidei et pacis studio retractare cessavimus. Abstineat ab ecclesiasticarum iniuria regularum, et illicitos declinet excessus, ne se ab universali Ecclesia, dum inimica paci tentat, abscindat. —

309. *Ep. 106. ad Anatolium Eppum CPnum.* Manifestato, sicut optavimus, per gratiam Dei lumine evangelicae veritatis, et ab universali Ecclesia perniciosissimi erroris nocte depulsa, ineffabiliter gaudemus in Domino, quod creditae nobis dispensationis labor ad desideratum pervenit effectum, sicut etiam epistolae tuae textus eloquitur, ut secundum apostolicam doctrinam idipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata, simus autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia. In cuius operis devotione gratulamur dilectionem tuam esse consortem, ut et corrigendis tua prodesset industria, et ab omni te deviantium participatione purgares. Decessore enim tuo beatae memoriae Flaviano propter defensionem catholicae veritatis eiecto, non immerito credebatur, quod ordinatores tui contra s. canonum constituta viderentur sui similem consecrasse. Sed affuit misericordia Dei, in hoc te dirigens atque confirmans, ut malis principiis bene utereris, et non te iudicio hominum, sed Dei provectum benignitate monstrares: quod vere ita accipiendum est, si hanc divini muneris gratiam alia offensione non perdas. Virum enim catholicum, et praecipue Domini sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate corrumpi. — Post illa itaque ordinationis tuae non inculpata principia, post consecrationem Antiocheni Eppi, quam tibimet contra canonicam regulam vindicasti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, ut sacratissimas Nicaenorum canonum constitutiones conareris infringere, tamquam opportune se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderit, et Antiochena Ecclesia proprietatem tertiae dignitatis amiserit: ut his locis iuri tuo subditis omnes metropolitani Eppi proprio honore priventur. Quibus inauditis et numquam ante tentatis ita praeveniris excessibus, ut sanctam Synodum, ad extingvendam solum haeresim et ad confirmationem fidei cath. studio Christianissimi Principis congregatam, in occasionem ambitus trahas, et ut conniventiam suam tibi dedat, im-

pellas : tamquam refutari nequeat, quod illicite voluerit multitudo, et illa Nicaenorum canonum per Spiritum vere Sanctum ordinata conditio in aliqua cuiquam sit parte solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis concilia blandiantur, neque 318 Eppis quantumlibet copiosior numerus sacerdotum vel comparare se audeat vel praeferre : cum tanto divinitus privilegio Nicaena sit Synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures eccles. iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum. Nimis ergo haec improba, nimis sunt prava, quae sacratissimis canonibus inveniuntur esse contraria. In totius Ecclesiae perturbationem superba haec tendit elatio, quae ita abuti voluit concilio synodali, ut fratres in fidei tantummodo negotio convocatos, et definitione eius causae, quae erat curanda, perfunctos, ad consentiendum sibi aut depravando traduceret, aut terrendo compelleret. Inde enim fratres nostri ab Apost. Sede directi, qui vice mea Synodo praesidebant, probabiliter atque constanter illicitis ausibus obstiterunt, aperte reclamantes, ne contra instituta Nicaeni Concilii praesumtio reprobae novitatis assurgeret. Nec potest de eorum contradictione dubitari, de quibus in epistola tua etiam ipse conquereris, quod conatibus tuis voluerint obviare. In quo quidem multum illos mihi haec scribendo commendas, sed temetipsum, quod eis parere nolueris, dum illicita moliris, accusas, superflue non concedenda appetens, et insalubriter tibi contraria concupiscens, quae nullum unquam poterunt nostrum obtinere consensum. Absit enim a conscientia mea, ut tam prava cupiditas meis studiis adiuvetur, ac non potius et meo et omnium qui non alta sapiunt sed humilibus consentiunt, opere subruatur. — Noli, frater, altum sapere, sed time. — Non convellantur provincialium iura primatum, nec privilegiis antiquitus institutis metropolitani fraudentur antistites. Nihil Alexandrinae Sedi eius, quam per S. Marcum Evangelistam beati Petri discipulum meruit, pereat dignitatis ; — Antiochena quoque Ecclesia, in qua primum praedicante beato Petro apostolo Christianum nomen exortum est, in paternae constitutionis ordine perseveret, et in gradu tertio collocata numquam se fiat inferior. Aliud enim sunt sedes, aliud praesidentes, et magnus unicuique honor est integritas sua. Quae cum in quibuslibet locis propria ornamenta non perdat, quanto magis in CPnae urbis magnificentia

potest esse gloriosa, si per observantiam tuam et defensionem paterni canones, et exemplum probitatis multi habeant sacerdotes? —

310. *Ep. 119. ad Maximum Ep. Antiochenum.* — Oportet dilectionem tuam toto corde perspicere, cuius Ecclesiae gubernaculis te Dominus voluerit praesidere, et eius meminisse doctrinae, quam *praecipuus Apostolorum omnium beatissimus Petrus* per totum quidem mundum uniformi praedicatione, sed speciali magisterio in Antiochena et Romana urbe fundavit: ut illum in suae glorificationis domicilio praeeminentem ea intelligas reposcere instituta quae tradidit, sicut ab ipsa quam confessus est veritate suscepit. Neque ullo modo sinas in Orientalibus Ecclesiis, maximeque in his, quas Antiochenae Sedi sacratissimorum patrum Nicaeni canones deputaverunt, ab improbis haereticis Evangelio resultari, et vel Nestorii vel Eutychis a quoquam dogma defendi. Quoniam, sicut dixi, *catholicae fidei petra, cuius cognomen beatus apostolus Petrus sumsit a Domino, nullum recipit ab utraque impietate vestigium.* — Dignum est te Apostolicae Sedis in hac sollicitudine esse consortem, et ad agendi fiduciam privilegia *tertiae Sedis* agnoscere, quae in nullo cuiusquam ambitione minuentur: quia tanta apud me est Nicaenorum canonum reverentia, ut ea, quae sunt a sanctis patribus constituta, nec permiserim, nec patiar aliqua novitate violari. Etsi enim diversa nonnumquam sunt merita praesulum, iura tamen permanent sedium, quibus etsi possint aemuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem. Unde cum aliquid pro Antiochenae Ecclesiae privilegiis dilectio tua agendum esse crediderit, propriis literis studeat explicare, ut nos consultationi tuae absolute et congrue respondere possimus. —

311. *Ep. 129. ad Proterium Ep. Alexandrinum.* — Per omnia et in fidei regula, et in observantia disciplinae vetustatis norma servetur, et dilectio tua constantiam providi rectoris exerceat; ut prosit Alexandrinae Ecclesiae, quod improbae quorumdam ambitioni servato veterum privilegiorum iure sollicitus obviavi, et metropolitanis omnibus illaesam manere volui dignitatem, sicut ex epistolarum mearum, quas ad S. Synodum, vel ad christianissimum Principem, sive ad CPnum Eppum misi, tenore cognosces; manifesteque perspicies hoc speciale esse sollicitudinis meae, ut neque a fidei regula in Ecclesiis Domini

devietur, neque in privilegiis aliquid cuiusquam improbitate minuatur. Quae cum ita sint, teneat fraternitas tua suorum consvetudinem decessorum, et comprovinciales suos eppos, qui Alexandrinae Sedi ex antiqua constitutione subiecti sunt, congrua sibi auctoritate contineat. — Non enim ulla causa est, quae illos ab hac obedientia debeat revocare, cum talis nobis et fide et moribus innotuerit fraternitas tua, ut tibi de auctoritate praecedentium decessorum tuorum nihil patiamur imminui, aut te impune contemni.

312. *Ep. 132. Anatolii ad Papam, in qua omnem ambitionis culpam ab se amoliri conatur.* — De his, quae CPnae Sedis gratia sancita sunt in Chalcedonensi nuper universali synodo, pro certo beatitudo vestra hoc habeat, nullam esse culpam in me, homine, qui semper otium et quietem in humilitate me continens ab ineunte mea aetate dilexerim, sed CPnae Ecclesiae reverentissimus clerus est, qui hoc habuit studium, et istarum partium religiosissimi sacerdotes, qui in hoc fuere concordes et sibi pariter adiutores; cum et sic gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati vestrae beatitudinis fuerit reservata. Hoc igitur bene compertum sanctitas vestra cognoscat, nihil ex me istius causa factum esse negotii, qui semper omnem iactantiae levitatem et aliena appetendi cupiditatem mihi vitandam crediderim. —

313. *Ep. 135. Leonis PP. ad Anatolium.* — Illam culpam, quam de augenda potestate, aliena, ut asseris, adhortatione contraxeras, efficacius atque sincerius tua caritas diluisset, si, quod tentari sine tua voluntate non potuit, non ad sola clericorum consilia transtulisses. Quia sicut in mala svasione delinquitur, ita et in mala consensione peccatur. Sed gratum mihi est, frater carissime, quod dilectio tua id profitetur sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit. — Abiiciatur penitus inconcessi iuris qui dissensionem fecerat appetitus. Sufficiant limites, quos ss. patrum providentissima decreta posuerunt: ut quieta sit suis meritis et antiquis privilegiis dignitas omnium sacerdotum. Renovetur et maneat in te dominicae caritatis affectio, ad quam dilectionem tuam saepius cohortatus sum. — Super omnia autem fraterna caritate hortor et moneo, ut ea, quae ad gloriam vel ad munimen pertinent sacerdotalis officii, Nicaenorum canonum universalis Ecclesiae pacem servantia decreta

custodias. Sic enim inter Domini sacerdotes inviolata caritas permanebit, si paribus studiis quae sunt a sanctis patribus constituta serventur.

314. *Ep. 156. ad Leonem Imperatorem.* Literas clementiae tuae plenas virtute Dei et lumine veritatis veneranter accepi, quibus cuperem etiam in eo, quod praesentiam meam pietas vestra necessariam existimat, obedire, ut maiorem fructum conspectu vestri splendoris assequerer. Sed magis id vobis arbitror placiturum, quod eligendum ratio demonstravit. Nam cum sancto et spiritali studio in universum pacem Ecclesiae muniatis, nihilque sit convenientius fidei defendendae, quam his, quae per omnia instruente Spiritu S. irreprehensibiliter definita sunt, inhaerere: ipsi videbimur bene statuta convellere, et auctoritates, quas Ecclesia universalis amplexa est, ad arbitrium haereticae petitionis infringere, atque ita nullum collidendis Ecclesiis modum ponere, sed data licentia rebellandi dilatare magis quam sopire certamina. Unde quia post illas Ephesinae Synodi impietates, quibus Dioscori scelere fides catholica refutata et perversitas Eutychiana suscepta est, nihil ad conservationem fidei christianae utilius potuit ordinari, quam ut praedicti facinus S. Synodus Chalcedonensis aboleret, et tanta illic haberetur coelestis cura doctrinae, ut nihil in cuiusquam opinione resideret, quod a praedicationibus vel propheticis vel apostolicis dissonaret, — quid probabilius, quid religiosius poterit pietas vestra decernere, quam ut quae non tam humanis quam divinis sunt statuta decretis, nullus ultra sinatur impetere. — *Cum* ergo *universalis Ecclesia per illius principalis petrae aedificationem facta sit petra, et primus Apostolorum beatissimus Petrus voce Domini dicentis audierit* ‚Tu es Petrus etc.': *quis est, nisi aut antichristus, aut diabolus, qui pulsare audeat inexpugnabilem firmitatem?* —

315. *Ad Eppos Siciliae.* Divinis praeceptis et apostolicis monitis incitamur, ut pro omnium ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu, aut si quid usquam reprehensioni inveniatur obnoxium, celeri sollicitudine aut ab ignorantiae imperitia, aut a praesumtionis usurpatione revocemus. Monente enim Dominicae vocis imperio, quo beatissimus apostolus Petrus trina repetitione mysticae sanctionis imbuitur, ut Christi oves, qui Christum diligit, pascat, ipsius Sedis, cui per abundantiam divinae gratiae

praesumus, reverentia cohortamur, ut periculum desidiae, quantum possumus, declinemus, ne professio summi apostoli, qui se amatorem Domini esse testatus est, non inveniatur in nobis. Cum ergo mihi de caritatis vestrae actibus fraterna actione sollicito certis indiciis innotuerit, vos in eo, quod inter sacramenta Ecclesiae principale est, ab apostolicae institutionis consvetudine discrepare, ita, ut baptismi sacramentum numerosius in die Epiphaniae quam paschali tempore celebretis, miror vos vel praecessores vestros tam irrationabilem novitatem usurpare potuisse, ut confuso temporis utriusque mysterio nullam esse differentiam crederetis inter diem, quo adoratus est Christus a magis, et diem, quo resurrexit a mortuis. *Quam culpam nullo modo potuissetis incidere, si unde consecrationem honoris accipitis, inde legem totius observantiae sumeretis, et beati Petri apostoli Sedes, quae vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset ecclesiasticae magistra rationis.* — Illud primitus pro custodia concordissimae unitatis exigimus, ut quia saluberrime a s. patribus constitutum est, binos in annis Epporum debere esse conventus, terni semper ex vobis ad diem tertium Calendarum Octobrium Romam fraterno concilio sociandi occurrant, et indissimulanter a vobis haec consvetudo servetur. Quoniam adiuvante gratia Dei facilius poterit provideri, ut in Ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cum coram beatissimo apostolo Petro semper in communione tractatum fuerit, ut omnia instituta canonumque decreta apud omnes Domini sacerdotes inviolata permaneant. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 54. ss. et 130. p. 870.

316. **C. Chalcedonense Generale,** *A. 451. in Actis suis plurima suppeditat pro agnita a Patribus Concilii suprema Primatus auctoritate monumenta, quorum praecipua eo, quo se exceperant, ordine recensemus.* Leo PP. ad Flavianum AEppum CPnum. Cum Christianissimus et clementissimus Imperator sancta et laudabili fide pro ecclesiae catholicae pace sollicitus, ad nos scripta transmiserit de his, quae apud vos perturbationis strepitum commoverunt: miramur fraternitatem tuam quidquid illud scandali fuit nobis silere potuisse, et non potius procurasse, ut primitus nos insinuatio magis tuae relationis instrueret, ne de rerum gestarum fide possemus ambigere. Accepimus enim libellum Eutychis presbyteri, qui se queritur accusante Eusebio Eppo immerito communione privatum,

maxime cum evocatum se adfuisse testetur, nec sui praesentiam denegasse, adeo ut in ipso iudicio libellum appellationis se asserat obtulisse, nec tamen fuisse susceptum, qua ratione compulsus sit, ut contestatorios libellos in CPna urbe proponeret. Quibus rebus intercedentibus necdum agnoscimus, qua iustitia a communione Ecclesiae fuerit separatus. Sed respicientes ad causam, facti tui nosse volumus rationem, et usque ad nostram notitiam cuncta deferri: quoniam nos, qui sacerdotum Domini matura volumus esse iudicia, nihil possumus incognitis rebus in cuiusquam partis praeiudicium definire, priusquam universa quae gesta sunt veraciter audiamus. Et ideo fraternitas tua per idoneam maxime aptamque personam plenissima nobis relatione significet, quid contra antiquam fidem novitatis emerserit, quod severiori sententia dignum fuerit vindicari. Nam et ecclesiastica moderatio, et religiosa piissimi principis fides multam nobis sollicitudinem christianae pacis inducunt, ut amputatis dissensionibus fides catholica inviolata servetur, et his, qui prava defendunt, ab errore revocatis, nostra auctoritate quorum fides probata fuerit muniantur. — Et ideo quia dilectio tua de tanta causa nos videt necessario esse sollicitos, quam plenissime et lucide universa nobis, quod ante facere debuit, indicare festinet. —

317. *Idem ad Synodum.* Optaveram quidem, dilectissimi, pro nostri caritate collegii, omnes Domini sacerdotes in una catholicae fidei devotione persistere, nec quemquam gratia aut formidine secularium potestatum depravari, ut a via veritatis abscederet. Sed quia multa saepe, quae poenitudinem possint generare, proveniunt, et superat culpas delinquentium misericordia Dei, atque ideo suspenditur ultio, ut possit locum habere correctio: amplectendum est clementissimi Imperatoris plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem vestram ad destruendas insidias diaboli et ad reformandam eccl. pacem voluit convenire, beatissimi Petri Apostoli sedi iure atque honore servato, adeo ut nos quoque suis ad hoc literis invitaret, ut venerabili Synodo nostram praesentiam praeberemus: quod quidem nec necessitas temporis, nec ulla poterat consvetudo permittere. Tamen in his fratribus Paschasino et Lucentio eppis, Bonifacio et Basilio presbyteris, qui ab Apost. Sede directi sunt, me synodo vestra fraternitas existimet praesidere, non abiun-

cta a vobis praesentia mea, qui nunc in vicariis meis adsum, et iam dudum in fidei catholicae praedicatione non desum, ut qui non potestis ignorare quid exantiqua traditione credamus, non possitis dubitare quid cupiamus. Unde, fratres carissimi, reiecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat, nec liceat defendi, quod non licet credi, cum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces, apostolicamque doctrinam penissime et lucidissime per literas, quas ad beatae memoriae Flavianum Eppum misimus, fuerit declaratum, quae sit de sacramento incarnationis D. N. I. C. pia et sincera confessio. Quia vero non ignoramus, per pravas aemulationes multarum ecclesiarum statum fuisse turbatum, plurimosque episcopos, quia haeresim non receperint, sedibus suis pulsos, et in exilia deportatos, atque in locum superstitum alios substitutos : vulneribus his primitus adhibeatur medicina iustitiae. — Prioris autem Ephesinae Synodi, cui sanctae memoriae Cyrillus Eppus tunc praesedit, in Nestorium specialiter statuta permaneant, ne tunc damnata impietas ideo sibi in aliquo blandiatur, quia Eutyches iusta execratione percellitur. Puritas enim fidei atque doctrinae, quam eodem, quo sancti patres nostri, spiritu praedicamus, et Nestorianam et Eutychianam cum suis auctoribus condemnat pariter et persequitur pravitatem. —

318. *Ex gestis Actionis I. Synodi de Dioscoro Alexandrino. — Paschasinus Sedis Apost. Vicarius dixit :* Beatissimi atque apostolici viri Papae urbis Romae, qui est caput omnium ecclesiarum, praecepta habemus prae manibus, in quibus censuit interloquendum, ut Dioscorus non sedeat in Concilio, sin autem hoc facere adgrediatur, eiiciatur. Hoc nos observare necesse est. Si ergo praecipit vestra magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus. *Iudices dixerunt*: Quid enim specialiter ingeritur Dioscoro eppo? — *Lucentius Vicarius Sedis Apost. dixit:* Iudicii sui necesse est eum dare rationem, quia cum personam iudicandi non haberet, praesumsit, et synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apost., quod numquam factum est, nec fieri licuit. — Non patimur tantam iniuriam nec vobis fieri nec nobis, ut iste sedeat, qui iudicandus advenit. *Iudices dixerunt:* Si iudicis obtines personam, non ut accusator debes prosequi. — *Eusebius Eppus Dorylaei civitatis — dixit:* Per salutem vos dominorum universi mundi, iubete preces meas legi; — laesus

sum a Dioscoro, laesa est fides, occisus est Flavianus sanctus episcopus — lacrymis impleor — simul mecum iniuste ab eo damnatus est. — *Lectis Actis facta Dioscori concernentibus, iudices dixerunt:* De recta quidem et catholica fide perfectius sequenti die, convenientе concilio, diligentiorem examinationem fieri oportere perspicimus. Quoniam vero Flavianus religiosae memoriae et Eusebius reverentissimus episcopus ex gestorum et cognitionum scrutatione, et ipsa voce quorumdam, qui tunc synodo praefuerunt, confitentium se errasse, et frustra eos damnasse, quia nihil circa fidem monstrantur errasse, ostenduntur iniuste depositi: videtur nobis, secundum quod Deo placitum est, iustum esse, si placuerit divinissimo et piissimo Domino nostro, eidem poenae Dioscorum, et Iuvenalem etc. qui tunc potestatem et principatum Synodi tenuerunt, subiacere, et a sancto Concilio secundum regulas ab episcopali dignitate fieri alienos, omnibus, quae consequenter acta sunt, ad sacrum apicem referendis. — Unusquisque reverentissimorum Epporum praesentis sancti Concilii, quomodo credit, in scriptis sine ullo metu, Dei timorem ante suos oculos ponens, exponere festinet, cognoscens, quoniam divinissimus et piissimus dominus noster secundum expositionem in Nicaea congregatorum ss. patrum etc. — credit. — Etenim reverentissimus AEppus senioris urbis Romae Leo adversus Eutychis infidelem et contrariam catholicae religioni emergentem dubitationem visus est ad reverendae memoriae Flavianum misisse epistolam. —

319. *Ex gestis Actionis II. — Iudices dixerunt* : Priore conventu de damnatione sanctae memoriae Flaviani et Eusebii eppi inquisitio facta est, et omnibus vobis manifestum constitutum, quam iuste et secundum consequentiam provenit examinatio. — Nunc autem hoc quaerendum et iudicandum est, ut vera fides stabiliatur, pro qua maxime et concilium factum est. — Festinate sine ullo timore et gratia atque inimicitia fidem puram exponere, ita ut et qui videntur non eadem cum omnibus sapere, per veritatis agnitionem ad concordiam revocentur. Scire enim vos volumus, quia tam divinissimus et piissimus orbis terrae dominus, quam nos catholicam fidem a sanctis 318, et a sanctis 150, necnon etiam et a ceteris sanctissimis patribus traditam custodimus, et secundum ipsam credimus. *Episcopi clamaverunt:* Expositionem alteram nullus facit, neque tentamus, neque

audemus exponere. Docuerunt enim patres, et in scriptis custodiuntur quae ab eis sunt exposita, et citra ea dicere non possumus. *Cecropius Eppus Sebastopolitanus dixit*: Emerserunt quae ad Eutychem pertinebant, et super iis forma data est a sanctissimo AEppo Romanae urbis, et sequimur eum, et epistolae omnes subscripsimus. *Episcopi clamaverunt:* Ista omnes dicimus, sufficiunt quae exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri. *Recitatis dein expositione fidei Concilii Nicaeni, et illa Concilii CPni Generalis II, lecta fuit epistola Leonis PP. synodica ad Flavianum CPnum contra Eutychetis haeresim:* „Lectis dilectionis tuae literis, quas miramur fuisse tam seras, et gestorum episcopalium ordine recensito, tandem quid apud vos scandali contigerit, atque contra integritatem fidei exortum fuerit, agnovimus, et quae prius videbantur occulta, nunc nobis reserata patuerunt. Quibus Eutyches, qui presbyteri nomine honorabilis videbatur, multum imprudens et nimis imperitus ostenditur: ut etiam de ipso dictum sit a propheta: ‚Noluit intelligere ut bene ageret, iniquitatem meditatus est in cubili suo.' Quid autem iniquius, quam impia sapere, et sapientioribus doctioribusque non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas voces, non ad apostolicas literas, nec ad evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt. Et ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuere. Quam enim eruditionem de sacris novi et veteris testamenti paginis acquisivit, qui nec ipsius quidem symboli initia comprehendit? et quod per totum mundum omnium regenerandorum voce depromitur, istius adhuc senis corde non capitur. *Sequitur fusa et erudita apologia dogmatis catholici adversus erronea asserta Eutychetis.)* — *Post lectionem epistolae, Eppi clamaverunt:* Haec patrum fides, haec apostolorum fides. Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt. Anathema ei qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est. Apostoli ita docuerunt. Pie et vere Leo docuit, Cyrillus ita docuit. Cyrilli aeterna memoria. Leo et Cyrillus similiter docuerunt, anathema ei qui sic non credit. Haec vera fides, Catholici ita sapimus. Haec patrum fides. Haec in Epheso cur lecta non sunt? Haec Dioscorus occultavit.

320. *In Actione III. condemnatur Dioscorus Alexandrinus. — (Postquam plurimi Praesules provocassent Legatos*

Summi Pontificis, ut sententiam proferrent,) Paschasinus et Lucentius Eppi, tenentes locum Papae Leonis, pronunciaverunt: Manifesta facta sunt, quae a Dioscoro quondam Alexandriae magnae ecclesiae episcopo commissa sunt adversus sanctarum regularum ordinem, et eccles. disciplinam, tam ex iis quae dudum examinata sunt in priori consessu, quam ex iis quae hodie acta sunt. Hic enim, ut plurima intermittamus, Eutychem similia sibi sapientem et regulariter a proprio damnatum episcopo, id est, sanctissimo patre nostro et AEppo quondam Flaviano, praesumens sibi primatum, irregulariter in communionem suscepit, priusquam consideret in Epheso cum Dei amantissimis Eppis. Sed illis quidem Apostolica Sedes veniam praestitit de iis quae ibi non voluntarie ab eis gesta sunt, qui et hactenus permanserunt obedientes sanctissimo AEppo Leoni, et omni sancto et universali Concilio. — Hic autem et hactenus permansit glorians in eis, pro quibus oportebat eum gemere, et se terrae prosternere. Super haec vero neque epistolam legi permisit beatissimi Papae Leonis, scriptam ad sanctae memoriae Flavianum, et hoc frequenter rogatus a portitoribus recitari eam, et cum iuramento fieri lectionem promittens: qua non lecta scandalum et lacsionem sanctae Dei ecclesiae per totum orbem terrae pertulerunt. Sed tamen talibus ab eo audacter commissis, deliberabamus, ut de priore sua pessima actione aliqua ei praestaretur clementia, — sed quoniam secundis excessibus priorem iniquitatem valde transcendit, — praesumsit enim et excommunicationem dictare adversus sanctiss. et beatiss. AEppum magnae Romae Leonem, insuper etiam multi libelli multis eius pleni iniquitatibus, contra eum in sancto et magno Concilio oblati sunt, et semel, et secundo, et tertio per Dei amantissimos Eppos regulariter vocatus, minime voluit obedire, propria utique conscientia stimulatus, et hos, qui a diversis conciliis regulariter damnati sunt, contra divinas leges suscepit — ideo ipse contra se elicuit sententiam, et saepius ecclesiasticos conculcans canones. Unde sanctiss. et beatiss. AEppus magnae et senioris Romae Leo, per nos et per praesentem sanctam synodum una cum ter beatissimo et omni laude digno beato Petro Apostolo, qui est petra et crepido Catholicae Ecclesiae, et rectae fidei fundamentum, nudavit eum tam episcopatus dignitate, quam etiam et ab omni sacerdotali alienavit ministerio. Igitur sancta haec et magna Synodus, quae placent

regulis, super memorato Dioscoro decernat. *(Omnes Eppi interlocuti, sententiae Leonis Papae conformiter se enunciarunt, et subscripserunt.)*

321. *Acta Actionis XVI. de primatu Romanae Sedis.* — *Paschasinus Eppus, Vicarius Sedis Apost. dixit*: Domini totius orbis pro catholica fide decertantes, per quam et augetur eorum et lucet imperium, sancire dignati sunt, quatenus unam fidem teneant omnes ecclesiae pro bono pacis. Maior autem eorum tranquillitati cura est, in quibus post haec providere dignati sunt, ne qua rursus contentio inter sacerdotes Dei aut schisma aut aliquod nascatur scandalum. Hesterna enim die, postquam potestas vestra surrexit, et humilitas nostra vestigia vestra secuta est, quaedam gesta facta dicuntur, quae nos et praeter canones ecclesiasticos et disciplinam aestimamus effecta. Poscimus ergo, ut vestra magnificentia haec relegi faciat, ut omnis fraternitas inspiciat, utrum iusta, an iniusta sint ea quae gesta sunt. — *Secretarius legit:* Definitiones ss. patrum sequentes ubique, et regulam quae nunc relecta est, 150 Dei amantissimorum Epporum, qui congregati sunt piae memoriae Imperatore magno Theodosio in regia civitate CPli nova Roma, cognoscentes, et nos eadem definimus de privilegiis eiusdem sanctissimae CPnae Ecclesiae novae Romae. Etenim Sedi senioris Romae, propter imperium civitatis illius, patres consequenter privilegia reddiderunt. Et eadem intentione permoti 150 Dei amantissimi Eppi aequa sanctissimae sedi novae Romae privilegia tribuerunt, rationabiliter iudicantes, imperio et senatu urbem ornatam aequis senioris regiae Romae privilegiis frui, et in ecclesiasticis, sicut illam, maiestatem habere negotiis, et secundam post illam existere; et hos qui de Ponto sunt, et de Asia et Thracia, dioecesibus, metropolitanos solos, rursum autem et qui inter barbaros sunt, Eppos praefatarum dioecesum ordinari a praedictae sanctissimae CPnae Sedis Ecclesia, quippe ut unusquisque metropolita praefatarum dioecesum cum eppis suae provinciae ordinet suae regionis eppos, sicut divinis canonibus est praeceptum: ordinari autem, sicut dictum est, metropolitas praefatarum dioecesum a CPno AEppo, decretis consonis secundum morem factis et ad eum relatis. — *Lucentius Eppus Sedis Ap. Vicarius dixit*: Primo gloria vestra perpendat, qua circumventione cum sanctis episcopis gestum sit, ut non conscriptis canonibus, quo-

rum mentionem fecerunt, subscribere sunt coacti. — Accedit ad cumulum, quod 318 constitutionibus postpositis, 150, qui in synodicis canonibus non habentur, mentionem tantum fecisse noscuntur, quae dicunt ante 80 prope annos constituta fuisse. Si ergo his temporibus hoc beneficio usi sunt, quid nunc requirunt? si numquam usi sunt, quare requirunt? — *Bonifacius presbyter Sedis Apost. Vicarius dixit:* Beatissimus et Apostolicus Papa inter cetera hoc nobis mandavit: ‚Sanctorum quoque patrum constitutionem prolatam nulla patiamini temeritate violari vel imminui, servantes omnimodis personae nostrae in vobis, quos vice nostra transmisimus, dignitatem: ac si qui forte civitatum suarum splendore confisi aliquid sibi tentaverint usurpare, hac qua dignum est constantia retundatis.‘ *Iudices dixerunt:* Utraque pars canones proponat. *Paschasinus recitavit:* Trecentorum decem et octo ss. patrum canon sextus: ‚Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum. Teneat autem et Aegyptus etc.‘ (ut in C. Nicaeno I.) — *Secretarius consistorii ex dato codice ab Aëtio ADiacono CPno recitavit:* Regula sexta 318 ss. patrum: ‚Antiquae consvetudines teneant in Aegypto etc.‘ (ut in eodem C. Nicaeno.) Synodicum primi Concilii sub Nectario Eppo CPlis epporum 150: ‚Haec constituerunt Eppi, qui in CPlim Dei gratia convenerunt: — Eppum CPnum habere primatus honorem post Romanum Eppum, propterea quod sit nova Roma.‘ — *Iudices dixerunt:* Ex his, quae gesta sunt, et ab unoquoque deposita (ab Eppis subscribentibus:), perpendimus, omnem quidem primatum et honorem praecipuum secundum canones antiquae Romae Dei amantissimo AEppo conservari: oportere autem sanctissimum AEppum regiae CPlis novae Romae eisdem primatibus honoris et ipsum dignum esse, et potestatem habere ordinare metropolitas in Asiana et Pontica et Thracia dioecesibus secundum hunc modum, ut decreto facto, a clericis uniuscuiusque metropolis, et possessoribus, atque clarissimis viris, super haec et a reverentissimis eppis provinciae omnibus aut pluribus, eligatur is quem praefati metr. ecclesiae eppi dignum esse probaverint: referatur autem ab omnibus eligentibus sanctissimo AEppo regiae CPlis, ut penes eum sit, si velit, hunc qui electus est advenire et hic ordinari, an secundum eius permissionem in provincia episcopatus mereri decretum; uniuscuiusque tamen civitatis eppos ordinari ab omnibus aut pluribus provinciae

eppis, potestatem habente metropolitano secundum patrum regulas definitam, etiam nihil communicante in illorum ordinationibus sanctissimo AEppo regiae CPlis. Haec a nobis inspecta sunt. Quae autem sibi videantur, sanctum et universale Concilium docere dignetur. *Eppi clamaverunt:* Haec iusta sententia, haec omnes dicimus, haec omnibus placent, hoc iustum decretum. — *Lucentius Eppus Vicarius Sedis Ap. dixit*: Sedes Apostolica nobis praesentibus humiliari non debet, et ideo quaecunque in praeiudicium canonum vel regularum hesterna die gesta sunt nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus, ut circumduci iubeatis; sin alias, contradictio nostra his gestis inhaereat, ut noverimus, quid Apostolico viro universalis ecclesiae Papae referre debeamus, ut ipse aut de suae Sedis iniuria, aut de canonum eversione possit ferre sententiam. — *Iudices dixerunt:* Quod interlocuti sumus, tota Synodus approbavit.

322. *Relatio Synodi ad Leonem Papam.* Repletum est gaudio os nostrum, et lingva nostra exultatione. Hanc tamquam propriam nobis prophetiam gratia coaptavit, a quibus pietatis est restitutio confirmata. Quid enim fide sublimius ad laetandum? quid agnitione Dominica festivius ad coronas, quam nobis olim Salvator ipse tradidit ad salutem inquiens: ‚Euntes docete omnes gentes etc,‘ Quam veluti auro textam seriem ex veste Christi et praecepto legislatoris venientem usque ad nos, ipse servasti, vocis beati Petri omnibus constitutus interpres, eius fidei beatificationem super omnes adducens. Unde et nos quippe ut inchoatore bonorum te ad utilitatem utentes, ecclesiae filiis haereditatem sortemque veritatis ostendimus, non singulatim faciente in occulto unoquoque doctrinam, sed uno spiritu, una conspiratione atque concordia confessionem fidei declarantes; et eramus in communi corona gaudii, quasi in imperialibus coenis, deliciis spiritualibus epulantes, quas per tuas literas Christus praeparaverat invitatis, et super coelestem sponsum inter nos conversantem nos cernere putabamus. Si enim ubi sunt duo aut tres congregati in nomine eius, ibi se in medio eorum fore perhibuit, quantam circa 520 sacerdotes peculiaritatem potuit demonstrare, qui et patriae et labori suae confessionis notitiam praetulerunt? Quibus tu quidem sicut membris caput praeeras in his, qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam praeferens. — Et erat utique adversarius — qui Alexandrinorum

quondam pontifex fuit (Dioscorus); — qui contra ipsum, cui vineae custodia a Salvatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam sanctitatem, et excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus ecclesiae unire festinas. *(Post relationem uberiorem de damnatione Dioscori, sic habet epistola:)* — Haec sunt, quae tecum, qui spiritu praesens eras, et complacere tamquam fratribus deliberasti, et qui pene per tuorum vicariorum sapientiam videbaris a nobis, effecimus. Indicamus vero, quia et alia quaedam pro rerum ipsarum ordinata quicte, et propter eccl. statutorum definivimus firmitatem: scientes quia et vestra sanctitas addiscens et probatura et confirmatura est eadem. *(De ordinationibus epporum in provinciis Asiae, Ponti, Thraciae —)* — Confirmavimus et 150 ss. patrum regulam, — quae praecepit, post vestram sanctissimam et apostolicam Sedem honorem habere CPnam, quae secunda est ordinata; confidentes quia lucente apud vos apostolico radio et usque ad CPnorum ecclesiam consvete gubernando illum spargentes, hunc saepius expanditis, eo quod absque invidia consveveritis vestrorum bonorum participatione ditare domesticos. Quae igitur ad interemtionem quidem totius confusionis, confirmationem vero eccles. ordinationis definivimus, haec sicut propria et amica et ad decorem convenientissima dignare complecti sanctissime et beatissime pater. Qui enim locum vestrae sanctitatis obtinent, — his ita constitutis vehementer resistere tentaverunt, procul dubio a vestra providentia inchoari et hoc bonum volentes, ut sicut fidei sic bonae ordinationis vobis deputetur effectus. Nos enim curantes tam piissimos et Christi amicos Imperatores, qui super hoc delectantur, quam clarissimum Senatum, et totam Imperii civitatem, opportunum credidimus esse, honoris eius confirmationem ab universali concilio celebrari, et velut haec a tua sanctitate fuerint inchoata, eo quod fovere semper studeas, roboravimus, praesumentes, dum noverimus, quia quidquid rectitudinis fit a filiis, ad patres recurrit, facientes hoc sibi proprium. Rogamus igitur, et tuis decretis nostrum honora iudicium, et sicut nos Capiti in bonis adiecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis quod decet adimpleat. Sic enim et pii Principes placebunt, qui tamquam legem tuae sanctitatis iudicium firmaverunt, et CPna sedes suscipiet proemium, quae omne semper studium vobis ad causam

pietatis explevit, et semetipsam vobis ad concordiam eodem zelo coniunxit. —

323. *Rescriptum Leonis Papae.* Leo Eppus sanctae Synodo apud Chalcedonem habitae. Omnem quidem fraternitatem vestram nosse non ambigo, definitiones sanctae synodi, quae ob confirmationem fidei in Chalcedonensi civitate celebrata est, toto corde me fuisse complexum: quia nulla sinebat ratio, ut qui unitatem catholicae fidei dolebam ab haereticis fuisse turbatam, non exultanter in integrum rediisse gauderem. Hoc autem non solum ex ipso beatissimae consensionis affectu, sed etiam ex epistolis meis, quas post reditum meorum ad CPnae urbis antistitem dedi, potuissetis agnoscere, si vobis responsionem Sedis Apostolicae manifestare voluisset. Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum quae in Synodo Chalcedonensi per unanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem: haec ad omnes fratres et coëpiscopos nostros, qui praedicto concilio interfuerunt, scripta direxi, quae gloriosissimus et clementissimus Princeps, sicut poposci, in notitiam vestram mittere pro catholicae fidei amore dignabitur; ut et fraterna universitas, et omnium fidelium corda cognoscant, me non solum per fratres qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium propriam vobiscum iniisse sententiam, in sola videlicet fidei causa, quod saepe dicendum est) propter quam Generale Concilium et ex praecepto Christianorum Principum, et ex consensu Apostolicae Sedis placuit congregari: damnatis haereticis, qui si corrigi voluissent, nulla penitus resideret de vera D. N. I. C. incarnatione dubitatio. Unde si quis unquam ausus fuerit vel Nestorii perfidiam tueri, vel Eutychetis ac Dioscori impium dogma defendere, a catholicorum communione resecetur, nec habeat eius corporis participationem, cuius abnegat veritatem, fratres carissimi. De custodiendis quoque ss. patrum statutis, quae in Synodo Nicaena inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestrae sanctitatis admoneo, ut iura ecclesiarum, sicut ab illis 318 patribus divinitus inspiratis sunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quaerat augmentum. Quantumlibet enim extortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, et appetitus suos conciliorum aestimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quidquid a praedictorum patrum canonibus discreparit.

Quorum regulis Apostolica Sedes quam reverenter utatur, scriptorum meorum, quibus CPni Antistitis conatus repuli, poterit sanctitas vestra lectione cognoscere, et me, auxiliante Domino nostro, et catholicae fidei et paternarum traditionum esse custodem. — **Harduini** *Conc.* II. 2. 47. 67. ss. 310. 343. 382. 623. 655. 687.

324—326.

Petrus Chrysologus, et Petrum Apostolum tamquam principem pastorem Ecclesiae exhibet, et illum in Sede Romana semper vivere, huiusque decisis obtemperandum esse pronunciat.

324. MON. *Serm. 6.* — Bellandi fremitum pastorali lenitate mitigare convenit, ut gentes tam mitis gratia salvaret, quas diu peremerat feritas naturalis. Quod autem pastoris bonus esset reditus cum ad terras veniret Christus, clamavit ipse hodie: ‚Ego sum pastor bonus, pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis.‘ Hinc est, quod adiutores, quod socios ad curam totius orbis ipse magister inquirit, dicendo: ‚Iubilate Deo omnis terra.‘ Hinc est, *quod oves suas Petro vice sua, ut pasceret, ad coelum remeaturus, commendat: Petre, inquit, amas me? Pasce oves meas.* —

325. *Serm. 154.* — Quia longum est ire per singula, sicut *Petrus a petra nomen adeptus est, quia primus meruit Ecclesiam fidei firmitate fundare:* ita Stephanus vocatus est a corona, quia primus meruit pro Christi nomine subire conflictum. — *Petrus apostolici chori vetustum teneat principatum,* aperiat intrantibus regnum coelorum, reos potestate vinciat, poenitentes clementer absolvat. —

326. *Epist. ad Eutychetem presbyterum.* Tristis legi tristes literas tuas, — et scripta moesta moerore debito percurri: quia sicut nos pax Ecclesiarum, sacerdotum concordia, tranquillitas plebis, gaudere facit gaudio coelesti, ita nos affligit et deiicit fraterna dissensio, praesertim cum talibus oriatur ex

causis. Triginta annis humanae leges humanas adimunt quaestiones, et Christi generatio, quae divina lege scribitur inenarrabilis, post tot secula disputatione temeraria ventilatur *). Quid Origenes principiorum scrutator incurrerit, quomodo Nestorius lapsus sit disputans de naturis, non latet prudentiam tuam. Magi Iesum in cunabulis Deum mysticis muneribus confitentur, et sacerdotes, quis sit, qui virginali partu de Spiritu S. natus est, dolenda interrogatione disquirunt; cum vagitum daret Iesus in cunis, ‚Gloria in excelsis Deo' coelestis clamat exercitus, et modo, quando in nomine Iesu omne genu flectitur, coelestium, terrestrium, et infernorum: originis eius quaestio commovetur? Nos, frater, cum Apostolo dicimus: ‚Etsi novimus Iesum secundum carnem, sed nunc iam non novimus.' Nec possumus iniuriose replicare, qui iubemur honorem dare, et timorem reddere, et expectare, non discutere, quem iudicem confitemur. Haec breviter respondi literis tuis, plura rescripturus, si ad me frater et coepiscopus noster Flavianus aliqua de hac causa scripta misisset. In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, *ut his, quae a beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam beatus Petrus, qui in propria sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.* Nos enim pro studio pacis et fidei *extra consensum Romanae civitatis Eppi causas fidei audire non possumus.* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 52.

327.

Valentiniani III Caesaris decretum de Primatu Eccl. Romanae. 445.

MON. — Quum igitur *Sedis Apostolicae primatum S. Petri meritum, qui princeps est episcopalis coronae, et Romanae di-*

---

*) Haec eadem sententia a Petro Chrysologo in Serm. 145. sic reddita invenitur: ‚Humanae leges intra 30 annos litigiosas omnes interimunt quaestiones: et Christus circa 500 annos nativitatis suae causas praestat, ortus sui lites patitur, status sui sustinet quaestiones.'

gnitas civitatis, sacrae etiam Synodi (Sardicensis) *firmavit auctoritas*: ne quid praeter auctoritatem Sedis istius illicita praesumtio attentare nitatur. — Tunc enim demum Ecclesiarum pax ubique servabitur, si Rectorem suum agnoscat universitas. — Sed hoc illis omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit vel sanxerit Apost. Sedis auctoritas, ita, ut quisquis Epporum ad iudicium Romani Antistitis evocatus venire neglexerit, per moderatorem eiusdem provinciae adesse cogatur, per omnia servatis, quae divi parentes nostri Romanae Ecclesiae detulerunt. — **Will** *acta et scripta de controv. Eccl. Gr. et Lat.* Lipsiae. 1861. p. 6.

328—331.

Maximus Taurinensis, A. 465. mortuus, docet: super Petro tamquam immobili saxo totum Christi opus erigi ac sustentari, iisque, quae Petrus in Ecclesia plantat, irrigationibus coelestibus crescere, et ad maturitatem pervenire.

328. MON. *Homil. 54. de Petro Apostolo.* — *Petrus* — tamquam bonus pastor tuendum gregem accepit, ut qui sibi ante infirmus fuerat, *fieret omnibus firmamentum,* et qui ipse interrogationis tentatione nutaverat, *ceteros fidei stabilitate fundaret.* Denique pro soliditate devotionis *Ecclesiarum petra* dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. *Petra enim dicitur, eo, quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, et tamquam saxum immobile totius operis christiani compagem molemque contineat.* —

329. *Homil. 68.* — *Petrus* confitendo Christum Dominum vivi Dei esse filium, *validissima invictaque nobis credendi fundamenta constituit.* — Hoc illi confessio dedit, ut ante claves regni coelorum acciperet, quam coeli ianuas introiret. — Hic est Petrus, cui Christus Dominus communionem sui nominis libenter indulsit. — Hic est Petrus, *cui Christus ascensurus ad Patrem pascendas oviculas suas agnosque commendat*, ut quos ille pietatis miseratione re-

demerat, hic *fidei suae virtute servaret.* — Hi sunt ergo beatissimi Petrus et Paulus, qui sacramentum coelestis regni uno spiritu praedicantes, sub unius passione diei doctrinam suam pio sangvine et morte fortissima consecrarunt; qui etiam tamquam Ecclesiarum omnium principes facti dispensatione coelesti *Romam* petentes, et sacratissima sua corpore in illius urbis arce reconderent, quae totius orbis obtinuerat principatum, *quatenus potentiam virtutis suae Christus ostendens, ubi mundus caput habebat imperii, ibi regni sui principes collocaret.*

330. *Hom. 70.* — Quantum meriti apud Deum suum *Petrus* erat, ut ei post naviculae parvae remigium *totius Ecclesiae gubernacula* traderentur? — cuius tanta a Deo est approbata iustitia, *tantaque ei potestas attributa iudicandi, ut in arbitrio eius poneretur coeleste iudicium?* —

331. *Serm. 94.* — Cum Dominus Iesus ab irruentibus turbis semotus in terra esse non posset, aspiciens in mari duas naviculas, unam navem *Petri* omni festinatione conscendit, — atque exinde coepit de navicula Petri ad homines doctrinae suae verba profundere. — Sed videamus, quae sit ista navicula Petri, quam ad docendum de duabus magis opportunam Dominus iudicavit. — Petri navem elegit, — *fidelem assumit Ecclesiam.* — Hanc solam Ecclesiae navem ascendit Dominus, *in qua Petrus magister est constitutus*, dicente Domino: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 57.

332—337.

Hilarius PP. A. 461. ss. Tarraconensibus et Arelatensibus Praesulibus, ad Sedem Apostolicam confugientibus plena cum auctoritate rescribit.

332. MON. *Epist. Tarraconensium Epporum ad Papam.* Etiamsi nulla dictaret *necessitas ecclesiasticae disciplinae,* expetendum revera nobis fuerat illud *privilegium Sedis vestrae,* quo susceptis regni clavibus post resurrectionem Salvatoris per totum orbem beatissimi *Petri* singularis praedicatio universorum

illuminationi prospexit, *cuius vicarii principatus sicut eminet*, ita metuendus est ab omnibus et amandus. Proinde nos Deum in vobis penitus adorantes, cui sine querela servitis, *ad fidem recurrimus apostolico ore laudatam, inde responsa quaerentes, unde nihil errore, nihil praesumtione, sed pontificali totum deliberatione praecipitur.* Cum haec ita se habeant, est tamen inter nos falsus frater, cuius praesumtionem sicut diutius tacere non licuit, ita et loqui futuri iudicii necessitas imperavit. *(Proponitur factum ‚Silvani' Eppi Calagurae illicite ordinantis, tum concluditur:)* — Quia his praesumtionibus, quae unitatem dividunt, quae schisma faciunt, velociter debet occurri: quaesumus sedem vestram, ut quid super hac parte observare velitis, apostolicis affatibus instruamur. — Erit profecto vester triumphus, si apostolatus vestri temporibus *quod s. Petri Cathedra obtinet, catholica audiat Ecclesia*, si novella zizaniorum semina fuerint exstirpata. —

333. *Altera eorumdem litera ad PP.* Quam curam Apostolatus vester de provinciarum suarum sacerdotibus gerat, filio nostro illustri Vincentio provinciae nostrae referente cognovimus, cuius impulsu votum nostrum in ausum scribendi prona devotione surrexit. — Eppus Barcinonensium civitatis s. Nundinarius sortem explevit conditionis humanae. Hic Eppo Irenaeo, quem ipse antea in dioecesi sua nobis volentibus constituerat, derelinquens ei, quod habere potuit paupertas, supremae voluntatis arbitrio in locum suum ut substitueretur optavit. — Nos — optimum duximus, ut tanto sacerdoti — non minoris meriti substitueretur antistes. — Ergo suppliciter precamur apostolatum vestrum, ut humilitatis nostrae decretum, quod iuste a nobis videtur factum, vestra auctoritate firmetis. —

334. *Hilarii PP. responsum.* Postquam literas vestrae dilectionis accepimus, quibus praesumtiones Silvani Eppi Calagurensium Ecclesiae retundi petistis, et rursum Barcinonensium quaeritis nimis illicita vota firmari: honoratorum et possessorum Turiassonentium etc. literas nobis constat ingestas, per quas id, quod de Silvano querela vestra depromserat, excusabant. Sed reprehensione iustissima eorum pariter ista allegatio non carebat: quia praeter conscientiam metropolitani fratris et coepiscopi nostri Ascanii nonnullis civitatibus ordinatos claruit sacerdotes. Unde quoniam quidquid ab alterutra parte est indica-

tum, omni videmus perversitate confusum, temporum necessitate perspecta, hac ratione decernimus ad veniam pertinere quod gestum est, ut nihil deinceps contra praecepta beati apostoli, nihil contra Nicaenorum canonum constitutum tentetur. — *(Sequuntur capitula sive decreta Papae de ordinationibus Eppor.)*

335. *Epist. ad Ascanium Ep. Tarracon.* Divinae circa nos gratiae memores esse debemus, qui nos per dignationis suae misericordiam ob hoc *ad fastigium sacerdotale* provexit, ut mandatis ipsius inhaerentes, et *in quadam sacerdotii eius specula constituti prohibeamus illicita, et sequenda doceamus.* Unde directis per Traianum subdiaconum nostrum literis admonemus, ut quae male sunt facta, corrigantur. — Tuae sollicitudinis est, frater carissime, omnia debita tibi auctoritate tueri, et illicitis non modo non praebere assensum, sed etiam cuncta, quae contra regulam facta repereris, coërcere. —

336. *Epist. ad Leontium Ep. Arelatensem.* Quantum *reverentiae* in Spiritu Dei, qui subditos sibi inhabitat sacerdotes, *beato Petro apostolo et Sedi ipsius deferatur, omnibus arbitror esse compertum, quibus paternarum traditionum incorrupta custodia est.* Quos cum volumus de nostrae ordinationis primordiis gratulari, opera, quae in nos divinae pietatis dignatio ostendit, sanctitati tuae duximus indicanda, etc. —

337. *Responsum Leontii Eppi ad praeviam epistolam.* Quod Leonem sanctissimum praedecessorem tuum mors abstulerit contra haereses invigilantem, et lolium in agro Domini, heu! nimis fruticans eradicantem, dolemus: quod de tua sanctitate reparaverit, gratulamur. Nam gaudet filius de honore matris: et cum *Ecclesia Romana sit omnium mater*, fuit nobis gaudendum, quod in tanta consternatione rerum et infirmitate seculorum super eam te erexerit, ut iudices populos in aequitate, et gentes in terra dirigas, etc. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 58. p. 14. ss.

338—340.

Simplicius PP. A. 467. ss. Sedi Apostolicae totius ovilis curam iniunctam haberi declarat, et pro suprema sua potestate Eppum Antiochenum ob errores ab eo sparsos deponit.

338. MON. *Epist. ad Zenonem Eppum Hispalensem.* Plurimorum relatu comperimus dilectionem tuam fervore Spiritus S. ita te Ecclesiae gubernatorem existere, ut naufragii detrimenta Deo auctore non sentiat. Talibus idcirco gloriantes indiciis, congruum duximus *vicaria Sedis nostrae te auctoritate fulciri*, cuius vigore munitus, apostolicae institutionis decreta vel sanctorum terminos patrum nullo modo transcendi permittas. —

339. *Ep. ad Zenonem Imperatorem.* Cuperem quidem, quantum ad meae spectat devotionis arbitrium, qua principes christianos iugi veneratione suscipio, debita pietati vestrae officia continuis deferre colloquiis. Sed cum ad huius intentionis augmentum etiam sacrae cura religionis accedat, ratio mihi negotii potioris incumbit, ut simul honorificentiam vobis prona mente persolvam, et causas fideliter insinuem, quia me ad utramque vel dicata trahit clementiae vestrae semper affectio, vel *respectus ordinis mei et apostolici moderaminis sollicitudo* compellit. Functus igitur, gloriosissime ac clementissime fili, imperator auguste, munere salutandi, quae in Ecclesiis Orientis per haereticorum latrocinia recidiva rursus dicuntur scandala concitari, nec debeo silere, nec possum. *(Recenset errores partim Alexandriae partim CPli commissos, Caesaremque ad relegenda Leonis PP. decreta commonet, et adiicit:)* — Perstat in successoribus suis (Leonis PP.) haec et eadem apostolicae norma doctrinae, *cui Dominus totius curam ovilis iniunxit,* cui se usque ad finem seculi minime defuturum, cui portas inferi numquam praevalituras esse promisit, cuius sententia quae ligarentur in terris, solvi testatus est non posse nec in coelo, Quapropter clementiam vestram — precor

atque obsecro, ut — nefandae praesumtionis operarios catholico pectore respuentes regia censeatis potestate cohiberi. —

340. *Ep. ad Petr. Fullonem Eppum Antioch. de eiusdem depositione.* Quoniam pestiferis doctrinis imbutus et impietate verborum, non curasti sequi praeordinatos s. Patres, qui sedem beatae memoriae Ignatii gloriosi martyris ordinaverunt, qua etiam cum sis indignus, nescio quemadmodum adeptus fueris principatum, et sceleribus tuis profanis impiisque dogmatibus inferre putaveris Ecclesiae Catholicae novitatem, ut non propter nos Christum crucifixum dicas, sed passionem impassibili Deo iniquissime intulisti, et immortali spiritui mortem apponere praesumsisti. — Dicimus ergo tibi — quoniam dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quam loqui aequitatem. Dilexisti omnia verba praecipitationis et lingvam dolosam: propterea destruet te Deus in finem, non solum ab Antiochenae Ecclesiae sede, sed etiam ab omni civitate. Etenim sit in te haec fixa damnatio, a me et ab his, qui sub me constituti episcopales sedes gubernare noscuntur, et Acacio CPnae Ecclesiae pastore, et venerabilibus eppis eius iuri subiectis, tamquam et ipsis minime consentientibus tuis commentis. Sic aliquando siquidem dixisti: Trinitatem propter nos crucifixam et non Christum; aliquando vero immortalem spiritum, Manichaei secutus errorem, aliquando autem haec fugiens, nostrorum sermonum pignoribus increpatus, Christum post immortalem spiritum passionem sustinuisse dixisti, sicut Paulus Samosatenus et Nestorius unum filium dividentes in dualitate filiorum; et cum hic putasti non immorandum, ad peiora venisti, ut hymni, quos Cherubim cum tremore Trinitati incessanter emittunt, ad Trinitatem glorificandam non referantur, sed ut totus hymnus ad Filium dedicatur, confirmare volens sententiam velut cancer serpentem, quam adversus simplices extulisti, et hinc omnium haeresum laqueis praecipitatus es, a veritate declinando, nec praedicando propter nos Christum crucifixum Unigenitum Dei Filium, qui est in medio Patris et S. Spiritus, qui glorificatur. Quid enim hoc erit damnabilius, quam cum a vobis Pater et Spiritus S. fiat inglorius, et calumnia Seraphim inferatur, quam cum non Trinitatem glorificare credatur cum dicunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus, sed solam personam? Quae infernalis haeresis ita crudeliter ut vos inverecunda fuit? Verumtamen adhuc in ista discurrentes novitate usque ad funda-

menta blasphemiarum Dei pertingitis, Filium Patrem et Spiritum S. dicentes, Sabellium sectamini, et confusionem inducitis, et Trinitatis confessionem pariter abnegatis, in qua baptisati sumus et credimus et fatemur. Quis ergo non lugeat talia dicentes de sancta et inviolabili Trinitate? Hoc mihi valde convenit allegare, et planctum sufficienter effundere, cum in hoc simplicium animae fuerint captivatae, quae tunc rem impiam velut piam divulgaverunt: *quos etiam iudicamus extraneos ab orthodoxa fide, Ecclesiaque Catholica, et communione gloriosi nostri Principis Petri, qui claves regni coelorum a nostro Salvatore percepit.* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 58. p. 35. ss. — **Bullarium** *edit. Taurin. I. 89.*

---

341. 342.

Felix III PP. A. 483. ss. in Acacium Eppum CPnum, plurium criminum reum, depositionis sententiam pronunciat.

341. MON. *Epist. ad Acacium Ep. CPnum.* Postquam sanctae memoriae decessore meo Papa Simplicio de vitae cursu superna praeceptione migrante, ministerii quod regebat ad meae humilitatis officium gubernacula pervenerunt, in diversas generalis Ecclesiae curas, *quas ubique terrarum cunctis populis christianis summi Pastoris voce delegante beatissimus Petrus apostolus pervigili moderatione dispensat,* continuo me sollicitudo maxima, quae et praedecessorem meum incessanter urgebat, tam Alexandrinae urbis, quam status fidei totius Orientalis regionis excepit. *(Uberius prosequitur negotium motuum haereticorum in Oriente, et Acacio CPno Praesuli vitio vertit, quod pro fidei catholicae defensione parum vel nil egerit)* — Ausculta vocem Domini praemonentis: ‚Qui mecum non est, contra me est, et qui mecum non colligit, dispergit.‘ Et diligenter attende, nihil aliud esse non procurare quae Christi sunt, nisi se palam profiteri eius inimicum. Non desperemus facere veram Salvatoris nostri sententiam, qua se usque ad finem seculi Ecclesiae suae non defuturum esse pollicitus est, nec ab inferi portis eam dixit esse superandam, et quae omnia *per apostolicae scita doc-*

trinae ligarentur in terris, nec in coelestibus memoravit absolvi. Neque putemus, quod, quibuslibet sit vallata periculis, unquam pondus vigoris sui *vel censura beatissimi Petri,* vel auctoritas universalis ammittat Ecclesiae: quae quanto magis cavet ne mundi prosperitatibus intepescat, tanto non frangitur, sed potius erudita divinitus crescit adversis. —

342. *Ep. ad eundem.* Multarum transgressionum reperiris obnoxius, et in venerabilis concilii Nicaeni contumelia saepe versatus alienarum tibi provinciarum iura temere vindicasti. Haereticos et pervasores, atque ab haereticis ordinatos, et quos ipse damnaveras, atque ab Apostolica instituisti sede damnari, non modo communioni tuae recipiendos putasti, verum etiam aliis Ecclesiis, quod nec de catholicis fieri poterat, praesidere fecisti, atque etiam honoribus, quos non merebantur, auxisti. — Et quasi haec minora tibi viderentur, in ipsam doctrinae apostolicae veritatem ausus superbiae tuae tetendisti. — Habe ergo cum his, quos libenter amplecteris, portionem ex sententia praesenti, quam per tuae tibi direximus ecclesiae defensorem: sacerdotali honore et communione catholica nec non etiam a fidelium numero segregatus, sublatum tibi nomen et munus ministerii sacerdotalis agnosce, S. Spiritus iudicio, et *apostolica per nos auctoritate damnatus,* numquamque anathematis vinculis exuendus. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 58. p. 893. 921.

343—353.

Gelasius I PP. A. 492. ss. singulari fervore et auctoritate in pluribus epistolis perstringit obiectiones adversus damnationem Acacii CPni propositas, atque enunciat: e mandato Domini quemque teneri ad purum illibatumque Petri in Sede Apost. semper viventis consortium.

343. MON. *Epist. ad Euphemium Eppum CPnum.* Quod plene cupimus, atque sincera fidei communionisque catholicae

redintegratione firmari, asserit tua dilectio, quod alteri non sufficiat solus auditus, nisi per literas spectaverit significantiam provocantem de his quae circa nos dispensatio divina perficit, ut sic in secundis vicem salutationis impenderem. Non arbitramur vel dilectionem tuam vel aliquem sic hoc sperare potuisse, ut putaret nos vel aliquempiam potiorem, quae sunt gesta referentes debuisse responsa promereri, quia nimis iudicaretur arrogans, si de prima sede taliter existimasset. Quodsi, ut magis opinamur, quasi sociis, quibus praeesse Christi munere delegatum est, Apostolicam Sedem institutum sibi noviter sacerdotem praeeuntibus oportuisse dixisti literis indicare: fuit quondam ecclesiastica vetus haec regula apud patres nostros, quibus una catholica apostolicaque communio ab omni praevaricatorum libera pollutione constabat. Nunc autem cum societatem praeferre malitis extraneam, quam ad *beati Petri purum redire illibatumque consortium:* quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? quomodo dispositionis apostolicae antiqua foedera praebeamus hominibus communionis extraneae? — *(Fusius proponit necessitatem reiiciendi eos, quos Sedes Apostolica damnavit et anathematisavit, signanter Acacium Ep. CPnum, tum concludit:)* Veniemus, frater Euphemi, sine dubitatione, veniemus ad illud pavendum tribunal Christi, circumstantibus illis, a quibus fides ipsa defensa est. Non illic inficiationibus, non dilationibus, non illusionibus est agendum, sed manifestissime comprobandum, *utrum beati Petri gloriosa confessio cuiquam eorum quos regendos accepit, quidquam subtraxerit ad salutem, an eam* auscultare nolens etiam cum suo periculo rebellis extiterit obstinata pernicies? —

344. *Ep. ad Laurentium Ep. Thessalon.* — Quia nos admones dilectione fraterna, ut velut medicinam quamdam fidei Eppis per Illyricum vel aliis ministrare debeamus, quamquam hoc copiosissime factum sit a beatae recordationis praedecessore nostro; et quia *mos est Romanae Ecclesiae sacerdoti noviter constituto formam fidei suae ad sanctas Ecclesias praerogare:* haec eadem compendiosa nimis brevitate studui renovare, ut sub qua fide vivendum sit secundum statuta patrum, in hac nostra epistola propter brevitatem sine fastidio lector agnoscat. —

345. *Eppi Dardaniae Gelasio Papae plenam promittunt*

obedientiam. Saluberrima apostolatus vestri praecepta Tryphone viro religioso filio nostro deferente qua oportet devotione suscepimus, et maximas Deo Omnipotenti et beatitudini vestrae referimus gratias, *quod nos pastorali admonitione et evangelica doctrina visitare dignatus es,* domine sancte apostolice et beatissime pater patrum. Desiderii enim et voti nostri est *iussionibus vestris in omnibus obedire, et quemadmodum a patribus nostris accepimus, Sedis Apostolicae,* quae vitae et meritis vestris delata est, *praecepta intemerate servare,* atque religionem orthodoxam, cuius estis praedicatores, fideli et inculpata devotione — custodire. Eutychis enim vel Petri, Acaciique et omnium sectatorum eius consortium velut quaedam pestifera contagia, ante vestram quoque vitavimus iussionem, et multo magis nunc post admonitionem Sedis Apostolicae ab eadem pollutione necesse est nos abstinere; — quoniam, ut dictum est, patrum in omnibus custodientes praecepta, et inviolabilia ss. canonum instituta sectantes, *apostolicae et singulari illi Sedi vestrae communi fide et devotione parere contendimus.* —

346. *Commonitorium Papae ad Faustum.* Ego quoque mente praecepi, Graecos in sua obstinatione mansuros, nec cui velut insperatum videri potest, quod est ante praecognitum. — Quapropter non iam propter religionis causas student dispositionibus publicis obviare, sed potius per occasionem legationis regiae catholicam fidem moliuntur evertere. — Veniam sibi dari debere proponunt. Legatur, ex quo est religio christiana, vel certe detur exemplum, in Ecclesia Dei a quibuslibet pontificibus, ab ipsis apostolis, ab ipso denique Salvatore veniam nisi corrigentibus se fuisse concessam. — Mortuos suscitasse legimus Christum, in errore mortuos absolvisse non legimus. Et qui certe hoc faciendi solus habuit potestatem, beato Petro principaliter mandat apostolo: Quae ligaveris etc. Super terram, inquit, nam in hac ligatione defunctum nusquam dixit absolvendum. — Euphemium vero miror, si ignorantiam suam ipse non perspicit, qui dicit Acacium ab uno non potuisse damnari. Itane non perspicit, secundum formam Synodi Chalcedonensis Acacium fuisse damnatum? nec novit eam, aut se nosse dissimulat, in qua utique per numerosam sententiam sacerdotum erroris huius auctores fuisse damnatos; sicut in unaquaque haeresi a principio christianae religionis et factum fuisse et fieri

manifesta rerum ratione monstratur, decessoremque meum executorem fuisse veteris constituti, non novae constitutionis auctorem? Quod non solum Praesuli Apostolico facere licet, sed cuicunque pontifici, ut quoslibet, et quemlibet locum secundum regulam haereseos ipsius ante damnatae a catholica communione discernant. — Nobis opponunt canones, dum nesciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipso venire se produnt, quod *primae sedi sana rectaque svadenti parere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiae ad huius Sedis examen voluere deferri; ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius unquam praeceperunt iudicio iudicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cuius potius decreta sequenda mandarunt.* — Nobis ausi sunt facere canonum mentionem, contra quos semper ambitionibus illicitis fecisse monstrantur. — Secundum canones concessam Sedi Apostolicae potestatem conantur eripere, et sibimet eam contra canones usurpare contendunt. — Quaero ab his, iudicium, quod praetendunt, ubinam possit agitari? an apud ipsos, ut iidem sint inimici, et testes, et iudices? Sed tali iudicio nec humana debent committi negotia, nedum divinae legis integritas. Si quantum ad religionem pertinet, nonnisi Apost. Sedi iuxta canones debetur summa iudicii totius; si quantum ad seculi potestatem, illa a pontificibus et praecipue a beati Petri vicario debet cognosci: nec sibi hoc quisquam potentissimus seculi, qui tamen christianus est, vindicare praesumit, nisi religionem forsitan persequens. Quid tamen dicerent, si non chartis suis in omnibus vincerentur? Ineptias itaque suas sibi servent, nisi resipiscant, potius cogitantes Christi vocem non esse superfluam, quae confessioni beati Petri apostoli inferni portas numquam praevalituras asseruit. —

347. *Ep. ad Honorium Ep. Dalmatiae.* Licet inter varias temporum difficultates continuis occupationibus implicati vix respirare valeamus: *pro Sedis* tamen *Apostolicae moderamine totius ovilis Dominici curam sine cessatione tractantes, quae beato Petro Salvatoris ipsius nostri voce delegata est.*, Et tu conversus confirma fratres tuos, — Petre amas me? Pasce oves meas', dissimulare nec possumus nec debemus, quae nostram sollicitudinem forma perstringat. — Nunciatum nobis est, in

regionibus Dalmatiarum quosdam recidiva Pelagianae pestis zizania seminasse. — An neseitis hanc haeresim ab Apost. Sede dudum per beatae memoriae Innocentium, Zosimum, Bonifacium, Coelestinum, Sixtum, Leonem continuis et incessabilibus sententiis fuisse prostratam? —

348. *Ep. ad Eppos per Picenum.* (Post confutata praecipua doctrinae Pelagianae capita) — Sufficiat hactenus fuisse haec commissa, et ut placetur Deus humanis rebus sollicitius divina curentur. Nusquam loci prorsus inveniatur praefatae pestis assertor, nec accessum Ecclesiae vel participationem communionis catholicae inveniat, qui haereticorum mavult subsequi nefaria professione consortium. Contra canonum constituta nullus ad ecclesiasticum promoveatur officium: — nec excusationis de cetero relinquetur occasio, si post praecepta praesentia, quae per Romulum diaconum — duximus destinanda, quisquis super his omnibus aut contemtor aut negligens deprehendetur antistes. Sicut enim *ad Sedis Apost. moderanima pertinet, cunctis sollicitudinem debitam ministrare congruenter Ecclesiis,* ita necesse est, ut in contumaces et desides *traditam sibi divinitus non dissimulet potestatem.*

349. *Ep. ad Eppos Lucaniae.* Necessaria rerum dispensatione constringimur, et Apostolicae sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare, et retro praesulum decessorumque nostrorum praecepta metiri, ut quae praesentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus. — Cum decreta venerabilium sanctionum nos quoque magnopere custodire nitamur, ac sine eorum dispendio etiam illa, quae pro alicuius utilitatis compendio fortasse videantur laxanda, credamus; cumque nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nihil licere, et cum *Sedes Apostolica superior his omnibus,* favente Domino, quae paternis canonibus sunt praefixa, pio devotoque studeat tenere proposito: satis indignum est, quemquam pontificum vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare, quam beati Petri sedem et sequi videat et docere, satisque conveniens sit ut totum corpus Ecclesiae in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, *ubi Dominus Ecclesiae totius posuit principatum.* —

350. *Ep. ad Eppos Dardaniae.* Valde mirati sumus, quod vestra dilectio quasi novam veluti difficilem quaestionem, et adhuc tamquam inauditum quidpiam nosse desiderat, quod Eutychianae pestilentiae communicatores, non habentes quod pro suae perditionis obstinatione respondeant, frequenti iam ratione convicti, misera contentione submurmurant, non quia sit alicuius momenti quod garriunt, sed quia non inveniunt penitus quid loquantur. — Ideo Acacium (Eppum CPnum) non putare iure damnatum, quod non speciali synodo videatur fuisse dejectus, et insuper dementiam suae vanitatis accumulant, pueriliter adiicientes: ‚praecipue pontificem regiae civitatis.‘ Quapropter stultitiam respuentes inanium querelarum, percurrere vos oportet ab ipsis beatis Apostolis, et considerare prudenter, quoniam patres nostri catholici doctique pontifices in unāquaque haeresi — quidquid pro veritate, pro communione catholica atque apostolica secundum scripturarum tramitem praedicationemque maiorum facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps firmumque constare, nec in eadem causa denuo quae praefixa fuerant retractari qualibet recenti praesumtione permiserunt; — sed auctore cuiuslibet insaniae ac pariter errore damnato, sufficere iudicarunt, ut quisquis aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus. — Quibus convenienter ex paterna traditione perpensis, confidimus, quod nullus iam veraciter christianus ignoret, uniuscuiusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiae probavit assensus, non aliquam magis exequi *Sedem* prae ceteris oportere, quam *primam, quae et unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum Ecclesia nihilominus subsequente et tenuit semper et retinet.* Haec dum Acacium certis comperisset indiciis a communione catholica deviasse, — ipsum a sua communione competenter submovit. *(Fuse evolvit Pontifex seriem damnationis Acacii, et concludit :)* — Haec ad instructionem vestrae dilectionis satis abundeque sufficere iudicamus, quamvis eadem latius, si Dominus concesserit facultatem, studeamus exponere: quatenus et fidelium quisque cognoscat, nihil Apost.

Sedem praepropere censuisse, et non habere quod iuste possit opponere perversa doceatur improbitas. *) —

351. *Tomus Gelasii PP. de anathematis vinculo.* Ne forte, quod solent, dicant, quod si Synodus Chalcedonensis admittitur, omnia constare debeant, quae illic videntur esse depromta —: cognoscant igitur, illud secundum Sripturas S. traditionemque maiorum, secundum canones regulasque Ecclesiae pro fide communi et veritate catholica et apostolica, *pro qua hanc fieri Sedes Apostolica delegavit, factamque firmavit*, a tota Ecclesia indubitanter admitti; alia autem, quae per incompetentem praesumtionem illic prolata sunt, vel potius ventilata, quae Sedes Apostolica gerenda nullatenus delegavit, mox a Vicariis Sedis Apost. contradicta manifestum est, quae Sedes Apostolica, etiam petente Marciano principe, nullatenus approbavit, quae Praesul Ecclesiae CPnae tunc Anatolius nec se praesumsisse professus est, et in Apost. Sedis antistitis non negavit posita potestate; quae ideo, sicut dictum est, Sedes Apost. non recepit, quia quae privilegiis universalis Ecclesiae contraria probantur, nulla ratione sustinet. *(Sequitur fusior deductio eius, quam iusta fuerit Sedis Apostolicae agendi ratio in causa Eppi CPni Acacii.)* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 59. p. 13. 26. 47. 61. 102.

352. *Epistola ad Eppos Syriae, qui haeresim monophysiticam amplexi erant.* — Quia sacrorum monachorum egregius manipulus ad nos delatus, communionis dexteram ab Apostolica cathedra accepit, propterea, quod communicare se cum Eutychianis sive Manichaeis negarunt, sed cunctis potius sacrorum canonum definitionibus consentiebant, et damnatos quosvis haereticos repudiabant, et Chalcedonensis synodi, sanctique et apostolici Leonis Papae per omnia confessionem tenebant : necesse est dici a nobis vestrae sanctae Synodo : si delibatio sancta est, et massa; et si radix sancta, et rami. Namque ex fructu arbor cognoscitur. *Venite* et vos, o honorandissimi, *ad eam, quam vos ipsi sanctam praedicastis, cathedram; accurrite ad immobilem Petri petram; connumerate vos choro apostolico;* confirmate victoriae vestrae coronas; praeoccupate paratam vobis reveren-

*) Promissum implevit Pontifex per literas ad Eppos Orientales directas, in quibus argumentum idem, quippe excommunicationis Acacii Eppi CPni, uberrime pertractavit.

tiam apud eos, *qui fidem semper confirmare soliti fuerunt.* Utique narrarunt nobis Ioannes ac Sergius, qui a vobis ad nos venerunt, *fidei Romanorum invictum robur*, amorem erga filios, Ecclesiarum sollicitudinem. *(Fusius refutat haereticorum argumenta, et Concilii Chalcedonensis fidem evolvit ac confirmat.)* — **Maii** *Nova Patrum Bibl.* II. 654.

353. *Decretalis Gelasii PP. de ss. Libris in Syn. Romana a. 495.* Post propheticas et evangelicas atque apostolicas Scripturas, quibus Ecclesia Catholica per gratiam Dei fundata est, etiam illud intimandum putavimus, quod quamvis universae per orbem diffusae Catholicae Ecclesiae unus thalamus Christi sit, *sancta* tamen *Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis ceteris Ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus, inquiens,* etc. Cui data est etiam societas beatissimi Pauli Apostoli. — *Est ergo prima Petri Ap. Sedes Romana Ecclesia non habeus maculam, nec rugam, nec aliquid eiusmodi.* — **Bullarium** *edit. Taurin.* I. 122.

SECULUM SEXTUM.

354—360.

Symmachus PP. Anno 498. Pontificatum adeptus primis Seculi 6 annis tam ipse in epistolis suis Primatus iura explicuit, quam ab Eppis per literas velut possessor cathedrae Petri, et ovium totius mundi Pastor honoratus fuit.

354. MON. *Epist. ad Aeonium Eppum Arelatensem.* Movit equidem nos, quod dilectionis tuae relatio declaravit, nempe, contra regulas ecclesiastici constituti et adversus reverendorum canonum tractatum, per subreptionem *Viennensis* Ecclesiae pontificem de Apostolica (praesidente praedecessore nostro) Sede culpabiliter aliqua meruisse: cum si sit vera conquestio, effectum non possint impetrata frivole possidere, nec a nobis aliquid novi poterit ordinari, nisi quae a patribus praedecessoribusque nostris hac causa statuta claruerint. Tamen ne facile alterius partis absentia praeiudicabiliter videremur aliqua decrevisse, id magis duximus ordinandum, ut fraternitas tua competenti tempore de eccles. ordine instructum non moretur de omni causa dirigere, qui apud nos veritatem causae competenter alleget; — illud etiam dilectionem tuam facere debere praecipimus, ut fratrem et coepiscopum nostrum Viennensem misso nuncio et scriptura commoneat, ut constitutis diebus is quoque hominem proprium dirigat, qui partis eius allegationes competenter insinuet, ut depromtis ab utraque suggestionibus securius quae in perpetuum servanda sint disponantur. Quia semper suspectus iudicat, qui sub unius quod videtur eligit deploratione sancire. —

355. *Ad eundem.* Dilectionis tuae literas mandataque filio nostro Crescentio presbytero internuntio deferente suscepimus,

quibus constat inter *Arelatensem et Viennensem* Ecclesiam aliquod de ordinandis eppis in vicinis civitatibus oriri luctamen: illa re videlicet faciente, quod decessor noster sanctae record. Anastasius, tractans confusionem provinciae, aliqua contra veterem consvetudinem iusserit observari, decessorum suorum videlicet ordinationem (quod non oportebat) sub qualibet necessitate transgrediens. Nam dum ad trinitatis instar, cuius una est atque individua potestas, unum sit per diversos antistites sacerdotium: quem ad modum priorum statuta a sequentibus convenit violari? Huc accedit, quod ne sit sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam catholicam religionem credimus pertinere: cuius omnis potestas infringitur, nisi universa quae a Domini sacerdotibus semel statuuntur, perpetua sint. Quod alias contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, et roborando quae gesta sunt, faciat rata esse quae gesserit. Quanta enim vicariis beatissimi Petri apostoli iudicabitur esse reverentia, si quae in sacerdotio praecipiunt, eisdem transeuntibus dissolvantur? Relegentes ergo veterum antistitum super hac causa ordinationes, quibus ecclesiasticum gravatur scrinium, dilectionem tuam enixissime commonemus, ut in ordinandis per singulas urbes sacerdotibus cana ac reverenda servetur antiquitas, nec novella constitutio vetustae sanctionis robur imminuat. —

356. *Ad Avitum Ep. Viennensem.* Non debuit caritatem tuam offendere, quod ad fratrem et coepiscopum nostrum Aeonium nuper rescripsimus. Non enim iuri tuo, dilectissime frater, praeiudicatum fuit, cum nos inaudita parte et absque competenti instructione non posse iudicare respondimus. Unde fraternitati tuae salvum est allegare quod putaverit allegandum et proponere quod viderit proponendum. Nam licet confusionem provinciae a praedecessore nostro sanctae memoriae Anastasio Eppo praeter Ecclesiae consvetudinem et antiqua praedecessorum nostrorum statuta factam esse dixerimus et non esse tolerandam: attamen si ea, quae fecit, rationabiliter fecisse fraternitas tua docuerit, gaudebimus nihil esse ab eo contra canones attentatum, quia quod fit praeter regulam, modo sit ex iusta causa, non infringit regulam, quam sola pervicacia et antiquitatis contemtus laedit. —

357. *Caesarius Ep. Arelatensis Papae.* Sicut *a persona*

beati Petri apostoli Eppatus sumit initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus sanctitas vestra singulis Ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat. In Gallia siquidem ab aliquibus personis ecclesiastica praedia diversis titulis alienantur. Ita fit, ut pro suo quis arbitrio devota mente relinquentium et egentium necessitatibus deputatas imminuat facultates. Hoc postulamus, ut fieri prohibeat Apost. Sedis auctoritas. *(Sequuntur et alia petita ad discipl. eccles. spectantia.)* —

358. *Papa ad Caesarium Arel.* Hortatur nos aequitas postulationis, desiderio fraternitatis tuae gratanter annuere de singulis, *quae ab Apost. Sede concedi supplicas*, quod a patrum cautela et provisione non discrepet. Et quamvis eccles. regulae pene omnia comprehendant, tamen superfluum esse non credimus, denuo quae sunt saepius interdicta repetere — *(Post responsa canonica ad preces Caesarii concludit :)* Hortamur itaque, ut pro catholicae religionis intuitu et Ecclesiarum pace haec universi fideli ac devota mente custodiant, quia non est dubium praevaricatores interdictorum talium iuxta venerandos canones propriae communionis subire iacturam. Haec tamen ad omnium Epporum volumus perferri notitiam. —

359. *Ep. Orientalium Epporum ad Papam.* Bonus ille et amator hominum D. N. I. C. qui propter bonitatem suam in nos inclinans coelos et descendens ad terras, immaculatis Evangeliis quotidie illud clamat ‚Non est opus valentibus medico, sed male habentibus, non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam‘; plus autem volens aperire opera suae clementiae, adiecit in sequentibus dicens: ‚Quis autem vestrum habens centum oves, si perdiderit ovem unam ex iis, etc.‘ — Haec diximus, Sanctissime, ausi supplicare non pro perditione unius ovis, neque pro perditione unius drachmae, sed pro amica nobis salute non Orientalium partium tantum, sed trium prope plagarum habitabilis mundi, non corruptibili argento aut auro redemtarum de vana conversatione a parentibus tradita, sed pretioso sangvine Agni Dei: sicut docuit gloriosorum *Apostolorum princeps, cuius cathedram beatitudini tuae credidit Christus* optimus pastor, qui venit quaerens et liberans quod perierat, et ponens animam suam in redemtionem pro multis. Quem imitatus, sanctissime beatissimeque, festina ad adiuvandum nos. — Tu affectuosus in filios pater, in veritate spiritualibus cernens oculis pereuntes in

praevaricatione patris nostri Acacii noli remorari, magis autem, ut ita dicam sicut propheta, non dormites sed festina ad liberandum nos: quia *non in ligando tantum potestas est tibi data, sed in solvendo* quoque diu vinctos ad imitationem Magistri; — neque in tradendo tantum satanae in interitum carnis, sed et in caritate formando longa aversione deiectos, ne (quod absit) maiori tristitia absorptis nobis a satana videamini pertulisse dispendium. Non enim ignoras eius ingenium, *qui quotidie a sacro doctore tuo Petro doceris oves Christi per totum habitabilem mundum creditas tibi pascere,* non vi sed sponte coactas. — Quare deprecamur disrumpi novum chirographum nostrum, sicut Salvator et dux noster Christus vetus illud in cruce disrupit. — Si unus homo (Acacius) peccavit, quare toti synagogae, aut magis toti habitabili mundo per anathema divinus furor incumbit? — Si propter Alexandrinorum aut magis Eutychianorum amicitiam, qui aversantur et anathematisant sanctiss. et beatiss. papam Leonem, vel in Chalcedone synodum habitam, anathematisatus est Acacius: quare nos a vobis aestimamur haeretici, et in anathemate sumus nos, qui amplectimur solam illam epistolam et quae dicta sunt in S. Synodo? — Omnimodo autem et qui videntur communicare orthodoxi, et qui se a communione abstinent, omnes post Deum *tuae lumen visitationis et assumtionis operimur.* Quare festina iuvare Orientem, ex quo vobis duo grandia diei lumina *Petrum et Paulum* ad illuminationem totius mundi Salvator direxit. — *Illuminate eum rectae fidei lumine,* — sicut per ipsum vos quondam divinae cognitionis lumine idem illuminavit. —

360. *Responsum Papae ad Orientales.* Quod fieri plane cupimus, si quae scribimus impleantur. Nullus stupeat servatum hactenus nos nunc solvisse silentium, cum prudentissimi Salomonis ista vox personet: Tempus loquendi, et tempus tacendi. Quia taciturnitatem praesens tempus expugnat, nam inter cetera quae accidunt, silere, nec fidei stimulis excitari, magni constat esse fastidii. Quippe ubi religionis reverentia et summa concutitur, aptum iuxta divinam Scripturam dicere, eos, qui sunt mites, debere esse pugnaces. Siquidem et spiritualis quaedam Deo accepta congressio inde et laudabiliter universa tolerat, ne quisquam a divina caritate separetur, et vos quidem docere quod doceatis, grave onus pudoris, sed necessarium et utile tales admonere: nec enim congruum illis religiosae afferre dogmata disciplinae, a qui-

bus institutionis ipsius expectatur plena perfectio. *(Enumeratis haereticis et eorum fautoribus in Oriente, prosequitur :)* — Adversus hos si patrum dogmata ratio svadet esse servanda, cogitate, si possunt ea maiori transgressione calcari, quam nunc per eos, qui in partibus vestris Eutychetis dogmata resuscitant. Si vero tamquam infirme constituta sententia sine piaculo negliguntur, citra ullum robur credulitatis nostrae summa subsistit, semper succedentibus novis vetera constituta solventibus. Quando enim paternarum regularum despiciuntur inventa, nec eorum, quae bene instituta sunt, firmitas vindicatur, huiusmodi impietates necesse est fidei supervenire. — Pluribus caritatem vestram pro dispensatione nobis credita cuperemus hortari : sed quid opus est vocis stimulis, ubi ad tolerandas pro Christo magnanimiter passiones apostolicis et patrum docemur exemplis. — Ergo pronunciemus intrepidi claras Ecclesiae cum magna fiducia disciplinas. — Declinemus sacrilegum Eutychetis errorem cum Manichaea malitia congruentem ; communionem quoque eorum, qui sunt a talibus educati, pari intentione vitemus. — Propter quod, fratres, illius bonae Ecclesiae desiderantes unitatem, et beatum decorem sanctae concordiae praesumentes, dicamus cum S. David : Quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum. — Donec enim unitas non redeat, nullus ambigat tandem eadem nihilominus esse ventura, quae in CPna nuper Ecclesia contigerunt. — Nam qui *Apostolicae Sedis admonitionem* negligendam esse crediderunt, merito inciderunt in ea, quae evenire solent solatio destitutis. Si quis ergo salutem propriam cogitans servare cupit *apostolica iudicia*, cum a praefatorum se labe seiunxerit, nostrae communionis se noverit sine dubitatione participem. Quia si ab eorum, quos *Apostolica Sedes damnavit*, non se societate removerit, sciat nullo colore, nullo figmento, nullaque calliditate ecclesiasticae se custodiae posse subrepere. **Migne** *Patr. Lat.* t. 62. p. 49. ss.

361—363.

Acta, quae in Synodis Romanis quoad impacta **Symmacho** Papae quaedam crimina intervenere. Synodi recognoscunt: causam Papae in Concilio pertractari non posse, sed solius Dei iudicio reservari debere.

361. MON. *Syn. IV. Romana.* Rufo magno, Fausto, Ameno viris clarissimis consulibus sub die Calendarum Novembrium *S. Synodus* apud urbem Romam ex praecepto regis Theodorici ex diversis regionibus congregata in Christi nomine *dixit :* Cum ex diversis provinciis ad urbem Romam convenire sacerdotes Regia praecepisset auctoritas, *ut de his, quae venerabili Papae Symmacho Apost. Sedis Praesuli ab adversariis ipsius dicebantur impingi, sanctum Concilium iudicaret*, Liguriae, Aemiliae, vel Venetiarum Eppis, quos ad praesentiam Principis spe itineris ductos attraxit, Regem consulendi incubuit necessitas, cur nos voluisset aetate fractos, debilitate et impotentia corporis invalidos congregari? Respondit praefatus rex piissimus bonae conversationis affectu, plura ad se de Papae Symmachi actibus horrenda fuisse perlata, et in Synodi oportet iudicatione constare, si vera esset inimicorum eius obiectio. Memorati Pontifices, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt, *ipsum, qui iudicabatur impetitus, debuisse Synodum convocare, scientes, quia eius Sedi primum Petri Apostoli meritum vel principatus, deinde secuta iussione Domini conciliorum venerandorum auctoritas singularem in Ecclesiis tradidit potestatem, nec antedictae Sedis Antistitem inimicorum subiacuisse iudicio* in propositione facile simili forma aliqua testaretur : sed piissimus princeps ipsum quoque Papam in colligenda synodo voluntatem suam literis demonstrasse significavit. — S. Papa Symmachus basilicam Iulii, in qua pontificum erat congregatio, — ingressus est, et de evocatione synodali clementissimo regi gratias tulit,

et rem desiderii sui evenisse testatus est. Causa ergo de sacerdotum animis, quae de concilio nondum firmato tristitiam ministrabat, abscissa est. — Agnoscentes, nullum nobis laborem remansisse, nisi ut dissidentes cum humilitate propositi nostri ad concordiam hortaremur, quia unum tantae rei restabat, unde Deo pareremus, senatum amplissimum quali oportuit legatione destinata monentes, et instruentes, *causas Dei ipsius iudicio esse committendas;* — cogitare prudentes viros oportere, quanta inconvenienter et praeiudicialiter in huius negotiis principis contigissent, et nos viam per hanc — remissionem peccatis non aperire sed claudere, qui, quod dicebatur, *maioris iudicii* servamus, instruentes eos, — *non esse ovium, lupi insidias praevidere, sed pastoris.* — Haec eadem saepissime, ut oportuit, commonentes, ut habita intentione discederent (accusatores Symmachi), et factum nostrum, quod Deus inspiraverat, iuxta mandatum principis non discuterent, sed sequerentur, sicut decebat filios Ecclesiae. — Quibus allegatis Dei obtestatione *decernimus* harum necessitatum vel religionum consideratione adstricti, perpensis omnibus, quae in causa erant, coelesti inspiratione secretis: *quia Symmachus Papa Sedis Apost. Praesul, cum totum constet arbitrio divino fuisse dimissum, ab huiusmodi propositionibus sit immunis et liber,* et christianae plebi — in omnibus ecclesiis suis ad ius Sedis suae pertinentibus tradat divina mysteria, quia eum ab impugnatorum suorum petitione obligari non potuisse cognovimus, unde secundum principalia praecepta, quae nostrae huic tribuunt potestati, ei quidquid ecclesiastici intra sacram urbem Romam vel foris est iuris, reformamus, *totam causam Dei iudicio reservantes,* hortamur, ut sacram communionem, sicut res postulat, ab eo percipiant. — Haec quicunque ex instructione nostra, quod non aestimamus, vel non admitti, vel detrectari posse crediderit, videat, quia in divino iudicio contemtus sui rationem est redditurus. — *(Subscriptio 74 Epporum.)*

362. *Syn. V. Romana.* Post consulatum Ameni cum in unum annuente Domino ante confessionem beati Petri apostolorum principis resedissemus, S. Synodus dixit: Libellus, qui synodali auctoritate contra eos, qui adversus quartam nostram synodum, quae habita est Romae, mutire praesumserunt, ab *Ennodio* conscriptus est, coram omnibus deferatur, et in praesentia omnium

legatur atque roboretur. *) Quo recitato, et ab omnibus consona voce roborato *S. Synodus dixit :* ‚Haec futuris temporibus conserventur, atque ab omnibus teneantur, et in omnibus serventur. Hic libellus integerrime synodaliter ab omnibus teneatur, atque inter quartae et quintae Synodorum nostrarum actiones interponatur, et ita sicut harum synodorum decreta habeatur, quia synodali auctoritate conscriptus est et roboratus.' Ad quae *beatissimus Papa respondit :* ‚Iuxta vestram omnium fiat voluntatem, et, ut iudicatis, apostolica habeatur auctoritas, et inter apostolica, quod dicitis, interponatur decreta, et sicut cetera apostolica ab omnibus teneatur decreta.' Ad quae omnes ter una voce responderunt dicentes, ut fiat rogamus. Post quae *acclamatum est ab omnibus eppis et presbyteris :* ‚Illi, qui Papam Symmachum accusaverunt, et damnationem ei inferre tentaverunt, et *illi, qui eum iudicaverunt,* aut contra nostram synodum garrire aut scribere praesumserunt, *ut damnentur* rogamus.' Et paulo post, omnes eppi et presbyteri voce magna clamantes dixerunt : ‚Exaudi Christe, Symmacho Papae vita.' — Quibus cessatis *Symmachus Eppus Eccles. Catholicae urbis Romae dixit:* ‚Quoniam fraternitas vestra singulari caritatis studio, pio ac vigilanti affectu, indefessis laboribus ac spiritu vivaci studuistis, tutelam rerum ecclesiasticarum fovere, *Sedem Apostolicam, quae solida Petri confessione stabilita est, tueri viriliter,* (cui licet indigni Domino sic disponente praesumus) ac parvitatem nostram iam dudum multis afflictionibus impulsam virili protectione defendistis, oblocutoribus et susurrantibus resistendo, qui novis semper insidiis semper aliquid adversum nos et famam nostram moliuntur, quos spiritus ille divisionis continuis exagitat aculeis, quibus est pax inimica et discordia placens; et quia vestra bonitas curam provisionis nostrae suis exhortationibus incitavit,

*) Libellus Ennodii fuse refellit cunctas obiectiones, quibus inimici seu personam Symmachi Papae, seu Synodi prioris Romanae iudicium impetebant. Notanda sunt maxime sequentia Ennodii verba : ‚Aliorum forte hominum causas Deus voluerit per homines terminare. Sed istius (Sedis Apost.) Praesulem sine quaestione suo reservavit arbitrio. Voluit b. Petri Apostoli successores coelo tantum debere innocentiam, et subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam. — Uni dictum : Tu es Petrus etc. Et rursus sanctorum voce Pontificum dignitatem Sedis eius factam toto orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium est ubique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur.'

et parilem circa Ecclesiae tranquillitatem, — flagitamus: ut circa insidiatores et persecutores nostros mitius agatis, et licet iuste damnentur, propter misericordiam tamen conserventur, ut in nobis illa Domini declaretur sententia, qua praecipitur ita fratribus dimitti, sicut sibi a Domino cupiunt dimitti. De cetero vero ne unquam talia non solummodo in Apostolicae Sedis Praesule a quoquam praesumantur, sed nec in ullo Christianorum episcopo usurpentur. Non ergo necesse est super his nova cudere, sed vetera recitare atque firmare. Est enim a multis antecessoribus nostris synodaliter decretum atque firmatum, ut oves, quae pastori suo commissae fuerunt, eum nec reprehendere, nisi a recta fide exorbitaverit, praesumant, nec ullatenus pro quacunque re alia nisi pro sua iniustitia accusare audeant: quoniam pastoris actus gladio oris non sunt feriendi, quamquam rite reprehendendi aestimentur; nec ullos eppos suis rebus exspoliatos, vel a sedibus vi aut dolo, aut quocunque ingenio pulsos, sicut et vos de nobis iudicastis, aut ad synodum tam provincialem quam generalem posse evocare, aut in aliquo iudicare, antequam cuncta, quae eis ablata sunt, legibus potestati eorum pacifice per omnia reintegrentur, decernimus. — Quid ad haec vobis, carissimi fratres, videatur, prudentia vestra pro ecclesiastica quiete vel indemnitate universi edicite.' *Universa Synodus dixit*: ‚Episcopalem persecutionem et ecclesiarum vastationem atque servorum Dei insectationem fulti praedicta auctoritate et omnium ss. patrum prohibitione, vestraque consolatione, communi tractatu pariter in futurum robuste ac veraciter amputantes sanctorumque patrum statuta firmantes expressis sententiis sancimus, ne unquam talia a quoquam nostris aut futuris temporibus praesumantur.' — — *(Subscriptio 218 Epporum.)*

363. *Ex epistola Aviti Eppi Viennensis ad Faustum et Symmachum Senatores Romae, in qua suo et Coepporum Galliae nomine confitetur: eminentiorem non posse ab inferioribus iudicari.* — Dum de causa *Romanae Ecclesiae* anxii animi et trepidi essemus, utpote *nutare statum nostrum in lacessito vertice sentientes,* — perlata est sollicitudini nostrae ab Italia in exemplaribus sacerdotalis forma decreti, quam de Papa Symmacho apud urbem collecti Italiae Antistites ediderunt. Quam constitutionem licet observabilem numerosi reverendique Concilii reddat assensus, intelligimus tamen, *S. Symmachum Papam, si seculo primum*

fuerat accusatus, consacerdotum suorum solatium potius adsciscere, quam recipere debuisse iudicium. Quia sicut subditos nos esse terrenis potestatibus iubet arbiter coeli, statutos nos ante Reges et Principes in quacunque accusatione praedicens, ita *non facile datur intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior iudicetur.* Nam cum celebri praecepto Apostolus clamet, accusationem vel in presbyterum recipi non debere, quid in principatum generalis Ecclesiae criminationibus licere credendum est, quod Synodus ipsa venerabilis laudabili constitutione prospiciens, causam, quam (quod salva eius reverentia dictum sit) bene temere susceperat, inquirendam divino potius reservavit examini. Perstringens tamen, prout breviter potuit, nihil vel sibi vel gloriosissimo Regi de his, quae Papae dicebantur obiecta, patuisse. Quibus cognitis quasi Senator ipse Romanus, quasi Christianus Eppus obstestor, ut in conspectu vestro non sit Ecclesiae minor quam Reipublicae status, quodque nobis Deus posse praestet, prosit et nobis, nec minus diligatis in Ecclesia vestra Sedem Petri, quam in civitate apicem mundi. In sacerdotibus ceteris potest, si quid forte nutaverit, reformari. At *si Papa Urbis vocatur in dubium, Episcopatus iam videbitur, non Episcopus vacillare.* Reddet rationem, qui ovili Dominico praeest, qua commissam sibi agnorum curam administratione dispenset; ceterum non est gregis proprium, pastorem terrere, sed iudicis. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 130. p. 1002. ss.

364—379.

Hormisdas PP. A. 514. ss. cum Praesulibus et Synodis Orientalibus frequentius fovendo literarum commercium, prout ab his indubia percepit subiectionis erga principem Ecclesiae Cathedram documenta, ita ipse quoque congruis monitis et doctrinis suam supremam evolvit auctoritatem.

364. MON. *Eppus Thessalonicensis ad Papam.* Ait quodam loco cuncta beatissimus divinorum praeceptorum promens

miracula Salomon: ‚Sicut aqua frigida animae sitienti svavis est, sic benignum nuntium longinquis ex terris.‘ Et sacer David spiritualem pulsans lyram psallit: ‚Quam speciosi pedes eorum qui evangelisant bona‘, sic equidem et nos cunctos docens. Quid autem est ita animae hominis svave, aut ita impingvat ossa, quam specioso nuncio cognoscere verae pacis nunciatorem, et rectae numquam errantes propugnatores fidei ad Ecclesiarum sanctarum transire gubernacula, et tamquam ex arce quadam ad consensum Dei congregare dispersa, et continuo quidem ad *principatum tuae sedis* festinantes, venerandi fratris supplicationionibus annuentes, et membra Ecclesiae, quae vobis Christus et Deus noster credidit, contemnentia prius concordiam, ad unitatem venire? — Haec didicimus non ante multa spatia temporis: sperabamus autem et antiquam consvetudinem cognoscentes Ecclesiae, et vestrum audientes socialem et irreprehensibilem morem, ex vestris literis firmiora atque manifestiora cognoscere. Sed quia tempus hiemis ad haec vos implenda retinuisse consideratur, scribo et alloquor beatum vestrae sanctitatis caput, significans collactari nos *beatae Sedi sacratissimi Petri Apostoli*, quod tali regitur manu, quae suscepit non qui honorem raperet, sed qui raperetur ab eo, et nutritorem pacis, et rectae fidei certatorem. — Scribe igitur, in cunctis beate, tamquam unanimi et optanti animam quoque offerre pro fide orthodoxa et Ecclesiarum pace sanctarum, et ut *custodiantur venerandae Sedi in omnibus beati Petri convenientia*, quod facile fiet ordinata unitate cunctorum, et *omnium ad vos tamquam ad firmum festinantium portum.* —

365. *Eppus Nicopolitanus Papae.* — Ego cuncta referens Deo, qui balbutientium lingvas liberas facit, decenter ad vestras orationes concurro, ut iuxta consvetudinem *Apost. Sedis vestrae, quae cunctarum Ecclesiarum curam habet,* et Nicopolitanorum habere dignemini secundum antiquam spiritualem dispositionem vestram. — Quoniam vero quidam dissimulantes nobiscum credere atque sectari s. synodos, quae Nicaeae, CPli atque Ephesi congregatae sunt, — insuper etiam quae Chalcedone adversus Eutychetem impium congregata est, — tamen audent nos impugnare, tamquam vinculum concordiae sine ratione vitantes. Votum autem mihi est, *vestram sequi doctrinam*, — et anathematiso Dioscorum etc. — sequens in omnibus syn-

odicas et apostolicas epistolas scriptas a vero praesule Romanae Ecclesiae Leone. Rogo autem, *plenius atque perfectius quae servari oportet commonete*, *et a quibus abstinere debeam, vestris custodibus literis intimate*, ut si fortassis adhuc inexercitatus ordini deputor lectionum, seu dixi sive egi apostolicis doctrinis vestris incongruum, vestris imbutus sermonibus possim haereticorum obsistere machinis. —

366. *Synodus Epiri ad Papam.* Si dignis proemiis uti tentemus, necesse est multis fletibus horum depromtiones efficere. Plurimi namque ex nobis in regnante fuere CPli, cum vestri sanctissimi vicarii — degerent, pietatis agonem susceptum tenentes. — Flentibus autem nobis atque lamentantibus cum his, qui nobiscum relecti sunt in paroecia comministris, quis possit de orthodoxis recte Christi oves transigere: qui consolatur humiles, consolatus est etiam nos per vestras orationes, demonstrans metropolitanae civitati in cunctis sanctissimum Ioannem; — hunc ergo Dei providentia ordinavimus praesulem Nicopolitanorum, et rogamus, ut *iuxta antiquam consvetudinem* hunc quoque complectamini paternis visceribus vestris, nobisque aut ipsi Dei gratia efficiamini *arma inexpugnabilia commonitionibus vestris atque doctrinis;* et deprecantibus nobis inclinetis aurem, et pietatem concordiae reperiatis, iuxta inspiratam vobis divinitus apostolicam providentiam, ut in pace quae est ei amabilis, cunctae sanctissimae Ecclesiae cooptatae immarcescibilem vobis coronam nectentes in omni pietate atque humilitate comprehendantur in Christo. —

367. *Rescriptum Papae ad Syn. Epiri.* Benedictus Deus Ecclesiae suae membra consocians. Benedictus Deus, qui maligno instigante divisos sub eadem, qua olim fuerunt, facit soliditate coniunctos. — Unde nec vos ad salutis iter rediisse miramur, cum tarditatem magis in hac redintegratione culpemus. — Et nobis quidem nunc post professionem ac literas vestras omnia fidei dogmata, Deo suos coniungente, similia orandum est, ut in ea voluntas vestra, qua nostros animos relevavit, confessione permaneat. Sed opus est citra respectum timoris insectari eorum rabiem qui fide diversa nituntur. *(Commemoratis breviter erroribus Orientalium, continuat:)* — Haec scripsimus plenae caritatis impulsu, quia spem fidei vestrae primum Dei dono, deinde et fratris nostri Ioannis, qui vobis praesidet, professione

praesumsimus: qua nominatim omnes, quos *apostolica ac generalis catholicorum condemnat Ecclesia*, execrabiles sibi esse declaravit; quos vos quoque in literis vestris oportuit evidenter exprimere, nec arbitrari posse sufficere sibi, tantis praesertim insidiis callidorum, quos viritim et singulos insectari convenit, atque damnare, sub quadam eos generali damnatione concludere. Diligentem quaerunt vulnera antiqua medicinam, nec abundans esse creditur, quidquid pro integritate fidei et stabilitate religionis adhibetur. Unde libellum cum literis misimus, cui vos subscriptiones proprias inserite, ut *fides vestra — apud nos fiat huius quoque repetitionis adiectione manifestior.* —

368. *Regula fidei literis Papae adiecta et per Eppos Epiri subscribenda.* Prima salus est, regulam rectae fidei custodire et a constitutis patrum nullatenus deviare. Et quia non potest D. N. I. C. praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus etc. haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia *in Sede Apostolica immaculata est semper servata religio.* Ab hac ergo spe et fide separari minime cupientes, et patrum sequentes in omnibus constituta, anathematisamus omnes haereticos etc. — Suscipimus et approbamus omnes epistolas Leonis Papae universas, quas de religione Christiana conscripsit. Unde *sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, et praedicantes eius omnia constituta*, spero, ut in una communione vobiscum, quam Sedes Apostolica praedicat, esse merear, in qua est *integra et verax christianae religionis soliditas*, promittens etiam sequestratos a communione Ecclesiae Catholicae, id est, non consentientes Sedi Apostolicae, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria. Hanc autem professionem meam manu propria subscripsi, et tibi Hormisdae sancto et venerabili Papae urbis Romae obtuli. —

369. *Avitus Eppus Viennensis ad Pontificem.* Dum religionis statui et plenis catholicae fidei regulis perspicitis convenire, ut *gregem per tota vobis universalis Ecclesiae membra* commissum pervigil cura vestrae adhortationis informet: Viennensem provinciam superiore anno, si meminisse dignamini, datis ad humilitatem meam literis visitastis, — in quibus nos — admonitione cautissima quid nos per ignorantiam praevenire possit, instruitis. Eutychetis igitur Nestoriique damnatio, quos iam dudum per beatissimos decessores *sanctae sedis vestrae calca-*

rit auctoritas, ad notitiam iam pridem nostram apostolicae ad nos diligentiae provisione perlata est. Sed illud nos modo suspensos multum redigit et anxios, quod cum pendere nos ad effectum legationis secundo CPlim destinatae omni expectationis studio iusseritis, nec quid filius vester Ennodius retulerit, nec utrum secuta redierit indicastis, et promissionem vestram tanta silentii diuturnitate suspenditis, ut non minus modo praedicatoris taciturnitas reddat attonitos, quam antea fecerat legationis mora suspectos. Unde sola hac causa servos vestros filios meos Alexium presbyterum et Venantium diaconum totius provinciae Viennensis nomine, quae ecclesiae ad me pertinenti ab universis decessoribus vestris et apostolica sede commissa est, cum praesentis famulatus pagina destinavi; per quos *oraculo beatissimae responsionis* agnoscam, utrum fervor schismatum praefatorum, qui intra CPnam urbem vitio perniciosae obstinationis exarserat, cuique, quod magis dolendum, Alexandrinam vel Antiochenam Ecclesias dicitis illigatas, *vobis Christo favente docentibus* digna fuerit correctione restinctus. —

370. *Responsum Pontificis ad Avitum.* Qui de his, quae ad disciplinam catholicam pertinent, maxime sciens instrui cupit, quid studii circa mandata divina habeat, evidenter ostendit. Non enim potest esse huiusmodi cura, nisi ubi fides fuerit infucata. Atque ideo exultamus in Domino de sinceritate propositi tui, dilectissime frater, dum te secundum directas per Alexium presbyterum atque Venantium diaconum literas intuemur, et de impiis transgressoribus Eutychete atque Nestorio Sedis Apostolicae constituta recolere, et si quid adversus eos admonitio nostra promoverit, per quos Orientales Ecclesiae confunduntur, inquirere. — Verum breviter silentium nostrum, quod dilectio mordet vestra, purgamus. Nam quod non saepius nostra admonitis vos frequentet, de conscientia vestra et fidei soliditate confidimus. Et vos praesentibus hortamur alloquiis, et per vos quoque, quia occasio data est, alios per Gallias, quos fides eadem nobiscum amplectitur, admonemus, promissam et amabilem Deo fidei servare constantiam, et transgressorem societate declinata constantiam vestram uni viro virginem castam, sicut spopondistis, exhibere Christo. —

371. *Monitoria ad Eppos Orientis.* Etsi admonitionis meae cura desideret, vos tamen proprii memores conveniret officii,

non negligenter omittere quae enixe omnes decet pro animae suae salute servare, ut mandatorum coelestium disciplina, non alieno studio, sed ipso vobis clareret inesse proposito. — Incursantur passim sancta a perfidis constituta, et rediviva subinde de compressis excessibns resurgit improbitas. Quemadmodum, rogo, pietatem in Deum probat, qui tam nefanda dissimulat? Recordemur qua catholicorum frequentia sacerdotum illa, quibus nitimur, celebrata didicerimus esse concilia. — Ergo vel propheticis stimulis excitati, vel normis apostolicae institutionis instructi, curam salutaris praedicationis assumite. — Et *ad petram, supra quam est fundata Ecclesia, revertentes*, apud illorum etiam vos patrum spiritus, quorum veneranda constituta improbe labefactantur, absolvite. ≈

372. *Ioannes Eppus CPnus ad Papam.* Saluto vestram sanctitatem, et salutans praedico, quoniam recta fides salva est, caritas fraternitatis firmata est. Hoc Deus solus potens per studium christianorum et piissimorum Imperatorum fieri voluit. Scribere igitur apostolice et rescripta suscipere fraterne Dei amore dignemini. Ego enim inquisibili ratione doctrinam sanctissimorum apostolorum secundum traditionem ss. patrum tenens, similiter honorem consubstantiali et per omnia sanctae Trinitati offero, sicut in Nicaea 318 coetus promulgavit, et in CPli 150 conventus firmavit, et in Ephesina 200 firmavit, et in Chalcedone conventus 630 patrum firmavit. Hanc ergo fidem usque ad ultimum anhelitum per gratiam Dei custodiens, spiritualibus amplexibus tam vestram sanctitatem, quam etiam orthodoxas ecclesias ex animo amplector. — Tantum ad satisfaciendum scripsimus, ut et venerabile nomen sanctae recordationis Leonis, quondam urbis Romae archiepiscopi, in sacris diptychis tempore consecrationis propter concordiam affigeretur, et vestrum benedictum nomen similiter in diptychis praedicetur. *Ut de omnibus autem satisfiat vestrae sanctitati*, rogamus vos pacificos viros destinare, et *nostrae dignos apost. Sedis*, qui debeant satisfacere, *et satisfactionem nostram suscipere*, ut et in hac parte Christus Deus noster glorificetur, qui per vos pacem hanc mundo servavit. —

373. *Responsum Papae ad Ep. CPnum.* Spirituale gaudium directis caritas tua significavit affatibus, docendo ut catholicae religionis disciplinam ordine suo vestri pastores Deo nostro iu-

vante receperint. — Dilectionis tuae confessionem gratanter accepimus, per quam sanctae synodi comprobantur, inter quas instauratione constitutorum omnium Chalcedonense concilium praedicastis, et catholicorum numero adiungi desiderans S. Papae Leonis in dyptichis nomen asseveras scriptum. Ista laudanda sunt, si perfectionis subsequatur effectus: quia recipere Chalcedonense Concilium, et sequi S. Leonis epistolas, et adhuc nomen Acacii defendere, hoc est inter se discrepantia vindicare. Quis Dioscorum et Eutichetem condemnans, innocentem ostendere possit Acacium? — De caritate tua meliora Dei omnipotentis expectamus auxilio, habentes optimae promissionis spem, sicut ad nos quae direxisti tua scripta ostendunt. — Post haec quid restat, nisi *ut Sedis apostolicae*, cuius fidem te dicis amplecti, *sequaris* etiam sine trepidatione *iudicia?* Igitur partibus Orientalibus ostende per te quod sequantur exemplum, ut omnium laus, qui correcti fuerint, tuis laboribus applicetur. Ergo cum magna denunties, et fidem beati apostoli Petri te amplecti significes, recte credens in ea salutem nostram posse subsistere, libellum, cuius continentia subter annexa est, a caritate tua subscriptum ad nos dirige, ut sine conscientiae formidine unam communionem, sicut oramus, habere possimus. —

374. *Eppus CPnus mandato Papae paret.* Redditis mihi literis vestrae sanctitatis — laetatus sum de spirituali caritate vestrae sanctitatis, quod unitatem sanctissimarum Dei Ecclesiarum secundum veterem patrum requiris traditionem, et laceratores rationabilis gregis Christi amore pulsare festinas. Certus igitur scito, per omnia sanctissime, quia secundum quod vobis scripsi, una tecum cum veritate sentiens, omnes a te repudiatos haereticos renuo et ego pacem diligens. Sanctissimas enim Dei Ecclesias, id est, superioris vestrae et novellae istius Romae, unam esse accipio illam sedem apostoli Petri, et istius augustae civitatis unam esse definio. *(Subnectit Eppus libellum fidei Roma submissum et a se subscriptum).* —

375. *Rescriptum Papae ad praeviam Epistolam.* Consideranti mihi tuae scripta caritatis, in quibus cum sede beati apostoli Petri unam tibi esse fidem professus es, prophetica libet exclamare licentia: Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum. Neque enim refert quam longinquis lo-

corum spatiis dividamur, quando iam Deo auctore una fidei cohabitatione coniungimur; nunc enim misericordia procurante divina in unius corporis vultum dissipata olim Christi membra conveniunt, — et vere *in huius petrae fide*, id est, *apostolorum principis firmitate*, *Orientalis Ecclesiae fundamenta solidantur*, quae cum facta tuis literis indicentur, tempestiva exultatione dicendum est: Quam speciosi pedes evangelisantium pacem, evangelisantium bona. *(Sequuntur opportuna monita ad constanter perseverandum in fide catholica.)*

376. *Synodus CPna novum Eppum Papae praesentat.* — Post obitum sanctae recordationis quondam archiepiscopi et patriarchae Ioannis CPnae civitatis, Deus, *qui propriam sanctam Ecclesiam in petra rectae fidei incorrupta fundavit, et portas inferi non praevalere ei decrevit*, dedit nobis sanctum pastorem et patriarcham Epiphanium. — Igitur *ecclesiasticam legem implentes*, apostolatui vestro salutationis debitum persolventes officium, speramus ut amplius caritatis vinculum et paternum affectum circa nos caritas vestra custodire dignetur, et sapienti gubernatione et humilitate, quae christianum decet, et mansvetudine, quae ad rationabilis *traditi vobis ovilis* salutem pertinet, peragatis. — Nam si quae intercessionibus vestrae beatitudinis generalis tranquillitas Ecclesiis orthodoxorum fuerit redonata, gloria quidem in excelsis Deo omnium Salvatori per angelos cum laetitia referetur, pax vero in terra confirmabitur. —

377. *Epiphanius Eppus CPnus ad Pontificem.* Deus, qui in alto habitat et humilia respicit, et omnia pro salute hominum affluenter providet, pro sua bonitate et misericordia meam respexit parvitatem, et post obitum sanctae memoriae quondam archieppi et patriarchae Ioannis sedem sacerdotalem sanctae Ecclesiae catholicae regiae urbis mihi conferre dignatus est. — Quapropter necessarium duxi hoc primum indicium meis inserere literis, ut ostendam, quam circa vestram apost. Sedem habeo voluntatem. Est mihi ratio magnopere, beatissime, *uniri me vobis*, et divina amplecti dogmata, quae ex beatis et sanctis discipulis et apostolis Dei, *praecipue summi Petri apostolorum Sedi sanctae vestrae sunt tradita*, et nihil eis pretiosius existimare. —

378. *Possessor Eppus Africanus ad Papam.* Decet et expedit ad *capitis* recurrere medicamentum, quoties agitur de

sanitate membrorum. Qui enim maiorem circa subiectos sollicitudinem gerit, aut a quo magis est nutantis fidei stabilitas expectanda, *quam ab eius Sedis praeside, cuius primus a Christo rector audivit: Tu es Petrus etc?* Arbitror vestram beatitudinem non latere, quantis in CPna urbe Ecclesia laboret insidiis, et ad morem veteris morbi in saniem vulnus iterum quaerat erumpere quod obductum creditur cicatrice. Unde cum quorumdam fratrum animus de codice *Fausti* cuiusdam natione Galli *) Reginae civitatis Eppi **), qui de diversis rebus et frequentius de gratia Dei diserte visus est disputare, in scandalum moveretur, aliis, ut se habent humana studia, in contrarium remittentibus, me crediderunt de hoc ambiguo consulendum. Dixi quidem ea, quae a tractatoribus pro captu proprii ingenii disputantur, non ut canonica recipi aut ad synodalium vicem pro lege servari, sed habere nos certa, quae veteri lege vel nova conscripta et generalibus patrum sunt decreta iudiciis ad fundamentum fidei ac religionis integram firmitatem; haec autem, quae antistites diversi conscripserunt, pro qualitate sui sine praeiudicio fidei solere censeri. Sed cum haec, quantum in eorum frequenti postulatione persensimus, magis eis excusatio videretur: vel pro eorum prece, vel pro obsequii reddendi occasione *apostolatui vestro* per Iustinum diaconum meum praesumsi apices parvitatis meae ingerere, quibus principaliter orationum vestrarum munimen exposcens, quaeso, ut consulentes, quid de praefati auctoris dictis videatur, *auctoritate apostolicae responsionis* agnoscant. —

379. *Responsum Pontificis ad literam Eppi Possessoris.* Sicut rationi congruit, ut consulant ambigentes, ita par est respondere consultos, quia ipse impellit in errorem, qui non instruit ignorantem, nec quidquam aptius est studioso religionis, quam inquisitio veritatis. — Hi, quos vos de Fausti cuiusdam Galli antistitis dictis consuluisse literis indicastis, id sibi responsum habeant: neque illum recipi, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen catholicae fidei, aut ecclesiasticae disciplinae ambiguitatem posse gignere, aut religiosis praeiudicium comparare. Fixa sunt a patribus, quae fideles sectari debeant, instituta. — *Unum est fundamentum,* extra quod quaelibet fabrica si consurgit, infirma est, super illud quisquis

*) Commoratione Gallus, sed natione Britannus fuit.

**) Reiensis in Narbonensi II.

aedificat sive vilia sive pretiosa, consideret. — De arbitrio tamen libero et gratia Dei quod *Romana, hoc est, catholica sequatur et asseveret Ecclesia*, licet in variis libris Augustini, et maxime ad Hilarium et Prosperum, possit cognosci, tamen in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur, quae si tibi desunt, et necessaria creditis, destinabimus, quamquam qui diligenter Apostoli dicta considerat, quid sequi debeat, evidenter cognoscat. **Migne** *Patr. Lat.* t. 63. p. 371. 387. ss. 400. 429. 443. 455. 483. 494. 489.

380.

C. Vasense II. A. 529. nomen Papae in Ecclesiis recitandum decernit.

MON. *Can. 4.* Et hoc nobis iustum visum est, ut nomen Domini Papae, quicunque Sedi Apostolicae praefuerit, in nostris ecclesiis recitetur. — **Harduini** *Conc.* II. 1106.

381.

Felix IV. PP. A. 526. ss. de relationibus ad Sedem Apost. tamquam Caput Ecclesiae faciendis.

MON. *Epist. ad omnes Eppos.* Magno munere misericordiae Dei totius Ecclesiae catholicae multiplicata sunt gaudia, cum Ecclesiarum status eo viget ordine, quo apostolorum successores illum statuerunt. Et cum antiqui hostis astutia eum turbari agnoscimus, non modico contristamur moerore. Quam ob causam hortamur, monemus et flagitamus, ut a tramite apostolicae institutionis nequaquam recedatis, *nec a capite dissideatis,* sed fidem et ordinem, quem apostoli et apostolici viri statuerunt, absque ulla haesitatione teneatis. — Sanctitatis vestrae scripta, quae *ad Sedem Apostolicam misistis super quibusdam consultis, quasi ad Caput, ut inde acciperetis responsa, unde omnis Ecclesia totius religionis sumsit exordium*, gratanter suscepi, et breviter vobis respondere curavi. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 65. p. 15.

382.

Bonifacius II. PP. A. 530. s. ad S. Sedis iura pertinere significat, in Ecclesia universa quaelibet noxia corrigendi ac emendandi.

MON. *Epist. ad Eulalium Eppum Alexandrinum.* Olim ab initio tantam percepimus *a beato Petro apostolorum principe* fiduciam, ut habeamus *auctoritatem universali Ecclesiae* auxiliante Domino *subvenire, et quidquid nocivum est, auctoritate apostolica corrigere et emendare.* Ad hoc enim divinae dispositionis provisio gradus diversos et ordines constituit esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, una concordiae fieret ex diversitate contextio, et recte officiorum generaretur administratio singulorum. — Quia igitur unumquodque salubriter tunc completur officium, cum fuerit unus, ad quem recurri possit, praepositus: vota nostra caritatem tuam latere nolumus, ne qui particeps fuit sollicitudinis, gaudiorum fructu reddatur extorris. Et ideo CPnam Ecclesiam ad communionem nostram redisse Domino propitiante tradentibus significamus alloquiis, et mandatorum, quae legatis nostris dedimus, seriem in omnibus fuisse completam. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 65. p. 43.

383—386.

Fulgentius Ruspensis, A. 533. Ecclesiam Romanam, cacumen mundi, in beato Petro omnem a Domino accepisse potestatem affirmat.

383. MON. *Epist. 17. cap. 11.* — Omnis, qui in nomine Patris et Filii et Spiritus S. sacramento sanctae regenerationis abluitur, nonnisi in Christi morte ac nomine baptisatur, ut evi-

denter appareat, illi nos consepultos esse per baptismum in morte, in cuius uno cum Patris et Spiritus S. constat nomine baptisatos. Quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet Paulique verbis tamquam splendentibus radiis illustrata eorumque decorata corporibus *Romana, quae mundi cacumen est, tenet et docet Ecclesia,* totusque cum ea christianus orbis, et ad iustitiam nihil haesitans credit, et ad salutem non dubitat confiteri.

384. *Lib. I. de remiss. peccator. cap. 19.* In *sola Ecclesia Catholica* datur et accipitur remissio peccatorum, quam ipse sponsus unam dicit esse columbam suam, unam electam suam, *quam super petram fundavit, cui claves regni coelorum dedit, cui etiam potestatem ligandi solvendique concessit,* sicut beato *Petro* Veritas ipsa veraciter repromittit dicens: Tu es Petrus etc. Ab hac Ecclesia, quae claves regni coelorum accepit, quisquis foris est, non coeli viam graditur sed inferni, nec tendit ad aeternae vitae domum, sed currit ad mortis aeternae supplicium. — Ille salvatur sacramento baptismatis, *quem intra Ecclesiam Catholicam usque ad obitum praesentis vitae tenuerit unitas caritatis.* —

385. *Lib. de fide cap. 2.* — Omni homini in hac vita esse potest utilis poenitentia, quam quocunque tempore homo egerit.— Sed poenitentia peccatori tunc prodest, si eam in *Ecclesia Catholica* gerat, cui Deus *in persona beati Petri* ligandi solvendique tribuit potestatem. —

386. *Serm. 57.* Salus tota gregis coelestis est cura pastoris, qui descendit inclinatis coelis, ut iacentes erigeret oves, quas dispersas fecerat lupi praeda raptoris. — Adhuc curat gregem per propriam passionem. — Commendat Patri, commendat et *Petro.* Patri commendat passurus, Petro commendat ad coelestia rediturus. — *Pasce oves meas! — Praeficio te ovili pastorem.* Dimitto te ovibus meis vicarium curatorem. — Ante pascua plantat, et sic oves Petro commendat. — Commendat secundo et tertio, et revertitur ad coelos sedens in proprio throno. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 65. p. 463. 542. 675. 927.

387—389.

Ioannes II PP. A. 532. ss. tum ab Imperatore Iustiniano, tum ab Eppis Africanis conspicua recipit de Primatiali sua dignitate, ab utrinque agnita et honorata, testimonia.

387. MON. *Iustinianus Imperator ad Pontificem.* Reddentes honorem Apostolicae Sedi et vestrae sanctitati, quod semper nobis in voto fuit et est, ut et decet patrem, honorantes vestram beatitudinem, *omnia, quae ad ecclesiarum statum pertinent, festinamus ad notitiam deferre vestrae sanctitatis :* quoniam semper nobis fuit magnum studium, *unitatem vestrae Apost. Sedis* et statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet et incommote permanet, nulla intercedente contrarietate. Itaque *omnes sacerdotes universi Orientalis tractus et subiicere et unire Sedi vestrae sanctitatis* properavimus. — Nec patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum et indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam vestrae innotescat sanctitati, *quae Caput est omnium sanctarum Ecclesiarum.* — Manifestum igitur facimus vestrae sanctitati, quod pauci quidam infideles et alieni sanctae Dei sedi, catholicae atque apostolicae Ecclesiae contradicere iudaice atque apostatice ausi sunt adversus ea, quae ab omnibus sacerdotibus secundum vestram doctrinam recte tenentur, et glorificantur, atque praedicantur. — Petimus ergo, ut vestris ad nos destinatis literis — manifestum nobis faciatis, quod omnes, qui praedicta recte confitentur, suscipit vestra sanctitas, et eorum, qui iudaice ausi sunt rectam denegare fidem, condemnat perfidiam. — *)

*) Iustinianus Imperator de Primatu Rom. Ecclesiae in legibus quoque suis egregie se enunciavit, signanter Novel. IV: — ‚Ut legum originem anterior Roma sortita est, ita Summi Pontificatus apicem apud eam esse, nemo est qui dubitet. Unde et nos necessarium duximus, patriam legum, fontem sacerdotii, speciali nostri numinis lege illustrare, ut ex hac in universas ecclesias catholicas, quae usque ad Oceanum fretum positae sunt, saluberrimae legis vigor extendatur.‘

388. *Rescriptum Papae ad Imper.* Inter claras sapientiae ac mansvetudinis vestrae laudes, christianissime Principum, puriore luce tamquam aliquod sidus irradiat, quod amore fidei, quod caritatis studio, edocti ecclesiasticis disciplinis, *Romanae Sedis reverentiam conservatis, et ei cuncta subiicitis, et ad eius deducitis unitatem*, ad cuius auctorem, hoc est, Apostolorum primum, Domino loquente praeceptum est: Pasce oves meas; quam esse omnium vere Ecclesiarum caput et patrum regulae et principum statuta declarant, et pietatis vestrae reverendissimi testantur affatus. — Proinde serenitatis vestrae apices per Hypatium atque Demetrium — reverentia consveta suscepimus: quorum etiam relatione comperimus, quod fidelibus populis proposuistis edictum amore fidei pro submovenda haereticorum intentione secundum apostolicam doctrinam, fratrum et coepiscoporum nostrorum interveniente consensu: quod quia apostolicae doctrinae convenit, nostra auctoritate confirmamus. — Liquet igitur, imperator gloriosissime, — vos apostolicis eruditionibus studere, cum de religionis catholicae fide ea sapitis, ea scribitis et publicatis, quae et Sedis Apost. doctrina et ss. patrum veneranda decernit auctoritas, et nos confirmamus in omnibus. — Haec est vera vestra fides, haec certa religio, hoc beatae record. patres omnes praesulesque Romanae Ecclesiae, quos in omnibus sequimur, hoc Sedes Apostolica praedicavit hactenus, et inconcusse custodivit: huic confessioni, huic fidei quisquis contradictor extiterit, alienum seipsum a sancta communione, alienum ab Ecclesia iudicabit esse catholica. —

389. *Eppi Africani ad Papam.* Optimam consvetudinem praeteriti temporis, quam violenta captivitas per annos 100, dolentibus cunctis, abstulerat, iterum servare cupientes, ad universalem totius Africae synodum fidei devotione convenimus. — Definitionibus Nicaeni Concilii publica lectione transcursis, inter alia — disputatione requiri iam coeperat, quomodo Arianorum sacerdotes ad catholicam fidem suscipi oporteat, utrumne in suis honoribus, an in laica communione; sic omnibus nobis unanimiter subito placuit *sciscitari primitus beatitudinis vestrae sententiam. Potest enim Sedes Apostolica,* quantum speramus, *tale nobis interrogantibus dare responsum, quale nos approbare concorditer explorata veritas faciat.* Ex omnium quidem collegarum tacitis motibus nemini placere sensimus, ut

in suis honoribus Ariani suscipiantur. Verumtamen convenire veritati credidimus, ut quid habeat sensus noster, in publicam notitiam nemo perduceret, nisi prius vel consvetudo nobis, vel *diffinitio Romanae Ecclesiae* proderetur. Hanc igitur nostrae salutationis epistolam — continuo destinavimus, et auctoritatem vestrae beatitudinis et gratiam debitis obsequiis honorantes. — Unde etiam libera caritas universae fraternitatis requirendum putavit consilium tuum. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 66, p. 14. ss.

390—394.

C. CPnum, A. 536. celebratum sententiam suam adversus Anthimum CPnum aliosve haeresi faventes, suprema Sedis Apost. auctoritate confirmari orat apud Agapitum Papam.

390. MON. *Epporum Orientalium epistola ad Agapitum Papam contra Anthimum aliosque Acephalos.* Ex quo Christus Deus noster pro debitis vobis proemiis propter ipsius in omni tempore cum vera fiducia, sua invisibili ac terribili virtute divulgatam confessionem, super venerabile caput vestrum requiescere fecit, cum Sedem Apostolorum vobis, Pater beatissime, commisit, et firmavit super firmam petram pedes vestros, et direxit gressus vestros, et implevit os vestrum cantico novo, hymno Deo nostro: speraverunt in Domino secundum psalmicum eloquium clarificati a spirituali splendore vestro, per quem tamquam lucerna resplendens super sancto candelabro, caliginem eorum, qui in tenebris sedent, et coecos illuminastis, et oculos mentis ipsorum aperuistis. Propterea confisi et credentes divino eloquio dicenti, in tempore non timebit cor confugiens ad intellectum, et experientia cognoscentes, vos esse diligentes custodes thesaurorum apostolicorum : exossavimus modo *Anthimum,* — qui convenientem sibi sponsam dimisit, et aliam contra divinos canones accipere ausus est. — *Severus* facinorosus, qui contra Deum semper locutus est iniquitatem, et quandoque qui-

dem Graecorum vanidicorum mysteriis imbutus ipsa honoravit, quandoque vero Eutychis insaniam docuit, et in tota vita dixit bene valere fidei Christianorum; — invalidisque anathematibus implevit totum mundum, — contra sanctam oecumenicam Chalcedonensem Synodum, et contra sacras ac Deo dilectas epistolas sanctae memoriae Leonis Papae, qui fuit illuminator et columna Ecclesiae, quique firmavit fideles ambulare in recta semita. — Praetereuntes multitudinem eorum, quae praesumta sunt ab ipso, — supplicamus, sanctissime, — clamamus, adiuva nos, et sanctas animas occisas, quas adstare cogitate prudenter; — studete longe expellere ipsum pollutum, et abdicatum, qui anathematibus scriptis, et apertius ab Apostolica Sede vestra et a tantis pontificibus — iam condemnatus est. — Rogamus etiam finem perfectum imponere divinae ac vestrae sententiae contra Anthimum, paternis vestris decretis convenientem, ut omne de medio extingvatur scandalum a parvulis in Dominum credentibus, et optatam vocem audietis ab omnibus nobis. Custodiat Dominus Sedem vestram, ac piissimi Imperatoris nostri, tamquam dies coeli: quae Petri imitationes salvat, et nos a tribulationibus salvat, et eos qui nos odiunt, confundit. —

391. *Agapiti Papae epistola synodica ad Petrum Iustinopolitanum AEppum directa.* Voluissemus quidem, fratres dilecti, propter coniunctionem nostrae caritatis, omnes Domini sacerdotes iuxta apostolicam traditionem irreprehensibiles invenisse, et neminem aut per gratiam aut per metum ab eccles. canonibus declinare. Sed quoniam multa multoties subsequuntur, quae poenitudinem parere possunt, et Dei misericordia delicta peccatorum vincit, et idcirco differtur poena, ut reformatio locum invenire possit, monere necessarium iudicavimus, et ut assumta de cetero impraevaricata custodiantur. — Cum itaque pervenimus ad comitatum serenissimi nostri Imperatoris filii nostri, invenimus sedem CPnae Ecclesiae contra omnem canonum honestatem ab Anthimo ecclesiae Trapezundarum eppo inconvenienter usurpatam, cuius animam non solum secundum istam partem, sed quod maius est, in confessione verae fidei a perditione reducere desideravimus; sed Eutychis errori insistens ad viam veritatis redire contemsit. Unde cum ipsius in fide poenitentiam isto modo expectamus, neque catholico neque sacro nomine dignum esse sententiavimus, donec omnia a patribus tradita, per

quae verae religionis fides et disciplina custoditur, secundum congruentem satisfactionem suscipiat. Ceteros vero similis contumaciae ipsius et sententia Apost. Sedis condemnatos similiter caritas vestra aversetur. CPnae vero sedis iniuriam Apostolica auctoritate adiuvante et adiutorio fidelissimorum Imperatorum emendabimus. Et modum quemdam admirati sumus, quod istud opus ita aperte contrarium decretis patrum vestra fraternitas non solum ad notitiam nostram adducere neglexit, sed et reprehensibili consensu confirmavit. Sed regratiamur Deo, cuius spiritu mala ad melius utplurimum vertuntur, et parvae transgressiones ad utilitatem et occasionem magni fuerint gaudii. Hoc autem pro excitanda vestrae conspiritualitatis laetitia significo, quod Menam fratrem et coëpiscopum nostrum, virum multis laudum modis ornatum praedicta CPna ecclesia eppum suscepit: — et hoc dignitati suae additum esse credimus, quod a temporibus Petri apostoli nullum alium unquam Orientalis Ecclesia suscepit eppum manibus nostrae sedis ordinatum. —

392. *Sententia Synodi decreto Agapiti PP. conformis.* Multarum transgressionum *Anthimus* reus demonstratus est; *(enumeratis factis eius ac erroribus,)* — at magno Deo et Salvatore nostro Iesu Christo non permittente talia usque in finem procedere, missus est huic regiae urbi secundum ipsius deitatem Agapitus sanctae et beatae memoriae Papa beatissimus, qui statim sacris canonibus manum cum Deo porrexit, et ipsum de sede sibi non conveniente depulit, data venia his, qui talis rei participes aut communicatores sunt: et regiae ac Deo custoditae civitati sacrum ornatum suum reddidit, cum ostendit vestram beatitudinem *(Mennam* Synodi praesidem) huic sacrae magnae sedi praeesse. — Multis quidem sudoribus ipse beatissimus Papa animam ipsius paternaliter revocare studuit, sic tamen insanabiliter habere invenit et pia dogmata recusantem: — sententiam itaque profert in scriptis plenam clementia et decenti sanctitate differens ei tempus poenitentiae, decernensque, donec a tali opinione mutatus satisfecerit his, quae a sanctis patribus doctrinaliter et canonice diffinita sunt, ipsum non habere nomen catholici neque sacerdotis. — Nos venerabiles canones ss. patrum nostrorum sequentes, sacris vocationibus ipsum advocavimus, et tempus poenitentiae ei dedimus, et latenti ac medelam recusanti proclamatione manifesta fecimus, quae a nobis facta sunt.

Cumque in his omnibus ipsum ad conversionem adducere non potuerimus, apertam hanc ipsius haeresis demonstrationem accipientes, sequentesque ea, quae a beatissimo Papa bene examinata sunt, conspicimus omnino ipsum tamquam membrum inutile et putridum abiici de corpore sanctarum Dei ecclesiarum, et extra eppatum Trapezuntinum esse, et alienum ab omni sacra dignitate et potestate, et iuxta ipsius sanctissimi Papae sententiam, a catholica appellatione.

393. *Sententia eiusdem Synodi contra Severum, et Petrum ductu literarum Hormisdae Papae pronunciata. — Eppi partium Italiae et diaconi Sedis Apostolicae dixerunt:* Dudum cognitum est diffinitionibus Apostolici praesulis Hormisdae, Severum et Petrum, sive complices suos et qui ipsos sequuntur, pro manifesto eorum errore condemnatos esse: quod et nos sequaces per omnia Apostolicae Sedis sancimus, in loco videlicet et numero condemnatorum ipsos esse confitemur. Verum non modo praedicti Severi impia scripta, in quibus diffinitiones sanctae Chalcedonensis synodi et epistolas beatae memoriae Leonis Papae blasphemo ore anathematisare praesumsit, sed etiam Zoaram et omnes in ipsorum communione seu errore permanentes eiusdem sententiae severitas sive eiusdem anathematis vincula comprehendent. *Synodus dixit:* — Ex omnibus lectis invenimus Severum et Petrum totius ecclesiae catholicae imo et ipsius orthodoxae fidei apostatas et abscissos ac simpliciorum animarum insidiatores, nec non impiorum haereticorum fautores, utpote ipsorum frequentibus erroribus implicatos. Verum et sacras sanctiones ss. patrum nostrorum pro nihilo putaverunt, et his interdicta periculose facere praesumserunt. Et propter haec in sacras sententias lectas inciderunt. Idcirco et nos ipsas sequentes, praedictos Severum et Petrum — habemus factos in ordine haereticorum quos dilexerunt, — et sequendo memoratos ss. patres, — anathematisamus ipsos etc. — Manifestum autem est, quod eiusdem condemnationis sunt Zoaras impiissimus, et omnes, qui venerabilibus altaribus et baptisteriis sua haeretica conventicula opposuerunt. Et simili modo anathematisamus parabaptismata, et impia scripta praedicti Severi. Aequaliter enim, sicut dicit divina scriptura, odibilia sunt Deo impius et impietas ipsius. — **Harduini** *Conc.* II. 1218. 1226. 1258. 1394.

394. *Agapiti PP. epist. ad Eppos Africanos.* — Cum literas

caritatis vestrae ad praedecessorem nostrum datas accepimus, pridem gaudia concepta renovamus, benedicentes Dominum sempiternum, qui liberavit nos ab inimicis nostris et de manu omnium, qui nos oderunt. Vobiscum enim recte nos dicimus, cum quibus et tribulati sumus. Nam cum unum corpus ubique sit Ecclesia, et apud nos quoque principalia compatiebantur membra. — Proferimus sincerissimam consilii vestri caritatem, quoniam — immemores *principatus apostolici* non fuistis, sed quaestionis illatae volentes vincula dissolvere, *ab eius Sede requisivistis aditum, cui potestas est indulta claustrorum.* Unde nos ea, quae de eiusmodi negotio in penetralibus patrum constituta posuerunt, libenter aperimus, et praesentibus alloquiis translata subnectimus, ut sine dubitatione possitis agnoscere, transcendi positos iamdudum terminos non licere etc. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 66 p. 43.

395—402.

Vigilius PP. A. 540. ss. tum per epistolas, tum sub Generali Concilio CPno II. omnem exseruit auctoritatis suae vim, ut doctrinam Ecclesiae custodiret; suprema ipsius auctoritate ab Imperatore aeque ac Concilio agnita.

INTR. Constat ex historia, Vigilium, adhuc sub Silverio Papa favore Theodorae Augustae in Sedem Pontificalem intrusum, post obitum Silverii pontificatu se sub spe forsan futurae electionis abdicasse; Clericis autem Romanis metum iniectum fuisse, ne, si Vigilium, notoriis contaminatum criminibus eligerent, in sacros canones peccarent, si vero praeterirent, schismati ansam praeberent. Divina tamen permissione evenit, ut omnium consensu Vigilius eligeretur; et admirabili exemplo accidit, ut Vigilius post electionem suam ea, quae antecessores sui adversus Anthimum CPnum ceterosve haereticos decreverant, iterum confirmaret. Omnem moverunt lapidem haeretici, ut palam

fieret ipsorum triumphus de naufragio naviculae Petri sub Vigilii pontificatu. Verum ex actis huius Pontificis, ut doctissimus Severinus Binius probe advertit, singularis Dei erga Romanam Ecclesiam providentia, atque admiranda Apostolicae Sedis auctoritas elucet. Licet enim imperatricis aliorumque desiderio speratum fuerit, navim Petri eo ducendam, quo ipsi suo affectu moverent Vigilium: tamen residens in ea Christus huc atque illuc universam navim pro arbitrio vertit, et quamquam fluctus contrarii eam urserint, flantesque venti in partem adversam quandoque impulerint, numquam tamen ipsa navicula toto legitimi pontificatus Vigilii tempore in scopulos impegit, vel in syrtes offendit, ictibusque undarum crebrioribus dissoluta fuit, sed potius illaesa permansit, omnemque illam aquam, quam per lata foramina influentem excepit, integre ad summam siccitatem vicissim excussit.

395. MON. *Epist. ad Eutherium (iuxta alios Profuturum) Eppum.* Directas ad nos tuae caritatis epistolas, plenas catholicae inquisitionis sollicitudine gratanter accepimus, benedicentes Dei nostri clementiam, quia tales in extremis mundi partibus dignatus est suis ovibus providere pastores, per quos et pascuis valeant salutaribus abundare, et ab antiqui hostis rapacitate servari, ut insidias nequeant eius subreptionis incurrere. Unde certum est, quia promissae vos beatitudinis gratia subsequatur, quando vobis coelestium perfectio doctrinarum tam votiva sciscitatione perquiritur. — Hoc igitur, frater carissime, propositum tuae consultationis tota mente tractantes, de te quoque provenire confidimus, qui regulam catholicae fidei iisdem studes tenere vestigiis, quibus eam in Apostolica sede cognoscis esse fundatam. — Quapropter dilectionem tuam in Domino salutantes, de singulis quid iuxta catholicam disciplinam teneat Apost. Sedis auctoritas, subiectis aliquibus etiam sanctarum capitulis regularum te credimus instruendum. — 7. Nulli vel tenuiter sentienti vel pleniter sapienti dubium est, quod *Ecclesia Romana fundamentum et forma sit Ecclesiarum, a quo omnes Ecclesias principium sumsisse nemo recte credentium ignorat.* Quoniam licet omnium apostolorum par esset electio, beato tamen *Petro* concessum est, ut ceteris *praemineret*, unde et Cephas vocatur, quia caput est et principium omnium apostolorum, et quod in capite praecessit, in membris sequi necesse est.

Quamobrem S. *Romana Ecclesia* eius merito Domini voce consecrata et ss. patrum auctoritate roborata *primatum tenet omnium ecclesiarum;* ad quam tam summa epporum negotia et iudicia atque querelae, quam et maiores Ecclesiarum quaestiones quasi ad caput semper referenda sunt. Nam et qui se scit aliis esse praepositum, non moleste ferat aliquem esse sibi praelatum. Ipsa namque Ecclesia quae prima est, ita reliquis Ecclesiis vices suas credidit largiendas, ut in partem sint vocatae sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Unde omnium appellantium apostolicam sedem epporum iudicia et cunctarum maiorum negotia causarum eidem S. Sedi reservata esse liquet; praesertim cum in his omnibus eius semper sit expectandum consul.um : cuius tramiti si quis obviare tentaverit sacerdotum, causas se non sine sui honoris periculo apud eandem S. Sedem noverit redditurum. —

396. *Ep. ad Iustinianum Imp.* Literis clementiae vestrae — assveta veneratione susceptis, iucunditate multiplici universali Ecclesiae gaudendum esse perspeximus, quod christianam fidem, qua divina Trinitas honoratur et colitur, in nullo dissimilem, in nullo permittitis esse discordem. — Unde nos in Domino nimium convenit gloriari, quod non imperialem solum sed etiam sacerdotalem vobis animum concedere sua miseratione dignatus est, et quod omnes pontifices antiqua in offerendo sacrificia traditione deposcimus, exorantes, ut catholicam fidem adunare, regere Dominus et custodire toto orbe dignetur, summis hoc pietas vestra viribus effecit, cum per omnes regni vestri partes — eam fidem, quam per venerabiles Synodos — constat irreprehensibiliter solidatam, inconcussa iubeatis pace servari. — Ex qua re, venerabilis imperator, devota venerationis gratulatione suscipimus, quod ardore fidei et svavis iracundiae commotione succensi, nobis etiam pios direxistis affatus, in quibus beatae record. Coelestinum atque Leonem apost. sedis praesules, qui singulas haereses pro divina sibi dispensatione commissa cum synodali congregatione damnantes, quid cuncti generaliter sequi debeant christiani, mansura in aevum lege sanxerunt, laudabili commemoratis affectu. Quorum probabilia constituta sanctae record. Hormisdas, atque Ioannes senior, nec non et Agapitus decessores nostri per omnia conservantes universos Nestorianae atque Eutychianae sequaces haeresis iustae mucrone sententiae perculerunt. Quod nos summis viribus sequi summoque adnisu

defendere pietatis vestrae clementia indubitabiliter agnoscat. — Haec ergo nos — per omnia sequentes, et eorum doctrinae contrarios probabili apost. sedis auctoritate damnantes, anathematisamus eos, quicunque de fidei eius expositione vel rectitudine aut disputare perverse, aut infideliter dubitare tentaverint. — Et licet pietatem vestram aliter de taciturnitate nostra suspicari vel intelligere voluerit malignus interpres, nos tamen, *quos beatus Petrus apostolus omni poscenti rationem reddere pia traditione constituit,* libenti animo Christianitati vestrae satisfaciendum esse perspeximus, suppliciter sperantes, ut nullius subrepentis insidiis *privilegia Sedis beati Petri apostoli* temporibus vestris in aliquo permittatis imminui. —

397. *Ad Eppum CPnum Mennam.* Licet universa, prout Deo auxiliante potuimus et credidimus expedire, domino filio nostro sereniss. imperatori de eccles. causis nostrae insinuationis sermone suggesserimus: necessarium tamen iudicavimus et caritati vestrae — scripta dirigere, quibus nos grandi exultatione et gaudio suscepisse cognoscite, quod Nicaenam etc. synodos, in quibus fidei orthodoxae atque apostolicae fundamenta monstrantur, sicut pollicitationis vestrae tunc ad praedec. notrum Agapetum lectio data testatur, inviolabiliter vos asseritis custodire, et maxime beati Leonis praedec. nostri sequi in omnibus constituta. Quid est caritati tuae dignius honoris quod conveniat, *nisi a Romanorum Praesulum non deviare doctrina?* — Unde spiritualiter salutantes te, hortamur, — ut illius normam, illius, sicut et promisisti et indicas, sequaris in omnibus constituta. — De his vero, quibus te — anathema dixisse cognovimus, in quibus non aliquid novum sententiae olim a patribus decretae iunxisti, nec talibus praesulibus beati Petri vicariis in auctores haeresum ipsarum data sententia penitus indigebat, — grate admodum et libenter amplectimur, et auctoritatis Sedis Apostolicae, cui nos Deus praesidere voluit, interpositione firmamus. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 69. p. 15. ss.

398. *Vigilius PP. sub Concilio CPno II Gener. V. a. 553. Theodorum Caesareensem aliosve Eppos excommunicat.* Res est quidem divinae consentiens iussioni, patientiam praebere peccantibus, quam non tamen adusque decet extendi, ut spe continûae impunitatis iugiter sine correptione pecctur. Quoniam igitur tu, Theodore, Caesareae Cappadociae civitatis episcopo, qui hacte-

nus ab ordinationis tuae tempore unius anni spatio in ecclesia, cuius gubernacula susceperas, non passus es residere, sed auctoritate nominis eppalis abusus, universali ecclesiae scandala generare non cessas, et a nobis modo familiariter obiurgatus, modo precibus obsecratus, nonnumquam vero fraterna increpatione correptus, saepe etiam divinarum scripturarum auctoritate commonitus, vel ecclesiasticae consvetudinis convictus exemplis, semper emendationem sermone promittens, quam factis nequissimis respuebas, numquam a prava intentione cessasti; nos vero longanimitatem nostram divina largitate concessam tam circa te, quam circa seductos abs te pene hoc quinquennio elapso monstravimus; — et dum amplius quam iustum fuerat patientiam tuis facinoribus praeberemus, ad hoc est causa perducta, quatenus semotis omnibus, quae de *Trium Capitulorum* a quibuslibet dicto scriptove fuerant ordinata, quid de ipsa re facto opus esset, cum Africanarum, Illyricianarum, seu aliarum partium congregata synodo tractaremus, — illud quoque magnopere nobis cum clementissimo Principe, praesentibus etiam Menna CPnae civitatis, et Datio Mediolanensis urbis antistite, aliisque tam Graecis quam Latinis Eppis, cum quibus omnibus etiam tu, Theodore, pariter adfuisti, nec non et praesentibus iudicibus atque proceribus universoque senatu convenit, ne usque ad memoratam Concilii diffinitionem quidquam de praefatis tribus capitulis ab aliquo fieri intentaretur; ac deinde tuis ex consvetudine incitamentis liber condemnationem capitulorum ipsorum continens, in palatio te assistente et instruente coram quibusdam Graecis Eppis est relectus, a quibus assentationum favorem tuis vocibus exigebas; — et usque ad hoc animum christianissimi principis falsis suggestionibus perduxisti, ut clementia eius, quae in suis hostibus pia semper apparuit, contra nos praviter moveretur; — ne detenti enumeratione culparum, quarum inventor ostenderis, quod tibi competit, diutius differamus: ex persona et auctoritate beati Petri Apostoli, cuius licet exigui nos locum gerimus, — hac sententiae promulgatione Theodorum Caesareae Cappadociae civitatis quondam eppum tam sacerdotali honore et communione catholica quam omni officio eppali seu potestate spoliatum esse decernimus. — Teque Mennam CPnae civitatis eppum, qui non dissimili culpa constringeris, cum omnibus metropolitanis et micropolitanis eppis ad tuam dioecesim pertinen-

tibus, sed et tuos Orientales — eppos, qui his excessibus — praebuistis assensum, humaniore sententia pro Dei consideratione tamdiu a sacra communione suspendimus, donec unusquisque vestrum errorem suae praevaricationis agnoscens culpam apud nos propriam competenti satisfactione diluerit. —

399. *Constitutum Vigilii Papae de tribus Capitulis.* Gloriosissimo et clementissimo filio Iustiniano Augusto Vigilius Eppus. Inter innumeras sollicitudines, quibus oneratur imperiale fastigium, laudabile clementiae vestrae cognovimus esse propositum, per quod submotis omnibus discordiae seminibus, quae in agro Domini humani generis inimicus asperserat, universos Domini sacerdotes praemissis ad testimonium conscientiae suae professionibus, per quas ss. patrum et venerabilium quatuor synodorum ac Praesulum Sedis Apostolicae inhaerere definitionibus atque iudiciis monstrarentur, ad unitatem atque concordiam restituere properastis: quarum professionum formam, ut ecclesiasticae pacis amplectendum posteris tradatur exemplum, praesenti, quemadmodum se habet, inserta pagina declaramus. *Exemplum primae professionis:* ‚Omnes quidem fideles, maxime vero Dei sacerdotes, pacem et sanctificationem sequi cum omnibus oportet, sine quibus nemo, secundum Apostolum, videbit Dominum. Nos igitur Apostolicam sequentes doctrinam, et festinantes concordiam eccles. servare, praesentem facimus libellum. Inprimis quatuor S. Synodos etc. — nos promittimus sequuturos, — et quaecunque communi consensu cum legatis atque vicariis Sedis Apost. orthodoxe ibidem dicta sunt, ea orthodoxa veneramur atque suscipimus. — Libellum autem in causa trium Capitulorum, de quibus quaestio nata est, contra constitutum piissimi Principis et Beatitudinis Vestrae ego quidem nullum feci, sed volo atque consentio, ut omnes libelli qui facti sunt sub hac forma Beatitudini Vestrae reddantur. De iniuriis autem, quaecunque beatitudini vel Sedi vestrae factae sunt, eas quidem non feci, sed quia pro pace ecclesiae modis est omnibus festinandum, velut si eas fecissem, veniam postulo. Quia vero tempore discordiae excommunicatos vel non receptos a beatitudine vestra in communionem suscepi, pariter veniam postulo. Mennas CPnus etc.‘ — *Exemplum professionis alterius*: ‚Scientes quantorum bonorum causa est pax Dei, custodiens corda et sensus fidelium, et colligens eos, ut unum idemque sapiant in recta fidei confes-

sione, — ideo festinantes unitatem conservare, ad Apost. Sedem beatitudinis vestrae manifestum facimus, quod nos semper conservavimus et conservamus fidem ab initio traditam etc. — Suscipimus et amplectimur epistolas Praesulum Romanae Sedis Apostolicae tam aliorum, quam Leonis sanctae memoriae de recta fide scriptas; — cum igitur praedicta omnia et servavimus et servamus, et in iisdem nobis invicem consentimus, necessarium est conferri de tribus capitulis, unde quibusdam quaestio nata est. Et ideo petimus, praesidente nobis vestra beatitudine, — communi tractatu eadem capitula in medio proponenda quaeri et conferri, et finem quaestioni imponi Deo placitum etc. — Eutychius CPnus etc.' — *(Exposita dein historia collationum se inter ac Imperatorem institutarum, cum Imperator iudicium Sedis Apostolicae de negotio trium capitulorum urgeret, sic prosequitur Vigilius :)* — Propositis nobis et diligenter inspectis, in quantum uniuscuiusque capituli in quaestionem deducti ratio postulabat, synodalibus codicibus atque gestis; prolatis quae in aliis eorumdem patrum vel in sanctis IV synodis aut in una earum rescripsisse monstrantur, synodalibus epistolis, — inspicientes dogmata quaedam in prima chartacei voluminis — a vestra parte transmissi iacentia, quorum tenor secundum intellectum subter expositum ad excludendum totius ambiguitatis errorem praesenti definitioni nostrae tenetur insertus, plena execrabilibus blasphemiis, et orthodoxae fidei — quae secundum evangelicam apostolicamque doctrinam a sanctis IV Synodis Nicaena, CPna, Ephesina, atque Chalcedonensi probabiliter atque irreprehensibiliter Sancti Spiritus cooperante praesentia legitur definita — valde inimica esse perspeximus, et procul a christianis sensibus repellenda. Propterea ergo, utpote execrabilia atque a s. patribus olim sine dubitatione damnata, nostra quoque sententia anathematisamus atque damnamus. *(Sequitur fusa deductio et refutatio errorum Theodori Mopsuesteni in 60 capitulis.)* His igitur competenter et per orthodoxae fidei rectitudinem apostolicae sententiae auctoritate damnatis constituimus: ut ex omnibus istis, quae nos patrum statutis atque traditionibus inhaerentes apostolica auctoritate damnavimus, nulla iniuriandi praecedentes patres vel doctores ecclesiae, quae procul dubio scandala sacrosanctae ecclesiae suscitat, praebeatur occasio, anathematisamus omnem ad ordines ecclesiasticos pertinentem,

qui patribus atque doctoribus ecclesiae contumeliam ex suprascriptis impietatibus quodammodo adscribere vel irrogare voluerit. *(Progrediens dein Pontifex ad evolvendum, quod de auctore errorum Theodoro, iam mortuo, in sensu moris ab Apostolica Sede hactenus servati iudicare integrum haud sit, declarat:)* — Quibus omnibus diligenter inspectis — eum (Theodorum) nostra non audemus damnare sententia, sed nec ab alio quopiam condemnari concedimus. Absit tamen, ut suprascripta capitula dogmatum, quae secundum subiectos intelligentiae sensus a nobis constat esse damnata, — non solum sensu sed vel etiam aure patiamur admittere. — *(Recensitis porro et damnatis Theodoreti erroribus, et declarata Ibae Edesseni innocentia, sic concludit:)* His igitur a nobis cum omni undique cautela atque diligentia propter servandam inviolabilem reverentiam praedictarum synodorum et earumdem venerabilia constituta dispositis, memores scriptum esse, terminos patrum nostrorum nos transscendere non debere, statuimus et decernimus : nulli ad ordines et dignitates eccles. pertinenti licere quidquam contrarium his, quae praesenti asseruimus vel statuimus Constituto de saepedictis tribus capitulis aut conscribere, vel proferre, aut componere vel docere, aut aliquam post praesentem diffinitionem movere ulterius quaestionem. Si quid vero de iisdem tribus Capitulis contra haec quae hic asseruimus vel statuimus, — factum, dictum atque conscriptum est vel fuerit, hoc modis omnibus ex auctoritate Sedis Apostolicae, cui per gratiam Dei praesidemus, refutamus. —

400. *Eiusdem Pontificis epistola ad Patr. CPnum de instituendo communi quoad tria capitula tractatu in Synodo.* Repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione, quod discordiae confusione submota pacem Deus suae reformavit ecclesiae, ut impleretur quod dictum est: Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum. Valde enim nos in Domino exultare convenit, quod caritatis vestrae scripto nobis est oblata professio, cuius tenor ita sese habet: ‚Scientes quantorum bonorum etc.‘ *ut supra.* His autem et subscripsimus, huius professionis orthodoxae claritatem libenter complexi, eadem nos per omnia et in omnibus approbantes, custodituros atque inviolabiliter servaturos Deo nostro profitemur auctore. — Quibus ita praedictis postulationis vestrae desiderium cognoscen-

tes annuimus, ut de tribus capitulis, ex quibus quaestio nata est, facto regulari conventu, servata aequitate, mediis sacrosanctis evangeliis, collationem cum unitis fratribus habeamus, et finis detur placitus Deo, et conveniens his, quae a sanctis IV sunt definita conciliis, scientes utique, sicut et communis professionis testimonio declaratur, memoratarum synodorum in omnibus reverentiam custodiri. —

401. *Epistola Concilii ad Vigilium PP.* Decebat vere, *cum primam inter sacerdotes dignitatem sortiti estis, Sanctissimi, ea, quae ad sanctarum Ecclesiarum statum respiciunt, manifesta vestrae divinitus honoratae Beatitudini fieri.* Hoc bene et christ. noster Imperator considerans, et ad vestram scientiam quaedam, quae de Theodoro quondam Mopsuestenae Ecclesiae Eppo mota sunt, iussit referri. Piissimis enim ad nos literis usus, hortatus est ad Mopsuestenam civitatem convenire, quae una secundae Ciliciae est, et cum subtilitate perscrutari, quando Theodorus, qui olim praedictae civitatis fuit Eppus, sacris dyptichis eiectus est, et manifesta ea tam eius tranquillitati quam vestrae divinitus honoratae Beatitudini fieri. *(Sequitur brevis enarratio de conventu Mopsuesteno, tum concludunt:)* — Haec ita habere ipsa gesta vobis Sanctissimis manifestent, quae humili suggestioni coniungentes, ad scientiam vestram destinavimus. Sed petimus divinitus inspiratos vos religiosissimis et Deum placantibus vestris orationibus nos humiles suffulcire.

402. *Epistola decretalis eiusdem Papae ad Patr. CPnum pro confirmatione Synodi CPnae.* Scandala, quae humani generis inimicus in universo mundo excitavit, nullus ignorat, adeo ut unumquemque propositum suum ad subvertendam Dei Ecclesiam per universum orbem diffusam quocunque modo implere satagentem non tantum suo nomine sed etiam nostro atque aliorum, diversa tum loquendo, tum scribendo componere impulerit, in tantum, ut nos ipsos una cum fratribus et coëpiscopis nostris in urbe regia degentes, et aequali reverentia IV synodos vindicantes, et in una eademque quatuor illarum synodorum fide persistentes cavillationibus, versutiis et dolo malo ab iis dividere conatus fuerit, ita, ut nos ipsi, qui eiusdem cum illis eramus et sumus de fide sententiae, insuperhabita dilectione fraterna in discordiam abierimus. Sed quoniam Christus Deus noster, qui est lux vera, quem tenebrae non comprehendunt, omni confu-

sione a mentibus nostris remota universum orbem et ecclesiam ad pacem revocavit, ita, ut quae a nobis definiri debent, revelante Domino, et veritate investigata salubriter impleta sint: idcirco sciat vestrum universa fraternitas, quod quatuor synodos, hoc est, Nicaenam, CPnam, Ephesinam et Chalcedonensem una cum iisdem fratribus nostris in omnibus suscipimus et devota mente veneramur atque unanimiter servamus. Et si qui easdem sanctas synodos in omnibus, quae ab ipsis de sancta fide definita sunt, non sequuntur, eos a coetu sanctae et catholicae ecclesiae alienos iudicamus. Quapropter desiderantes ea scire fraternitatem vestram, quae a nobis facta sunt, his nostris literis ipsi manifestum facimus. Quoniam nulli dubium est, quot quantaque mota sunt, ob tria capitula, — et quam diversa de tribus illis capitulis dicta atque conscripta sunt: ideo si in omni negotio sapientiae ratio postulat, ut id, de quo quaeritur, retractetur, neque pudori esse debet, cum ea, quae ab initio omissa studio deinde veritatis inveniuntur, in publicum eduntur, quanto magis ecclesiasticis disceptationibus convenit, eandem rationem in illis quoque observari? praecipue cum manifestum sit patres nostros et maxime beatissimum Augustinum, qui in divinis scripturis claruit, Romanae eloquentiae magistrum, propria scripta retractasse, dictaque sua correxisse, atque illa, quae omiserat ac deinde invenerat, addidisse. Nos quoque similiter illis exemplis incitati, in controversia trium capitulorum numquam destitimus, quin investigaremus, quid de praedictis tribus capitulis in patrum nostrorum literis verius inveniri posset. Unde patuit revera, dictis Theodori Mopsuesteni sermonibus, qui ubique redarguuntur, pleraque contraria rectae fidei et doctrinis ss. patrum contineri. — Propterea igitur agnoscat universa ecclesia catholica, nos iuste et irreprehensibiliter ad ea, quae hac nostra constitutione comprehenduntur, devenisse. Unde condemnamus et anathematisamus una cum aliis omnibus haereticis, qui, ut manifestum est, damnati et anathematisati sunt a praedictis sanctis IV synodis, et ab ecclesia catholica, Theodorum olim Mopsuestiae Eppum, et impia eius scripta: nihilominus ea quoque, quae a Theodoreto scripta sunt contra rectam fidem; — praeterea — condemnamus epistolam ad Marim Persam haereticum, quae ab Iba scripta dicitur. — Quae vero aut a me, aut ab aliis ad defensionem praedictorum trium capi-

tulorum facta sunt, praesentis huius scripti nostri definitione evacuamus. — **Harduini** *Conc.* III. 8. 10. 62. 214.

---

403. 404.

Pelagius I PP. A. 555. ss. Eppos Tusciae redarguit ob intermissam Papae memoriam inter sacra mysteria. Eppum porro Arelatensem in Vicarium Sedis Ap. nominat.

403. MON. *Ad Eppos Tusciae.* Directam a vobis relationem — suscipientes, satis mirati sumus, ita vos auctoritatis Apostolicae oblitos, ut divisionem vestram ab universali Ecclesia meo etiam volueritis, quod absit, consensu firmari, et quos decuit popularem ignorantiam sacerdotali doctrina comprimere, in contumeliam Sedis Apostolicae plebis velle sequi iudicium. Nec ista dicentes iniuriam nostram dolemus, quibus donante Domino propositum est in mansvetudine supportantes omnia fraternae pacis vinculo custodire: sed, sicut diximus, divisionem vestram a generali Ecclesia, quam tolerabiliter ferre non potero, vehementer stupeo. Cum enim beatissimus Augustinus dominicae sententiae memor, *qua fundamentum Ecclesiae in apostolicis Sedibus collocavit,* in schismate esse dicat, quicunque se a Praesulis earumdem sedium auctoritate vel communione suspenderit, nec aliam manifestet esse Ecclesiam, nisi quae in pontificibus apostolicarum sedium est solidata radicibus: quomodo vos ab universi orbis communione separatos esse non creditis, *si mei inter sacra mysteria secundum consvetudinem nominis memoriam reticetis, in quo licet indigno Apostolicae Sedis per successionem episcopatus praesenti tempore videtis consistere firmitatem?* Sed ne apud vos forte, vel apud greges qui vobis commissi sunt, de fide nostra aliqua possit remanere suspicio, hoc dilectionem vestram certissime nosse desidero, me illam donante Domino custodire fidem, quam sacra Apostolorum doctrina constituit, quam Nicaenae Synodi firmavit auctoritas etc. — Hac igitur dilectio vestra fidei nostrae professione munita ignorantiam hominum, sicut sacerdotes decet, in

spiritu mansvetudinis edocere festinet, et a prava intentione modis omnibus revocare atque unitati Ecclesiae reddere. — Quodsi quis forte etiam post haec aliquem sibi superesse credit scrupulum, ab insano tumultu desinens, ad nos magis venire festinet, ut ex his quae dubitat, rationabili satisfactione percepta, laetus Deo propitio cognita veritate universali reformetur Ecclesiae. —

404. *Ad Eppum Arelatensem.* Maiorum nostrorum operante Dei misericordia cupientes inhaerere vestigiis, et eorum actus divino iuvamine in omnibus imitari, caritati tuae per universam Galliam sanctae Sedis Apostolicae, cui divina gratia praesidemus, vices iniungimus. Hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc etiam Romana testantur scrinia, a s. patribus et decessoribus nostris tuis decessoribus esse concessum, *ut illius stabilis petrae sempiterna soliditas, supra quam Dominus Salvator noster propriam fundavit Ecclesiam, a solis ortu usque ad occasum Primatus sui apicem successorum suorum auctoritate tam per se quam per vicarios suos firmiter obtineret.* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 69. p. 397. et **Bullarium** *edit. Taurin.* I. 154.

405.

Syn. Turonensis A. 570. de auctoritate S. Sedis.

MON. — Quis Sacerdotum contra decreta talia, quae a Sede Apost. processerunt, agere praesumat? — et quorum auctorum valere possit praedicatio, nisi quos Sedes Apostolica semper aut intromisit, aut apocryphos fecit? Et Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum praecepit auctoritas. Nos ergo sequentes, quod vel Apostolus Paulus, vel Papa Innocentius statuit etc. — **Severini Binii** *Concil.* II. 658.

406.

Benedictus I PP. A. 573. ss. ex cathedra tamquam orbis magistra instruit Patriarcham Grandensem.

MON. *Epist. ad Grandensem Patr.* Lex divinae constitutionis *apostolicam cathedram totius posuit orbis terrarum magistram*, ut quidquid ubique locorum dubitatur, ab ea ratio eiusdem requiratur. Affatus est autem nos suis literis eiusdem cathedrae sessorem, ac percunctatus est quidam vestras nomine Ioannes, pro connubio filiae suae superstitis, cuius soror defuncta cuidam iuveni Stephano nomine simplicibus verbis fuerat desponsata, et antequam ad nuptias perveniret, morte praeventa etc. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 72. p. 683.

---

407. 408.

Pelagius II PP. A. 577. ss. contra temeritatem Eppi CPni, se ‚universalem' Eppum nominantis, et generalem synodum convocantis.

407. MON. *Ad Eppos Istriae.* — Considerate, carissimi, quia veritas mentiri non potuit, *nec fides Petri in aeternum quassari poterit vel mutari:* nam cum omnes discipulos diabolus ad excribrandum poposcerit, pro *solo Petro* se Dominus rogasse testatur, et *ab eo voluit ceteros confirmari,* cui etiam pro maiori dilectione, quam prae ceteris Domino exhibebat, pascendarum ovium sollicitudo commissa est, cui et claves regni coelorum tradidit, et super quem Ecclesiam suam aedificaturum esse promisit, nec portas inferni adversus eam praevalere testatus est. Sed quia inimicus humani generis usque in finem seculi non quiescit in Domini Ecclesiam bono semini superseminare ziza-

nia, ideoque ne forte quisquam maligno studio aliqua de fidei nostrae integritate diaboli instigatione fingere praesumserit et argumentari, et ex hoc vestri fortasse videantur animi perturbari, necessarium iudicavimus per praesentem epistolam nostram et ad viscera vos matris Ecclesiae ut reverti debeatis cum lacrymis exhortari, et de fidei nostrae integritate vobis satisfactionem nostram mittere. —

408. *Ad Ioannem Eppum CPnum.* Dilectissimis fratribus universis Eppis, qui illicita vocatione Ioannis CPni Eppi ad Synodum CPlim convenerunt, Pelagius. Manifesto, sicut optavimus, per gratiam Dei lumine evangelicae veritatis ab universali Ecclesia perniciosissimi erroris nocte depulsa, ineffabiliter gaudemus in Domino: sed non modico contristamur moerore, quia ea, quae olim calcata fuerant, et funditus damnata, nec unquam fieri debuerant, redivivis radicibus germinant atque pullulant. Et quoniam multa, quae poenitudinem possunt generare, proveniunt, necesse est ea cassare, quae contra ordinem et omnem auctoritatem facta esse noscuntur. Unde, fratres, reiecta penitus audacia, quae contra Apostolicam Sedem et contra ipsam Domini Salvatoris vocem, qua dictum est ‚Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam', sumta est disputandi contra Domini praecepta, vana errantium corda conquiescant, nec liceat defendi, quod non liceat agere. Relatum est ergo ad Apost. Sedem, Ioannem CPnum Eppum *universalem* se subscribere, vosque ex hac sua praesumtione ad Synodum convocare generalem, cum *generalium synodorum convocandi auctoritas Apostolicae Sedi beati Petri singulari privilegio sit tradita*, et nulla unquam Synodus rata legatur, quae apostolica auctoritate non fuerit fulta. Quapropter quidquid in praedicto vestro conventiculo, quia synodus taliter praesumta esse non potuit, statuistis, ex auctoritate S. Petri apostolorum principis, et Domini Salvatoris voce, qua beato Petro ligandi atque solvendi potestatem ipse Salvator dedit, quae etiam potestas in successoribus eius indubitanter transivit, praecipio omnia, quae ibi statuistis, et vana et cassata esse, ita ut deinceps numquam appareant, nec ventilentur. Etenim ipse Salvator beato Apostolo Petro tamquam ipsa per se veritas loquitur dicens: ‚Quaecunque ligaveris etc.' Multis denuo apostolicis et canonicis atque ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Ponti-

ficis concilia celebrari: quapropter recte non concilium, sed vestrum conventiculum vel conciliabulum cassatur, et quidquid in eo actum est, irritum habetur ac vacuum. Vos quoque deinceps ut nullius hortatu talia praesumatis, si apostolicae Sedis communione carere non vultis. Modo vero ideo suspenditur ultio, ut locum possit habere correctio. Praedecessores vero Ioannis et ipse Ioannes non semel sed saepissime epistolas atque libellos propria manu subscriptos sanctis antecessoribus nostris miserunt, quibus coram Deo protestati sunt, nihil unquam proterve contra apostolicam sedem agere, nec de illius aut aliorum privilegiis quidquam usurpare: qui hactenus in archivo S. Romanae Ecclesiae sub sigillis ac chirographis eorum roborati habentur integri. In ipsis enim epistolis vel libellis, anathematis vinculo se et successores eorum constrinxerunt, si unquam aliquid contra eos praesumsissent aut contra apostolicam vel ullius alterius Eppi Sedem quidquam adversi quoquomodo essent moliti. Idcirco eos non est necesse excommunicare, aut anathematisare, quia ipsi anathematis vinculo propriis manibus professiones suas suaque scripta roborando constrinxerunt. Sciat se tamen et ipse Ioannes, nisi errorem suum cito correxerit, a nobis excommunicandum fore, et Apost. Sedis omniumque sanctorum epporum communione carere. *Universalitatis* quoque nomen, quod sibi illicite usurpavit, nolite attendere, nec vocatione eius ad synodum absque auctoritate Sedis Apostolicae unquam venite, si Apost. Sedis et ceterorum epporum communione vultis frui. Nullus enim Patriarcharum hoc tam profano vocabulo utitur, quia si summus patriarcha universalis dicitur, patriarcharum nomen ceteris derogatur. Sed absit a fidelis cuiusquam mente, hoc sibi vel velle quempiam arripere, unde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacunque parte videatur. Quapropter caritas vestra neminem unquam suis in epostolis *universalem* nominet, ne sibi debitum subtrahat, cum alteri honorem offert indebitum. — Orate, fratres, ut honor ecclesiasticus nostris diebus non evacuetur, nec unquam *Romana Sedes, quae instituente Domino caput est omnium Ecclesiarum,* privilegiis suis usquam careat aut exspolietur. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 72. p. 706. 738.

Gregorius I Magnus PP. A. 590. ss. pluribus epistolis perstringit assumtum per Eppos CPnos titulum ‚oecumenici, seu universalis'; et Primatum Petri in operibus suis uberius explicat, Petrum Paulo non aequans, sed superiorem statuens.

409. MON. *Epist. Lib. V. ep. 18. ad. Ioannem Ep. CPnum.* Eo tempore, quo fraternitas vestra in sacerdotalem honorem provecta est, quantam Ecclesiarum pacem atque concordiam invenerit, recolit. Sed quo ausu quove tumore, nescio, novum sibi conata est nomen arripere, unde omnium fratrum corda potuissent ad scandalum pervenire. Qua in re vehementer admiror, quia ne ad eppatum venire potuisses, fugisse velle te memini. Quem tamen adeptum ita exercere desideras, ac si ad eum ambitioso desiderio cucurrisses. Qui enim indignum te esse fatebaris ut eppus dici debuisses, ad hoc quandoque perductus es, ut despectis fratribus eppus appetas solus vocari. Et quidem hac de re sanctae memoriae decessoris mei Pelagii gravia ad sanctitatem vestram scripta transmissa sunt: in quibus synodi, quae apud vos de fratris quondam et coepiscopi nostri Gregorii causa congregata est, propter nefandum elationis vocabulum acta dissolvit. — Post eius vero obitum cum indignus ego ad Ecclesiae regimen adductus sum, et ante per alios responsales meos, et nunc per communem filium Sabinianum diaconum alloqui fraternitatem vestram, ut a tali se praesumtione compesceret, non equidem scripto sed nudo sermone curavi: et si emendare nolles, cum missarum solennia cum fraternitate vestra celebrare prohibui, ut sanctitatem vestram prius sub quadam verecundiae reverentia pulsarem, quatenus si emendari nefandus ac profanus tumor verecunde non posset, tunc ad ea debuisset, quae sunt districta atque canonica, perveniri. Et quia resecanda vulnera prius leni manu palpanda sunt, rogo, deprecor, et quanta possum dulcedine exposco, ut fraternitas vestra cunctis sibi adulantibus atque erroris nomen deferentibus contradicat, nec stulto ac superbo vocabulo appellari consentiat. — Perpende, rogo, quia in hac praesumtione temeraria pax totius turbatur Ecclesiae, et gratiae contradicitur communiter omnibus effusae. In qua nimirum ipse crescere tantum poteris, quantum penes temetipsum

decreveris. — Humilitatem, frater carissime, totis visceribus dilige, per quam cunctorum fratrum concordia, et sanctae universalis Ecclesiae unitas valeat custodiri. Certe Paulus apostolus cum audiret quosdam dicere : ‚ego sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephae‘, hanc dilacerationem corporis Dominici, per quam membra eius quodammodo se capitibus sociabant, vehementissime perhorrescens exclamavit dicens : ‚Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptisati estis?‘ Si ergo ille membra Dominici corporis certis extra Christum quasi capitibus, et ipsis quidem apostolis subiici partialiter evitavit, tu quid Christo universalis Ecclesiae capiti in extremi iudicii es dicturus examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris ‚universalis‘ appellatione supponere? Quis, rogo, in hoc tam perverso vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis angelorum legionibus secum socialiter constitutis ad culmen conatus est singularitatis erumpere, ut et nulli subesse et solus omnibus praeesse videretur? Qui etiam dixit : ‚In coelum conscendam, super astra coeli exaltabo solium meum.‘ Quid enim fratres tui omnes universalis Ecclesiae Eppi, nisi astra coeli sunt? quorum vita simul et lingva inter peccata erroresque hominum quasi inter noctis tenebras lucent. Quibus dum cupis temetipsum vocabulo elato praeponere, eorumque nomen tui comparatione calcare, quid aliud dicis, nisi ‚in coelum conscendam, super astra coeli exaltabo solium meum?‘ An non universi Eppi nubes sunt, qui et verbis praedicationis pluunt, et bonorum operum luce coruscant? quos dum vestra fraternitas despiciens sub se premere conatur, quid aliud dicit nisi hoc, quod ab antiquo hoste dicitur : ‚Ascendam super altitudinem nubium?‘ — Petrus apostolorum primus, membrum sanctae et universalis Ecclesiae, Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quam singularium sunt plebium capita? et tamen sub uno capite omnes membra. — Numquid non, sicut vestra fraternitas novit, per venerandum Chalcedonense Concilium huius Apost. Sedis antistites, cui Deo disponente deservio, *universales* oblato honore vocati sunt? Sed tamen nullus unquam tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit, ne si sibi in pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur. — Considerare vos convenit, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam coinquinentur

multi. Quod tamen si considerare negligimus, contra tantae elationis tumorem iudicia superna vigilabunt. Et nos quidem, in quos talis tantaque per ausum nefarium culpa committitur, servamus quod Veritas praecepit dicens: Si peccaverit in te frater tuus etc. Sed si in mea correptione despicior, restat ut Ecclesiam debeam adhibere.

410. *Ep. 20. ad Mauritium Imp.* — Quia non causa mea, sed Dei est, et quia non solus ego, sed tota turbatur Ecclesia, quia piae leges, quia venerandae synodi, quia ipsa etiam D. N. I. C. mandata superbi atque pompatici cuiusdam sermonis inventione turbantur : piissimus Dominus locum secet vulneris, atque resistentem aegrum augustae auctoritatis vinculis constringat. — *Cunctis enim Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica sancto et omnium apostolorum principi Petro totius Ecclesiae cura commissa est.* Ipsi quippe dicitur: Petre amas me etc. Ecce satanas expetivit etc. Tu es Petrus etc. Ecce claves regni coelestis accepit, potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiae et principatus committitur, et tamen ‚universalis' apostolus non vocatur : et vir sanctissimus consacerdos meus Ioannes vocari universalis eppus conatur. Exclamare compellor ac dicere: O tempora! o mores! — Numquid ego hac in re, piissime Domine, propriam causam defendo? numquid specialem iniuriam vindico? et non magis causam omnipotentis Dei, causam universalis Ecclesiae ? Quis est iste, qui contra statuta evangelica, contra canonum decreta, novum sibi usurpare nomen praesumit? Utinam vel sine aliorum imminutione unus sit, qui vocari appetit universalis. — Certe pro beati Petri apostolorum principis honore per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici oblatum est (nomen ‚universalis'). Sed nullus eorum unquam hoc singularitatis nomine uti consensit, ne dum privatum aliquid daretur uni, honore debito sacerdotes privarentur universi. Quid est ergo, quod nos huius vocabuli gloriam et oblatam non quaerimus, et alter sibi hanc arripere et non oblatam praesumit? Ille ergo magis est piissimorum dominorum praeceptione flectendus, qui praeceptis canonicis obedientiam praebere contemnit. Ille coercendus est, qui sanctae universali Ecclesiae iniuriam facit, qui corde tumet, qui gaudere de nomine singularitatis appetit, qui honori quoque imperii vestri se per privatum vocabulum superponit. —

411. *Epist. lib. 7. ep. 27. ad Anastasium Ep. Antioche-*

num. — In suscipienda fratris et consacerdotis nostri Cyriaci (Eppi CPni) epistola synodica dignum non fuit, ut pro causa profani vocabuli moras facerem, ne unitatem sanctae Ecclesiae perturbarem : sed tamen de eodem superstitioso et superbo vocabulo eum admonere studui, dicens, quia pacem nobiscum habere non posset, nisi elationem praedicti verbi corrigeret, quam primus apostata invenit. Vos tamen eandem causam nullam esse dicere non debetis, quia si hanc aequanimiter portamus, universae Ecclesiae fidem corrumpimus. Scitis enim quanti non solum haeretici sed etiam haeresiarchae de CPna Ecclesia sunt egressi. Et ut de honoris vestri iniuria taceam, si unus Eppus vocatur universalis, universa Ecclesia corruit, si unus universus cadit. Sed absit haec stultitia, absit haec levitas ab auribus meis. In omnipotente autem Domino confido, quia quod promisit, citius impleturus est: Omnis, qui se exaltat, humiliabitur. —

412. *Lib. 9. ep. 68. ad plures Orientis Eppos.* Suscepti regiminis cura constringimur, officii nostri sollicitudinem vigilantes extendere, et fratrum nostrorum animos sermone admonitionis instruere, ut nec ignorantes praesumtio prava decipere, nec scientes dissimulatio quaedam valeat excusare. Cognoscat siquidem fraternitas vestra, Ioannem quondam CPnae civitatis antistitem contra Deum, contra pacem Ecclesiae, in omnium despectu et iniuria sacerdotum, modestiae ac mensurae suae terminos excessisse, et illicite in synodo superbum ac pestiferum *oecumenici,* hoc est, universalis sibi vocabulum usurpasse. Quod beatae recordationis Pelagius decessor noster agnoscens, omnia gesta eiusdem synodi — valida omnino districtione cassavit, districtissima illum increpatione corripiens, ut se a novo et temerario superstitionis nomine cohiberet. — Cuius nos rectitudinis zelo inhaerentes statuta ipsius sine refragatione Deo protegente servamus, quia dignum est, ut rectam decessoris sui viam gressibus inoffensis incedat, quem de eodem loco ad reddendam rationem aeterni iudicis tribunal expectat. In qua re ne quid omittere, quod ad pacem Ecclesiae pertinet, videremur, nostris eundem Ioannem scriptis semel iterumque convenimus, ut amoto superbiae nomine cordis sui elationem ad humilitatem, quam Magister et Dominus noster docuit, inclinaret. Quem quoniam neglexisse comperimus, haec eadem et beatissimum fratrem et consacerdotem nostrum Cyriacum successorem ipsius concordiae

studio non destitimus admonere. Sed quia hoc iam, ut videmus, mundi huius termino propinquante, in praecursione tua apparuit humani generis inimicus, ut ipsos, qui ei contradicere bene atque humiliter vivendo debuerunt, per hoc superbiae vocabulum praecursores habeat sacerdotes, hortor atque svadeo, ut nullus vestrum hoc nomen aliquando recipiat, nullus in id consentiat, nullus scribat, nullus ubi fuerit scriptum admittat, vel subscriptionem suam adiiciat; sed sicut omnipotentis Dei ministros decet, integrum se ab huiusmodi venenata infectione custodiat, et callido insidiatori in se locum non praebeat, quoniam hoc in totius Ecclesiae iniuriam ac discissionem et sicut diximus, in omnium vestrum despectum fit. Nam si unus, ut putat, universalis est, restat ut vos episcopi non sitis. Praeterea pervenit ad nos, quod fraternitas vestra ad urbem CPlim sit convocata. Et quamvis piissimus noster imperator agi illic illicita non permittat, tamen ne perversi homines conventus vestri occasione percepta aut pro huius nominis superstitione locum surreptionis requirant, aut ob aliam rem facere synodum cogitent, quatenus hoc in ea callidis machinationibus inducant, quamvis sine apostolicae sedis auctoritate atque consensu nullas quaeque acta fuerint vires habeant, verumtamen coram omnipotenti Deo obtestor et moneo, ut nullus vestrum illic quibuslibet svasionibus, blandimentis, proemiis, terroribus teneatur assensus, sed pro aeterni iudicii consideratione adversus prava desideria salubriter atque unanimiter vos exhibete, et pastorali constantia atque apostolica auctoritate suffulti, praedonem irruentemque lupum excludite, et in discissionem Ecclesiae saevienti non cedite, nec de hac re quacunque surreptione synodum patiamini, quae neque legitima quidem nec synodus dicenda est, celebrari. — Nam si quis, quod non credimus, scripta praesentia aliqua in parte neglexerit, a beati Petri apostolorum principis pace se noverit segregatum. —

413. *Lib. 7. ep. 40. ad Eulogium Ep. Alexandrinum.* Svavissima mihi sanctitas vestra multa in epistolis suis *de S. Petri apostolorum principis cathedra* locuta est, dicens *quod ipse in ea nunc usque in suis successoribus sedeat.* Et quidem ego indignum me esse non solum in honore praesidentium, sed etiam in numero stantium agnosco. Sed cuncta, quae dicta sunt, in eo libenter accepi, quod ille mihi de cathedra Petri locutus est, qui Petri cathedram tenet. Et cum me specialis honor nullo modo

delectet, valde tamen laetatus sum, quia vos sanctissimi quod mihi impendistis, vobismetipsis dedistis. Quis enim nesciat *S. Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam,* qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur? cui Veritatis voce dicitur : Tibi dabo claves etc. Et tu aliquando conversus etc. Pasce oves meas. Itaque cum multi sint apostoli, *pro ipso tamen principatu sola Apostolorum principis sedes in auctoritate convaluit,* quae in tribus locis unius est. Ipse enim sublimavit sedem, in qua etiam quiescere et praesentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit sedem, in qua evangelistam discipulum misit. Ipse firmavit sedem, in qua septem annis, quamvis discessurus, sedit. Cum ergo unius atque una sit sedes, cui ex auctoritate divina tres nunc eppi praesident, quidquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo. —

414. *De Petro et Paulo iuxta Greg. Magnum.* ‚Exposit. in I Reg. lib. 5. c. 13 :‘ *Paulus* quoque vas electionis ante ad pedes Gamalielis instruitur, quam rapitur in paradisum vel ad tertii coeli altitudinem sublevetur. Et ideo fortasse *per doctrinam aliis Apostolis antecellit,* quia futurus in coelestibus terrena prius studiosus didicit. — ‚Dialog. lib. 1. c. 12 :‘ Num nescis, quoniam *Paulus Apostolus Petro Apostolorum primo in principatu Apostolico frater est?* — ‚In Ezechiel. l. 2. hom. 18 :‘ Ecce Paulus in epistolis suis scripsit Petrum reprehensibilem, et ecce Petrus in epistolis suis asserit Paulum in his, quae scripserat, admirandum. — Amicus ergo veritatis laudavit etiam quod reprehensus est, atque ei adhuc ipsum placuit, quia in his non placuerat, quae aliter quam debuerat sensit. Seque etiam *minori* fratri ad consensum dedit, atque in eadem re factus est sequens minoris sui, etiam ut in hoc praeiret : quatenus qui *primus erat in Apostolatus culmine,* esset primus et in humilitate. — ‚Registr. Epist. lib. 9. cp. 39 :‘ Si enim cum a fidelibus culparetur, *auctoritatem, quam in S. Ecclesia acceperat,* attendisset, respondere poterat, ut pastorem suum oves, quae ei commissae fuerant, reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profecto doctor mansvetudinis non fuisset. Humili ergo eos ratione placavit. — Si ergo *Pastor Ecclesiae, Apostolorum princeps,* — non dedignatus est etc. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 77. p. 738. 745. 882. 898. 1004.

SECULUM SEPTIMUM.

415.

Sophronius Patriarcha Ierosolymitanus, Sec. 7. Petrum, ‚summum apostolorum apicem' nominat.

MON. *Laudes beator. Apost. Petri et Pauli.* Rursus nobis inseparabile par illuxit, rursus sodalitas indissolubilis nobis effloruit, rursus nobis connexio indivisibilis pullulavit, apostolicis nempe solemnitatibus in unum festum concurrentibus ac solemnitatem : quae quum duplici hilaritate refulgeant, unicum tamen veluti lux solaris fulgorem demonstrant. *Petrus* enim *summus apostolorum apex* hodie celebratur : simulque *Paulus* gratia aemulus, et *apostolatus dignitate proxime accedens.* — Quum Servator per electionem suam *Petro principi apostolorum* divum Paulum adsociaverit : — merito et nos, qui sumus horum discipuli et asseclae, fidem eorum amplexi, doctrinamque secuti, alterum alteri copulavimus, quos gratia Spiritus iam coniunxerat; — ubi enim *Petrus coryphaeus* praedicatur, ibi statim et Paulus nominatur. — **Maii** *Scriptorum Veterum nova collectio. T. X.* Romae 1838. p. XXIX.

416—417.

Honorius I PP. A. 626. ss. memorabilem ad Sergium de doctrina circa duas Christi voluntates epistolam exarat; nomine Conc. Toletani autem qua universalis Ecclesiae Pastor salutatur.

INTR. Epistola Honorii Papae ad Sergium, ut monet Severinus Binius, lapis est offensionis et petra scandali antiquioribus aeque ac recentioribus haereticis, ex qua quippe Pontifici huic gravissimum crimen haereseos impingere non dubitant. Multis, ut in Literatura suis locis exhibemus, usque ad nostros dies, scriptis eruditorum pertractata extitit quaestio Honorii. Hoc loco satis sit, cum laudato Binio animadvertisse: ‚Sine omni iusta causa conantur Honorio haeresis crimen impingere. Nam rescripsisse Sergio, non potuit Honorio vitio verti, utpote qui hoc tempore adhuc catholicus habebatur, nihilque haereticum adhuc dixerat aut scripserat, suaque omnia censurae Ecclesiae subiecerat. Si haec crimini vertantur Honorio, quidnam, quaeso, afferetur ad excusationem Sophronii, qui iam ante Honorium Sergio per literas communicavit, et de una aut duabus voluntatibus silentium indicenti consensit? — De novitate vocum initio contentionis silentium indicere, suspectum esse non potest, cum de novis vocabulis habitae contentiones gravissimas aliquando haereses excitarint. Rem et veram fidem de Christo confitetur hac epistola Honorius: ‚de vocabulis ob pericula scandali et maiorem contentionem abstinendum esse prudenter admonet.‘

416. MON. *Epist. ad Sergium Eppum CPnum.* Scripta fraternitatis vestrae suscepimus, per quae contentiones quasdam et novas vocum quaestiones cognovimus introductas per Sophronium quemdam tunc monachum, nunc vero ex audito Eppum Ierosolymitanae urbis constitutum adversus fratrem nostrum Cyrum Alexandriae antistitem, unam operationem D. N. I. C. conversis ex

haeresi praedicantem. Qui denique ad vestram fraternitatem Sophronius veniens, querelamque huiusmodi deponens, multiformiter eruditus petiit de his, quae a vobis fuerat instructus, paginalibus sibi syllabis reserari : quarum literarum ad eundem Sophronium directarum suscipientes exemplar, et intuentes satis provide circumspecteque fraternitatem vestram scripsisse, laudamus novitatem vocabuli auferentem, quod posset scandalum simplicibus generare. Enimvero duce Deo perveniemus usque ad mensuram rectae fidei, quam apostoli veritatis Scripturarum S. funiculo extenderunt, confitentes Dominum Iesum Christum, mediatorem Dei et hominum, operatum divina, media humanitate Verbo Deo naturaliter unita, eundemque operatum humana ineffabiliter atque singulariter assumta carne, discrete, inconfuse, atque inconvertibiliter plena divinitate, et qui coruscavit in carne plena divinis miraculis, ipse est et carneus effectus plene Deus et homo : passiones et opprobria patitur unus mediator Dei et hominum in utrisque naturis, Verbum caro factum, et habitavit in nobis, ipse Filius hominis de coelo descendens, unus atque idem, sicut scriptum est, crucifixus Dominus maiestatis, dum constet divinitatem nullas posse perpeti humanas passiones, et non de coelo, sed de sancta est assumta caro Dei genitrice: nam per se Veritas in Evangelio ita inquit : ‚Nullus ascendit in coelum, nisi qui de coelo descendit, Filius hominis, qui est in coelo‘; profecto nos instruens, quod divinitati unita est caro passibilis ineffabiliter, atque singulariter, ut discrete atque inconfuse, sic indivise videretur coniungi. Ut nimirum stupenda mente mirabiliter manentibus utrarumque naturarum differentiis cognoscatur uniri. — Unde et unam voluntatem fatemur D. N. I. C. quia profecto a divinitate assumta est nostra natura, non culpa, illa profecto quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata. — Via regia incedentes, — et si forte quidam balbutientes, ut ita dicam, nisi sunt proferentes exponere, — non oportet ad dogmata haec ecclesiastica retorquere, quae neque synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates canonicae visae sunt explanasse, ut unam vel duas energias aliquis praesumat Christi Dei praedicare. — Nam quia D. Iesus Christus, Filius ac Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, ipse sit unus operator divinitatis atque humanitatis, plenae sunt S. Literae luculentius demonstrantes. Utrum autem

propter opera divinitatis et humanitatis una, an geminae operationes debeant derivatae dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina venditare, etc. —

417. *Epist. Braulionis nomine Concilii Toletani VI ad Honor. PP.* Optime satis valdeque congrue *cathedrae vestrae* a Deo vobis collatae munus persolvitis, cum *sancta sollicitudine omnium Ecclesiarum, praenitente doctrinae lumine, et in speculis constituti,* Ecclesiae Christi digna tutamina providetis, et dominicae tunicae derisores divini gladio verbi et superni telo zeli confoditis, atque sanctam domum Dei, matrem nostram, studio vestro vel vigilantia a nefandis praevaricatoribus et execrandis desertoribus ad Nehemiae similitudinem expurgatis. Hoc quidem iam olim altissimo inspiramine et sacra meditatione gloriosissimi filii vestri principis nostri Chintilanis regis insederat animis. Sed dum sua accelerat vota, vestra Deo favente ad eum perlata sunt hortamenta. Nam iam totius Hispaniae atque Narbonensis Galliae Eppi in uno coadunati eramus collegio, quando Turnino deportante diacono vestrum nobis est allatum decretum, quo et robustiores pro fide, et alacriores in perfidorum essemus rescindenda pernicie. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 80. p. 470. 667.

418.

Isidorus Hispalensis, A. 630. et Petrum ceteris praeeminere, et Romanum Antistitem velut Caput ceteris celsiorem esse, aperte exprimit.

MON. *Epist. 8. ad Eugenium Eppum.* — Quod de parilitate agitur Apostolorum, *Petrus praeeminet ceteris,* quia a Domino audire meruit : Tu vocaberis Cephas, tu es Petrus, etc. et non ab alio aliquo, sed ab ipso Dei et Virginis Filio honorem Pontificatus in Christi Ecclesia primus suscepit. Cui etiam post resurrectionem Filii Dei ab eodem dictum est : Pasce agnos meos, agnorum nomine Ecclesiarum praelatos notans. Cuius dignitas potestatis etsi ad omnes catholicorum episcopos est trans-

fusa, specialius tamen *Romano Antistiti singulari quodam privilegio velut Capiti* ceteris membris celsior permanet in aeternum. Qui igitur debitam ei non exhibet reverenter obedientiam, a capite seiunctus Acephalorum schismati se reddit obnoxium. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 83. p. 908.

419.

Ioannes IV PP. A. 642. medio secretarii Honorii Papae genuinum verborum controversorum huius Pontificis sensum reddi procuravit, omnemque sinistram suspicionem haereseos ab Honorio repulit.

MON. *Apologia pro Honorio PP. ad Constantinum Imper.* Dominus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, qui eripuit nos de potestate tenebrarum in admirabile lumen suum, lumen veritatis et veritas luminis, — propter eminentem magnitudinem divitiarum bonitatis suae in faciem Ecclesiae suae respiciens, vestram praecognitam sibi et praedestinatam benignitatem ad fidei nunc integritatem vocare dignatus est, ita, ut omni fallaci caligine procul amota, per vos victricem faciat veritatem. Quantum enim ex diversis suggestionibus, quae ad nos catervatim venerunt, quinimo et ex ipso quoque auditu didicimus, omnes occidentales partes scandalisatae turbantur, fratre nostro *Pyrrho* Patriarcha per literas suas huc atque illuc transmissas nova quaedam et praeter regulam fidei praedicante, et ad proprium sensum quasi sanctae memoriae *Honorium* Papam decessorem nostrum attrahere festinante, *quod a mente catholici patris erat penitus alienum.* Igitur ut vestra benignitas causam totam rei discere possit, subtilissima veritate quae ante brevis intercapedinem temporis gesta sunt enarrabo. Sergius reverendae memoriae patriarcha praedicto sanctae record. Romanae urbis Pontifici significavit, quod quidam in Redemtore nostro Domino Iesu Christo duas contrarias dicerent voluntates : quo praefatus Papa comperto rescripsit ei, quia Salvator noster sicut esset monadicus unus, ita et valde mirabiliter super omne genus hominum conceptus et natus esset. Et sancta quoque ipsius incar-

nata dispensatione docebat, quia Redemtor noster sicut esset Deus perfectus, ita esset et homo perfectus, ut quam primus homo per praevaricationem amisit, sine aliquo peccato natus primae imaginis nobilem originem renovaret. Natus est ergo secundus Adam nullum habens nascendo vel cum hominibus conversando peccatum; etenim Verbum caro factum in similitudine carnis peccati omnia nostra suscepit, nullum reatus vitium ferens ex traduce praevaricationis exortum. Similitudinem ergo intelligimus non carnis eius sed peccati. Etenim carnem Dominus veram suscepit ex intemerata et beata Virgine Dei Genitrice, consubstantialis nobis effectus. Ergo similitudinem carnis peccati sanctus dicit apostolus, quam similem nobis peccatoribus sine peccato cum anima rationali suscepit, et idcirco *unam voluntatem* secundum primam formationem Adae naturalem humanitatis suae D. N. I. C. habere dignatus est, *non duas contrarias*, quemadmodum nunc nos habere dignoscimur, qui de peccato sumus Adae geniti. — Ergo unus et solus est sine peccato mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui in mortuis liber conceptus et natus est. In dispensatione itaque sanctae carnis suae duas numquam habuit contrarias voluntates, nec repugnavit voluntati mentis eius voluntas carnis ipsius. — Secundum hunc igitur modum iam dictus decessor noster praenominato Sergio patriarchae percontanti scripsisse dignoscitur, quia in Salvatore nostro duae voluntates contrariae, id est, in membris ipsius penitus non consistunt, quoniam nihil vitii traxit ex praevaricatione primi hominis. — Sed ne quis nonnumquam minus intelligens reprehendat, quamobrem de humana tantum natura et non etiam de divina natura docere sciatur: etenim Christus in duabus naturis in una persona unitis cognoscitur, adoratur, et colitur Deus et homo perfectus; debet qui super hoc ambigit scire, quoniam ad hoc facta est responsio ad iam dicti patriarchae interrogationem. Praeterea et hoc fieri solet, ut scilicet ubi est vulnus, ibi medicinale occurrat auxilium. Etiam beatus Apostolus hoc saepe fecisse dignoscitur, se secundum auditorum consvetudinem praeparans: et aliquando quidem de suprema natura docens, de humana penitus tacet, aliquando vero de humana dispensatione disputans, mysterium divinitatis eius non tangit. — Praedictus decessor meus docens de mysterio incarnationis Christi dicebat, non fuisse in eo, sicut

in nobis peccatoribus, mentis et carnis contrarias voluntates: quod quidam ad proprium sensum convertentes, divinitatis eius et humanitatis unam eum voluntatem docuisse suspicati sunt, quod veritati omnimodis est contrarium. Verumtamen vellem, ut interrogati responderent: secundum quam naturam dicant Christi Dei unam voluntatem? Si secundum divinam tantum, de humanitate ipsius quid respondebunt? quoniam et homo perfectus est, ut non cum Manichaeo condemnetur. Porro si secundum humanitatem Christi dixerint, quod haec voluntas Deus esset perfectus, observent ne forte cum Photino et Ebione iudicentur. Iam vero si ex utraque natura unam voluntatem esse dixerint, non solum naturales voluntates, sed et ipsas naturas confundent, ut nec hoc nec illud, id est, divina et humana, intelligi possit. — Denique orthodoxi Patres, qui in toto mundo claruerunt, sicut utrasque naturas, ita et voluntates ac operationes Christi docere concordi praedicatione monstrantur. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 80. p. 602.

420—422.

Epistolae Praesulum nonnullorum ad **Theodorum PP.** A. 643. ss. contra errores Monothelitarum: in quibus Sedes Apostolica magnificis extollitur praeconiis.

420. MON. *Epistola Sergii AEppi Cypriensis.* Firmamentum a Deo fixum et immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei, vestram apost. Sedem constituit, o sacer vertex, Christus Deus noster. Tu es enim, sicut divinum veraciter pronunciat verbum, Petrus, et super fundamentum tuum ecclesiae columnae confirmatae sunt: tibi et claves coelorum commisit, atque ligare et solvere potestative quae in terra et coelis sunt, promulgavit. Tu profanarum haeresum depositor existis, ut princeps et doctor orthodoxae et immaculatae fidei. Igitur non despicias patrum tuorum, pater, fidem aestuantem, et ab aliquibus haereticis ventis violentatam, nec non periclitantem; resolve nebulam insipientium lumine tuae divinae scientiae, o sanctissime Abscinde blasphemias et iactantiam vaniloquorum, et novitei

emergentium haereticorum doctorum. Nihil etenim minus est orthodoxae et apostolicae vestrae definitioni atque traditioni, quatenus augmentum aliquod suscipiat a nobis fides. Nos autem a Deo inspirati, et ss. apostolorum confabulatores et consacerdotes sapuimus, confitemur atque confessi sumus a pristinis temporibus, et ex ipsis cunabulis, secundum sanctum atque beatissimum Papam Leonem praedicantes omnibus et confitentes: Operatur utraque natura cum alterius communione. *(Sequitur uberior expositio ac refutatio erroris Monothelitici.)*

421. *Epistola Praesulum Africae.* Magnum et indeficientem omnibus Christianis fluenta redundantem apud Apostolicam Sedem consistere fontem nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter, universum largissime irrigantes orbem Christianorum, cui etiam in honore beatissimi Petri patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, quae omnino et sollicite debent, maxime vero iusteque ab ipso praesulum examinari vertice apostolico, cuius vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almae sedis vestrae fuisset deductum, ut huius auctoritate iusta quae fuisset pronunciatio firmaretur, indeque sumerent ceterae ecclesiae velut de natali suo fonte praedicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptae maneant fidei sacramenta salutis. Quocirca humillimum vestro apostolico culmini persolventes obsequium, cum lacrymis suggerimus, quod sine cordis gemitu reticere non valemus: ante hoc temporis spatium exosum apud CPnam civitatem novitatis commentum ad nos usque opinanter fuisse delatum. *(Uberius exponitur idem argumentum, de quo prior tractat epistola.)* —

422. *Epistola Victoris Eppi Carthaginensis.* Vestrae beatissimae paternitatis apud Deum acceptabilia opera et conversatio gloriosa pene mundo toti sunt manifesta. Praedicationibus igitur apostolicis et doctrinis dum verae fidei cultura universa repleta sit terra, per divinorum tamen eruditionem eloquiorum, vestra instruente admonitione exhortatoria, superaedificatur orthodoxa Christi ecclesia, apostolica institutione fundata, et a fidelibus patribus firmissime roborata. Ad quam omnes beatissimi apo-

stoli pari honoris et potestatis consortio praediti, populorum agmina convertentes, pie et sancte de tenebris ad lumen, de lapsu ad veram fidem, de morte ad vitam homines divinae praedestinationis gratia praescitos salutaribus praeceptis ac monitis perduxerunt. Quorum sanctorum Apostolorum vestra fraternitas honoranda sequens plenius merita, et perfectius implens exempla, ecclesiam Dei morum probitate et actuum sanctitate condecorat, et fide sacra vel christianis moribus vigens, quae fieri Deo placita praecipit studiis pontificalibus indesinenter operatur et perficit. — Ecclesiae Dei non leviter perturbantur, Christianissimorum voces ac gemitus epporum non supportamus, querentium et clamantium novitates et concinnationum figmenta, a Paulo venerabili consacerdote nostro, ut dicitur, contra fidem veracissimam approbata, debere repelli. Nos autem temperamentum causis innectentes, expedire putavimus, praedictorum beatissimorum consacerdotum nostrorum licet iustissimos questus aequanimiter supportare, et ad auditus venerandos fraternitatis vestrae hoc ipsum pervigili cura deducere. — Vestrum est, frater sanctissime, canonica discretione solite contrariis catholicae fidei obviare, nec permittere noviter dici, quod patrum venerabilium auctoritas omnino non censuit. — **Harduini** *Conc.* III. 727. 734. 754.

423.

C. Lateranense, A. 649. per Martinum I. PP. celebratum adversus errores Monotheliticos.

MON. — *Martinus Eppus sanctae Dei Ecclesiae catholicae atque apostolicae urbis Romae, praesidens sancto Concilio dixit*: Evangelicus et omnibus hominibus salutaris sermo, qui secundum virtutem suae divinae praedicationis orbis terrarum fines complexus est, volens manifestare ministros et praedicatores sollicitos esse, nos duntaxat, qui christiani populi pastoris suscipere meruimus officium, et sacerdotii divinae incarnationis summaeque dispensationis — demonstravit, sicut nostis, pasto-

res vigilantes et conservantes custodias noctis. Luc. II. — Oportet nos praecipue, propter quos haec scripta sunt, conservantes cum summa vigilantia et sollicitudine custodias de ovili nobis commisso, id est, creditis nobis a Domino populis, in huius seculi nocte convenire in unum intellectum, eundemque sensum, sicut dicit beatus Paulus Apostolus, ac si in aliquam spiritualem Bethlehem, quae est catholica Dei et apostolica ecclesia, in qua ipse panis vitae firmius collocatur: quatenus cognoscere et intendere in eo sermonem immaculatae fidei debeamus, quem firmius roborantibus nobis per traditas apostolicas paternasque promulgationes, ipsa Domini gloria cum militia coelesti et laudibus enitescat, atque mirentur in nobis Deum miraculorum omnes, qui audiunt de pio nostro studio sinceram in Domino plenitudinem. Quippe quoniam vera confessione in omnibus sanctis Dei ecclesiis erga omnes Christianos, qui pure adorant eum cum muneribus, id est, pietatis rectis dogmatibus, — falsi nominis quidam sacerdotes conturbati sunt, atque difficultate ducti circa fulgorem luminis, divinam eius confessionem novis verborum adinventionibus — studuerunt perimere. — Qui autem sunt isti? — Est *Cyrus* Alexandrinae eccl. Eppus, et *Sergius* CPnus antistes, nec non et eius successores *Pyrrhus* et *Paulus*, concurrens sibi vicissim in hoc habentes certamen. *(Expositis erroribus eorumdem ac motibus per eos concitatis, prosequitur:)* — Quibus pene omnibus omnem mundum conturbantibus atque sollicitantibus, necessitate compulsi ex diversis locis querelas contra eos seu accusationes ad apostolicam nostram sedem plurimi orthodoxi detulisse monstrantur, et tam in scripto deprecantes et coniurantes, quam in cominus positi postulantes, ut totius mali tantaeque eversionis per Apostolicam auctoritatem abscindatur commentum, quatenus minime totum corpus catholicae ecclesiae nocibilis eorum echteseos langvor disrumpere valeat. Ideoque — orthodoxorum preces minime despicientes apostolicae memoriae nostri decessores non destiterunt praedictis viris diversis temporibus consultissime scribentes, et — admonentes ac contestantes, quatenus proprium emendarent novitatis commentum atque ad orthodoxam fidem cath. ecclesiae remearent. — Unde et ego tam propter irrevocabile eorum cor et propter animas, quae per eorum fallacem deceptionem depereunt, nec non propter precationes ad Apost. Sedem super tali capitulo in scripto

delatas — necessarium fore praevidi, omnes vos — invitare, et propter hanc quaestionem in nomine Domini congregare in unum etc. — **Harduini** *Conc.* III. 687. ss.

424—425.

Maximus Theologus et Confessor, A. 630—662. supremam Sedis Romanae potestatem disertissime praedicat.

424. MON. *Ex Epistola Romae scripta. Omnes* orbis terrarum fines, et qui ubique gentium Dominum vere rectaque fide confitentur, *velut in solem sempiternae lucis in sanctissimam Romanam Ecclesiam, eiusque confessionem ac fidem recta intortis oculis respiciunt,* ex ipsa effulgurans expectantes iubar, patrum doctrinae sanctorumque prout sincere omnique pietate numine afflatae atque divinae sanctae sex Synodi exposuere, explicatissime fidei symbolum edentes. Ab initio enim, quando ad nos Dei Verbum assumta carne descendit, *unicam firmam basim ac fundamentum* omnes ubique Christianorum Ecclesiae, *quae ibi est, maximam nacti sunt habentque Ecclesiam :* ut in quam iuxta ipsam Salvatoris promissionem portae inferi haudquaquam praevaluerint, sed quae rectae fidei in ipsum ac confessionis claves habeat, hisque, qui cum pietate accedant, quae vere natura est, solamque pietatem aperiat, claudat vero atque obstruat omne os haereticorum, iniustitiam loquens in excelso. —

425. *Ex epistola ad Petrum illustrem.* — Si *Romana Sedes* non solum reprobum Pyrrhum, sed et male sentientem et male credentem non nescit, perspicuum est, *quia omnis, qui eos, qui Pyrrhum reprobaverunt, anathematisat, Sedem Romanam, id est, Catholicam Ecclesiam anathematisat.* Omitto enim dicere, quia utique et seipsum, qui talis est, si duntaxat Sedi Romanae communicat catholicaeque Dei Ecclesiae. — A cuncta cecidit sanctitate, qui ab Ecclesia Catholica sponte prosiliit. Non enim fas est illum ex quacunque laude cognominari, qui iam olim damnatus est et abiectus ab apostolica Sede Romanae urbis, donec ab ea recipiatur conversus ad ipsam. — Itaque si vult haereticus

non esse, neque audire, non isti aut illi satisfaciat; — festinet pro omnibus Sedi Romanae satisfacere. Hac enim satisfacta, communiter ubique omnes pium hunc et orthodoxum praedicabunt. Nam frustra solummodo loquitur, qui mihi similes suadendos putat, et non satisfacit et implorat sanctissimae Romanorum Ecclesiae beatissimum Papam, id est, *apostolicam Sedem, quae ab ipso incarnato Dei Verbo, sed et omnibus s. Synodis secundum sacros canones et terminos universarum, quae in toto terrarum orbe sunt, sanctarum Dei Ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit et habet imperium, auctoritatem et potestatem ligandi et solvendi.* Cum hac enim ligat et solvit etiam in coelo Verbum, quod coelestibus virtutibus principatur. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 46. p. 694. s.

426.

Vitalianus PP. A. 656. ss. sententiam adversus Eppum, praeterita Sede Apostolica, pronunciatam irritat.

MON. *Paulo AEppo Cretensi.* Decimo nono die mensis Decembris praesentis Ioannes Eppus Lappae urbis intra basilicam venerabilem beati principis apostolorum Petri nobis obtulit petitionem, per quam nos obnixe postulavit, atque coniuravit per terribilem, inquiens, adventum magni Dei atque Salvatoris nostri Iesu Christi, ut secundum sacratissimos canones institutaque ss. patrum eius causae meritum requireremus, et sententiam promulgaremus. Obtulit illico et sententiam apud tuam fraternitatem confectam subscriptamque eius eorumque epporum manibus. Igitur post aliquos dies ad eius preces coacervati coetum in hac urbe Romana antistitum fecimus, ut nobiscum considentes et petitio eiusdem episcopi, et acta sacerdotaliter cognoscerentur. — Cumque recensita esset sententia coram nostris fratribus eppis, visum nobis eisque est, quod non secundum timorem Dei neque secundum instituta patrum, sacrosque canones eiusdem Ioannis antistitis Lappae est causa cognita et terminata, vel poenalibus submissa eius persona. — Oportebat

tuam fraternitatem secundum canonum vigorem tempore, quo se *petiit ad nos venire*, eum absolvere tuis literis: quem non solum noluisti canonice absolvere *ad principis apostolorum limina*, sed magis respondisti ei indecenter, inquiens: quia non competenter quaeris. Quae ergo sancti sanxerunt patres, indecentia sunt? An placentia tibi decentia sunt? Igitur praefatum Ioannem antistitem inculpabilem reperientes, iuxta textum sententiae a te nobis directae, fecimus nobiscum cum eppis ad missarum solemnia in ecclesias Dei praecedere. Itaque statuimus atque firmamus per huius nostrae praeceptionis auctoritatem, omnia quae a te tuaque synodo contra canonum instituta contraque legum decreta gesta confectave sunt, vel sententiam promulgatam adversus eum, inania et vacua esse, sed quidquid claruerit eum damnificatum eiusdemque ecclesiam a quoquam, ei tua dilectio faciat reddi, per omnia conservans eum absque damno. Denominatum enim Ioannem utpote innocentem existentem cum praesenti nostra praeceptione absolvimus hinc, ut sicut ceteri tuae dilectionis eppi, et is suae ecclesiae utilitate cum Dei timore peragere, sacrarumque regularum instituere debeat morem. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 87. p. 1000.

427—431.

C. CPnum III Generale 6. A. 680. ss. Monothelitas condemnans, auctoritatem superiorem Romani Pontificis egregie recognovit, dum de actis Concilii relationem praestitit, eaque ab Apost. Sede confirmari petiit.

INTR. Acta huius Concilii, in quo cum ceteris Monothelitis Honorius Papa quoque condemnatus legitur, sive a Theodoro CPno sive ab alio corrupta fuisse, pariterque epistolam Leonis II Papae confirmatoriam ut spuriam habendam plures asserunt eruditi. Quidquid sit, existimat Sever. Binius, alterutrum ex his duobus statuendum esse, quod quippe acta

Concilii ante tempora Leonis incorrupta quidem extiterint, fuerintque tunc depravata una cum Leonis epistola, quando Monothelitae decreta Synodi impugnare coeperunt, aut quod ipsa Leonis epistola reipsa commentitia sit. Observandum etiam censemus, Honorium Papam non ut haereticum, sed publico funere in Ecclesia Romana S. Petri inter sanctos Pontifices sepultum, eique ut catholico Papae parentatum fuisse, ut idem Binius memorat.

427. MON. *Epistola Agathonis Papae ad Imperatores Constantinum, Heraclium, et Tiberium.* Consideranti mihi humanae vitae diversos angores, et ante Deum, qui unus et verus est, cum vehementia fletuum ingementi, ut consolationem animae fluctuanti divinae miserationis impertiret instinctu, et de profundo moeroris et angustiae potentia suae dexterae sublevaret: magnam atque mirabilem cum indesinenti gratiarum actione, serenissimi domini filii, confiteor, consolationis opportunitatem exhibere dignatus est, piissimum tranquillae mansvetudinis vestrae propositum: quod ad stabilitatem divinitus commissae reipublicae Christianae eius concessit dignatio, ut imperialis virtus atque clementia de Deo, per quem reges regnant, qui rex regum et Dominus dominantium est, et curet et quaerat eius immaculatae fidei veritatem, ut ab apostolis atque apostolicis est patribus tradita, inquirere vigilanter, atque ut vera traditio continet, instantissime desiderat in omnibus ecclesiis obtinere. Et ne quemquam tam pia lateret intentio audientium, humanave suspicio perterreret aestimantium potestate nos esse compulsos, et non plena serenitate ad statisfaciendum super evangelicae nostrae fidei praedicatione commonitos, divales apices ad apostolicae memoriae Donum pontificem, nostrae pusillitatis praedecessorem, cunctis populis ac gentibus per nostrum ministerium patefecerunt, ac satisfaciunt. — His itaque, mansvetissimi rerum domini, divalibus apicibus animatus, et ad spem consolationis de profundis angoribus alleviatus, orsus sum meliori refectus confidentia paulatim, iis, quae per mansvetissimae fortitudinis vestrae sacram dudum praecepta sunt, efficaciter promtam obsequentiam exhibere. — Ideoque — praesentes confamulos nostros, Abundantium, Ioannem, et Ioannem Eppos, Theodorum et Gregorium presbyteros, cum Ioanne diacono et Constantino subdiacono sanctae huius spiritalis matris Apostoli-

cae Sedis, nec non et Theodorum presbyterum legatum s. Ravennatis Ecclesiae, et religiosos servos Dei monachos cum supplici cordis devotione curavimus demandare. — Quibus portitoribus et testimonia aliquorum ss. patrum, quos haec Apostolica Christi ecclesia suscipit, cum eorum libris tradidimus, ut facultatem suggerendi — consecuti ex his duntaxat satisfacere studeant, quid haec spiritalis mater eorum ac a Deo propagati imperii Apostolica Christi ecclesia credat et praedicet: non per eloquentiam secularem, quae nec suppetit idiotis hominibus, sed per sinceritatem apostolicae fidei, in qua et ab incunabulis edocti usque in finem propagatori vestri christiani imperii, coeli Domino, omnes nobiscum deprecamur servire atque obedire. Licentiam proinde eis sive auctoritatem dedimus apud tranquillissimum vestrum imperium, dum iusserit eius clementia, simpliciter statisfaciendi, in quantum eis duntaxat iniunctum est, ut nihil profecto praesumant agere, minuere vel mutare, sed traditionem huius apost. sedis, ut a praedecessoribus apostolicis pontificibus instituta est, sinceriter enarrare. — Ut autem vestrae divinitus instructae pietati, quid apostolicae nostrae fidei vigor contineat, breviter intimemus, — hic status est evangelicae atque apostolicae fidei regularisque traditio — quam tenet spiritalis vestri felicissimi imperii mater apostolica Christi ecclesia, — quae per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicae traditionis numquam errasse probabitur, nec haereticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio fidei christianae percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata finetenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum principi in sacris evangeliis fatus est: ‚Petre, Petre, ecce satan expetivit ut cribraret vos, sicut triticum, ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.‘ Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus et Salvator omnium, cuius fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit: quod apostolicos pontifices, meae exiguitatis praedecessores, confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum, quorum et pusillitas mea, licet impar et minima, pro suscepto tamen divina dignatione ministerio pedissequa cupit existere. Vae enim mihi erit, si veritatem Domini mei, quam illi sinceriter praedicarunt, prae-

dicare neglexero. — Unde et apostolicae memoriae meae parvitatis praedecessores, dominicis doctrinis instructi, ex quo novitatem haereticam in Christi immaculatam ecclesiam CPnae ecclesiae praesules introducere conabantur, numquam neglexerunt eos hortari, atque obsecrando commonere, ut a pravi dogmatis haeretico errore saltem tacendo desisterent, ne ex hoc exordium dissidii in unitate ecclesiae facerent, unam voluntatem unamque operationem duarum naturarum asserentes in uno Domino nostro Iesu Christo: quod Ariani, et Apollinaristae, Eutychianistae etc. et omnis omnino haereticus furor sive confundentium seu dividentium incarnationis Christi mysterium docuit. *(Sequitur fusa deductio errorum Monotheliticorum, eorumque refutatio.)* — Eximenda proinde ac summis conatibus cum Dei praesidio liberanda est sancta Dei ecclesia — de talium doctorum erroribus, et evangelicam atque apostolicam orthodoxae fidei rectitudinem, quae fundata est super firmam petram huius beati Petri Apostolorum principis ecclesiae, quae eius gratia atque praesidio ab omni errore illibata permanet, omnis praesulum numerus ac sacerdotum, cleri ac populorum unanimiter ad placendum Deo animamque salvandam, veritatis formulam apostolicae traditionis nobiscum confiteatur et praedicet. — Propterea si hanc s. scripturarum, venerabilium synodorum, spiritualium patrum, irreprehensibilem apostolici dogmatis regulam iuxta evangelicam eorum intelligentiam, per quam veritatis nobis formula, Spiritu reserante, monstrata est, CPnae praesul ecclesiae tenere nobiscum ac praedicare delegerit, pax multa erit diligentibus nomen Dei, et ullum non remanebit dissensionis scandalum; — sin autem, quod porro longe sit, novitatem nuper ab aliis introductam amplecti maluerit, et alienis a regula veritatis orthodoxae atque apostolicae nostrae fidei sese irretire doctrinis, quam utpote animabus noxiam declinare indesinenter ab apostolicis meae humilitatis praedecessoribus exhortati atque commoniti usque hactenus distulerunt, ipse noverit, quid de tali contemtu in divino Christi examine satisfaciet apud iudicem omnium, qui in coelis est. —

428. *Eiusdem altera litera ad eosdem nomine Concilii Romani scripta.* Omnium bonorum spes inesse praenoscitur, dum imperiale fastigium eius, a quo se coronatum et hominibus praestitutum ad salubriter gubernandum cognoscit, veram confessionem — inquirit fideliter et vivaciter amplecti desiderat. —

(Post expositionem doctrinae catholicae de incarnatione, et errorum haereticorum refutationem, sic prosequitur:) Hanc igitur verae catholicae atque apostolicae confessionis regulam et Sanctum Concilium, quod in hanc Romanam urbem sub Martino Papa convenit, praedicasse synodice ac constanter defendisse omnes nos — humillimi ecclesiarum Christi antistites — cognoscimus. Pietatis itaque zelo atque amore verae apostolicae confessionis vestrae Serenitatis benignitas mota, amplius declarare eam, ut regali fomite multo magis fulgeat, elaborare procuret, — ut et veritas adhuc in ancipiti positis clareat, et eam sinceriter amplectentibus robur accrescat, et zizaniorum germina spiritali falce abscindantur. — Nos autem licet humillimi summis viribus enitimur, ut christiani vestri imperii respublica, in qua beati Petri apostolornm principis sedes fundata est, cuius auctoritatem omnes christianae nobiscum nationes venerantur et colunt, per ipsius beati Petri apostoli reverentiam, omnium gentium sublimior esse monstretur. Personas autem de nostrae humilitatis ordine praevidimus dirigere ad vestrae a Deo protegendae fortitudinis vestigia, quae omnium nostrum, id est, universorum per septemtrionales vel occiduas regiones episcoporum suggestionem, in qua et apostolicae nostrae fidei confessionem praelibavimus, offerre debeant, non tamen tamquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia compendiosa definitione proferre. —

429. *Sententia Synodi de Honorio Papa, Actione 13. pronunciata. — Sanctum Concilium dixit:* — Retractantes dogmaticas epistolas, quae tamquam a Sergio huius urbis patriarcha scriptae sunt tam ad Cyrum, qui tunc fuerat Eppus Phasidis, quam ad Honorium quondam Papam antiquae Romae, similiter autem et epistolam ab illo, id est, Honorio rescriptam ad eundem Sergium: hasque invenientes omnino alienas existere ab apostolicis dogmatibus, et a definitionibus sanctorum conciliorum et cunctorum probabilium patrum, sequi vero falsas doctrinas haereticorum, eas omnimodo abiicimus et tamquam animae noxias execramur. Quorum autem, id est, eorumdem, impia execramur dogmata, horum et nomina a sancta Dei ecclesia proiici iudicavimus, id est, Sergii, Cyri, Pyrrhi, Petri, et Pauli; ad haec et Theodori eppi Pharan, quarum omnium personarum mentionem fecit Agatho sanctissimus ac ter beatissimus Papa antiquae Romae. — Cum

his vero simul proiici a sancta Dei catholica ecclesia, simulque anathematisari praevidimus et Honorium, qui fuerat Papa antiquae Romae, eo quod invenimus per scripta, quae ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus eius mentem secutus est, et impia dogmata confirmavit.

430. *Relatio Synodi ad Agathonem PP.* Maximi morbi maioribus indigent auxiliis, ut scitis, beatissimi: atque idcirco Christus verus Deus noster, virtus vere rerum omnium conditrix et gubernatrix, sapientem dedit medicum, vestram a Deo honoratam Sanctitatem, contagia haereticae luis fortiter propulsantem remediis orthodoxiae, ac valetudinis robur membris ecclesiae largientem. Itaque tibi, ut primae sedis antistiti universalis ecclesiae, quid agendum sit relinquimus, stanti super firmam fidei petram, libenter acquiescentes verae confessionis literis a vestra paterna beatitudine ad piissimum Imperatorem missis: quas ut a summo apostolorum vertice divine perscriptas agnoscimus: per quas exortam nuper multiplicis erroris haereticam sectam depulimus, Constantino nobis ad decernendum hortatore, qui divine imperat, sceptraque clementissime regit; quo adiutore impietatis errorem evertimus, haereticorum nefariam doctrinam quasi obsidione adorti. Inde fundamenta execrandae eorum haereseos prorsus convellentes, eosque armis spiritualibus paternisque adgredientes, et lingvas eorum, ne inter se accomodate loquerentur, confundentes, exstructam ab iis impiissimae haeresis turrim subruimus, ac ipsos ut lapsos circa fidem ac peccatores in matutinis extra castra atriorum Dei, ut Davidice loquamur, anathematibus interfecimus, ex sententia per sacras vestras literas de iis prius lata, videlicet Theodorum, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum, et Petrum. — Sic nos Sancto Spiritu illustrati, vestraque instituti doctrina, infesta dogmata impietatis depulimus, — — orthodoxae autem fidei splendidam lucem vobiscum clare praedicavimus. Quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternam sanctitatem. —

431. *Rescriptum Leonis II PP. de confirmatione Synodi.* Piisssimo — Domino — Constantino Imperatori. Regi Regum, in cuius potestate sunt regna mundi, pusilli cum magnis gratias agimus, qui ita in vobis terrenum contulit regnum, ut coelestia vos magis ambire concederet. — Legatos huius apostolicae sedis

matris vestrae Rómanae Ecclesiae, — cum divalibus clementiae vestrae apicibus et synodalibus gestis, cum magno iucunditatis gaudio in Domino exultantes suscepimus. — Cognovimus enim, quod sancta et universalis et magna sexta Synodus, quae per Dei gratiam imperiali decreto in regia urbe nuper congregata est, eadem quae et universum concilium assidens huic sanctae sedi apostolicae, cuius ministerio fungimur, senserit atque decreverit sub orthodoxae fidei integritate regulisque maiorum; — per quae revera probavimus, hanc sanctam et laudabilem atque praedicabilem sextam Synodum per misericordiam Dei, qui christianae fidei veritatem suis fidelibus reserat, apostolicam praedicationem inoffenso pede fuisse secutam. — Sed et hoc vere dignum, Deoque gratissimum existit, quod apostolicae praedicationis veritas, quae imperialem exornat potentiam, et principalem clementiam servat, per augustissimae pietatis edictum in toto orbe terrarum percrebuit. — Synodali igitur sententia, et imperialis edicti censura tamquam ancipiti spiritus gladio cum priscis haeresibus etiam novae pravitatis error expunctus est. — Hanc igitur rectae atque apostolicae traditionis normam praedecessor meus Agatho cum sua synodo praedicavit, — quam sancta nunc et magna synodus suscepit et in omnibus nobiscum amplexa est, utpote beati Petri Apostolorum principis sinceram doctrinam in ea agnoscens; — idcirco et nos et per nostrum officium haec veneranda Sedes Apostolica concorditer ac unanimiter his, quae definita sunt ab ea, consentit et beati Petri auctoritate confirmat, sicut supra solidam petram qui Christus est, ab ipso Domino adeptis firmitatem. Propterea — anathematisamus novi erroris inventores, id est, Theodorum Pharanitanum Eppum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum CPnae ecclesiae subsessores magis quam praesules, nec non et Honorium, qui hanc apostolicam ecclesiam non apostolicae traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam fidem subvertere conatus est. — **Harduini** *Conc.* III. 1074. 1115. 1331. 1438. 1470.

432.

C. Toletanum XIV. A. 684. in suis capitulis Romanae Sedis eiusve Praesulis semper honorificam facit mentionem.

MON. *Cap. 1.* Cum serenissimus et perspicuus princeps Ervigius, gloriosus amator verae fidei, imo amabilis filius Ecclesiae Christi, promissionis suae non immemor, ob confutandum Apollinaris (Monothelitarum) dogma pestiferum, de quo sibi a *Romano praesule* fuerat nuntiatum, strenuo et invicto suae celsitudinis iussu nos omnes praeciperet aggregari in unum, — nos Carthaginensis provinciae praesules, — causae huius ordinem et totius rei negotia retexentes, quibus *Romanae Sedis fueramus literis invitati*, sic patula et communi sumus voce exorsi. *Cap. 2.* Clara omnes notio populos Hispaniae implet, quod decurrentis evoluti temporis serie *per Romani Praesulis bajulum* gesta synodalia societati nostrae advecta sunt, quibus CPlim, Constantino pio et religioso principe mediante, magna et sublimi copia aggregata pontificum Apollinaris dogma comperimus fuisse destructum. Cum quibus etiam gestis Leonis quoque antiquae Romae Pontificis invitatorio epistolaris gratiae consulta suscepimus, per quae omnis ordo gestorum gestaque ordinum dilucide, ut acta sunt, nostris sensibus patuerunt. In cuius etiam gratioso epistolae tractu ad hoc omnes praesules Hispaniae invitati sunt, ut praedicta synodalia instituta, quae miserat, nostri etiam vigoris manerent auctoritate suffulta, omnibusque per nos sub regno Hispaniae consistentibus patescerent divulganda. — *(Sequuntur declarationes de recipiendis decretis memoratae generalis Synodi.)* — **Harduini** *Conc.* III. 1753.

SECULUM OCTAVUM.

433—434.

Wilfridus AEppus Eboracensis a sententia Synodi Cantuariensis ad Sedem Apost. appellat, a. 701.

433. *Domino beatissimo universali Papae Ioanni.* Cognoscat Sanctitas vestra, quod perturbationibus nuper in Britannia ortis, ex parte eorum, qui contra decreta beatissimi Agathonis Papae illiusque successorum venerabilium patrum, sibimet episcopatum et monasteria, terrasque cum omnibus facultatibus meis usurpabant, compulsus hanc sacrosanctam apostolicam sedem appellavi : contestans eos per omnipotentem Dominum, et beatum Petrum apostolum, ut si quis aliquam accusationem contra me haberet, ad vestram praesentiam veniret, sicut beatissimi Sergii praedecessoris vestri scripta decernebant. Et ideo petitionem humilitatis meae gloriosae praesentiae vestrae offerendam curavi, ut vos largiflua pietatis benevolentia confirmare dignemini, quae a beatissimis antecessoribus vestris erga meam parvitatem decreta sunt, et si quis contra me accusator advenerit, per vestram iussionem productus in medium, quod voluerit, obiiciat, et si quidlibet vel minimum obiectum non probabiliter cassavero, paratus sum severitatem canonum experiri. —

434. **Ioannis VII. PP.** *epistola ad Reges in Britannia erga praeviam appellationem.* Dominis eminentissimis Ethelredo regi Merciorum, et Alfrido regi Deirorum et Berniciorum. De vestrae quidem religionis accessibus gratia Dei cooperante gaudemus, fervorem fidei cernentes in vobis, quam ex praedicatione Principis Apostolorum Deo vestros animos illuminante percepistis et efficaciter tenetis ; et utinam gaudium nostrum

meliorum excessus amplificet. Inextricabilis vero quorumdam dissensio nostros animos afficit, quam oportet corrigi, ne apostolicorum praeceptorum praevaricatores sed custodes esse inveniamini. Dudum enim sub apostolicae memoriae Agathone Papa cum Wilfridus Eppus pro sua causa sedem hanc appellasset, et accusatores a Theodoro S. Cantuariensis ecclesiae AEppo hinc illuc mandato, et ab Hilda abbatissa missi venissent, episcopi tunc hic de diversis partibus congregati rem regulariter quaesierunt, et definierunt, eandemque sententiam successores eiusdem pontificis praedecessoris nostri tenuerunt; sed neque Theodorus AEppus obviasse cognoscitur, qui numquam postmodum aliquam huc accusationem demandavit. Nunc quoque eorum accusationes, qui contra Wilfridum Eppum huc de Britannia advenerunt, et eius excusationes apud conventum epporum, qui hic inventi sunt, per aliquot dies fieri procuravimus, tam de epistolis anterioribus et modernis, quam quae verbialiter partes detulerunt, dum principales personae, de quibus contentio omnis exorta est, hic non affuerint, quas necesse est, ut contentio finem accipiat, advenire. Idcirco commonemus Berthwaldum AEppum fratrem nostrum, ut synodum convocet una cum Wilfrido, — vocesque partium audiat, — et siquidem apud illam synodum potuerit rem determinare, gratum erit nobis. Sin autem, moneat eos ad Sedem Apost. accurrere, ut maiori concilio decidatur, quod hactenus terminari non potuit. Sciat autem quod quicunque venire contemserit, seipsum deiectioni submittit, nec hic nec ibi pro Eppo amplius suscipiendus. Vestra proinde regalis sublimitas faciat concursum, ut ea, quae Christo aspirante perspeximus, perveniant ad effectum; quicunque autem cuiuslibet personae audaci temeritate contemserit, non erit a Deo impunitus, neque sine damno coelitus alligatus evadet. — **Harduini** *Conc.* III. 1823. ss.

435.

Ioannes AEppus CPnus contra ausum Bardae Imperatoris, sextae Synodo Generali infestum, implorat auctoritatem **Constantini Papae,** A. 712.

MON. Qui suae divinitatis et potestatis indicium, eorum quae videntur magnificentiam architectatus est Deus, praecipue in pretiosissimo creatarum rerum sensilium, nostro inquam figmento, suam ostendit gloriam et sapientiam: qua quidem ratione ex ipso quoque admirabilem esse factam divinam cognitionem propheta exclamavit. Ipse naturae nostrae opifex cum suo artificio curasset, ut caput toti corpori praeficeretur, in eo collocatis praecipuis sensuum instrumentis, omnem reliquorum membrorum motionem et perfectionem illinc oriri fecit et conservari; et si contigerit aliquod eorum offendi aut aliquo incommodo affici, non levem eorum curam a se gerendam esse statuit, sed etiam adversus ultima membra naturalem ostendens affectionem et consensionem, per manuum ministerium ductu oculorum curat quod laborabat. His vestrum quoque apostolicum pontificatum comparare possumus, o sanctissimi et christiani sacerdotii Caput vos canonice reputantes, merito per vos quaerimus aegritudinis, quae ecclesiastico nostro accidit corpori a pestilenti et exitiosa animis tyrannica potestate, accipere solatium. Omnino enim vos quoque, ut est proprium capitis, nos involuntarie laborantes minime despicietis, neque a congenita et coalita coniunctione nos amandabitis: sed propter nostra potius vulnera dolentes (uno enim membro patiente omnia quoque membra simul pati est consentaneum convenienter voci apostolicae), nunc sanitatis nostrae recuperationi iure gratulabimini, et maxime quando morbus a culpa corporis non est profectus, sed extrinsecus a violenta et inopinata calamitate fuit effectus. De qua ut vos certiores redderemus, necessario misimus has literas, per eas vobis veluti aperientes et indicantes gravitatem vulneris. Quamobrem hucusque prohibiti sumus synodalem scriptionem de

more ad vos mittere, ut qui tyrannice detineremur, neque enim nobis alioquin licebat ad vos scribere, pure et non turbide exponentes dogmata pietatis. Cum enim hanc a Deo custoditam occupasset civitatem cum externa potentia, neque enim vere dixerim, imperio, qui instar latronis et veluti ex insidiis vulnus nobis attulit, iis quas novit rationibus universorum gubernatrix providentia, non est enim nostrum scrutari profundum divinorum iudiciorum : vim et non leges iaciens fundamentum potentiae, deiecit quidem vel ante suum ingressum in atriis regiae positam imaginem sanctae sextae Synodi. Cum autem in sede pontificatus vellet hominem collocare, qui non erat ex nostro coetu ecclesiastico, sed qui idem cum eius perversa sentiebat sententia, nostri tamen cleri assiduitate et contentione coactus nos non expectantes, non volentes, et non sine dolore aegreque ac gravate hoc sustinentes provexit ad pontificatus dignitatem et fastigium. — Iste ergo, qui suum decus esse ducebat dedecus ac probrum ecclesiae, parturiebat quidem et studebat impietatis edere basiliscum, malorum auctoris serpentis foetum, ut publice in ecclesia et in epporum confessionibus anathemati subiiceretur dicta sancta sexta Synodus, et apostolicae et venerandae vestrae sedis maiores, qui venerandum dogma pietatis tenuerunt. — *(Adductis dein in confirmationem decisionum Synodi VI oecumenicae argumentis pluribus, prosequitur :)* Vos ergo, o sacrum Caput, perspicacissima quae est in vobis virtute spiritus, benignae invocationis nobis manum porrigentes miti contactu mutuarum literarum ex more ecclesiastico, antisynodicorum scilicet apostolorum missione caritatis adhibentes medicamentum, quod est in nobis molestum et palpitans, studete medicari. Numquam enim erit nostra relaxatio, aut oculis somnus ascendet et requies temporibus et palpebris nostris dormitatio, donec universam Dei ecclesiam adspexerimus rursus conservare unitatem spiritus in vinculo pacis. Etenim cum sitis illius discipuli et successores, qui audiit a Domino : ‚Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret tamquam triticum, ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos', debetis quidem diligenter inducere, quae fulciunt et stabiliunt ad correctionem, promtius etiam donare quae sunt clementis animi et misericordis. Nam ipsum summum Apostolorum ex eo, quod ipsi accidit, adhortatur Dominus

agnoscere quidem carnis infirmitatem, eos autem, qui insultu rerum externarum lapsi sunt, ut ipsi quoque usu venit tempore salutaris passionis, non impediri quominus per correctionem restituantur priori impatibilitati. — **Harduini** *Conc.* III. 1838.

436—437.

Beda Venerabilis, circ. 713. Petro Primatum, et principatum iudiciariae potestatis collatum fuisse docet.

436. MON. *Lib. II. Homil. hom. 15.* — Quod Petro dictum est: Pasce oves meas, omnibus utique dictum est. Hoc namque erant ceteri apostoli quod fuit Petrus, *sed Primatus Petro datur, ut unitas Ecclesiae commendetur.* —

437. *Hom. 16.* — Ideo beatus *Petrus*, qui Christum vera fide confessus, vero est amore secutus, *specialiter claves regni coelorum et principatum iudiciariae potestatis accepit,* ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicunque ab unitate fidei vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec ianuam possint regni coelestis ingredi. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 94. p. 214. ss.

438.

Gregorius II. PP. A. 714. ss. Bonifacio potestatem facit, mysterium fidei incredulis annunciandi.

MON. *Epist. ad Bonifacium presb.* Exigit manifestata nobis religiosi propositi tui pie in Christo flagrantis intentio, et approbata sincerissimae fidei tuae perlata relatio, ut ad dispensationem verbi divini, cuius per gratiam Dei curam gerimus, te comministro utamur. — Ideo in nomine indivisibilis Trinitatis, *per inconcussam auctoritatem beati Petri apost. principis, cuius*

doctrinae magisterii dispensatione fungimur, et locum S. Sedis administramus, modestiam tuae religionis instituimus, atque praecipimus, ut in verbo Dei, quo igne salutifero — enitere videris, ad gentes quascumque infidelitatis errore detentas properare Deo annuente potueris, mysterium regni Dei — veritatis svasione designes etc. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 89. p. 495.

439.

Bonifacius Moguntinus AEppus, A. 745. pro plena unione et subiectione erga Rom. Ecclesiam.

MON. *Epist. ad Cuthbertum AEppum.* — Decrevimus in nostro synodali conventu, et confessi sumus: fidem catholicam, *et unitatem, et subiectionem Romanae Ecclesiae,* finetenus vitae nostrae velle servare, *s. Petro et Vicario eius velle subiici,* — et per omnia praecepta S. Petri canonice sequi desiderare, ut inter oves sibi commendatas numeremur. Et isti confessioni universi consensimus et subscripsimus, et ad corpus S. Petri principis apostolorum direximus, quod gratulando clerus et pontifex Romanus suscepit. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 89. p. 763.

440—441.

Ioannes Damascenus, A. 756. Petri tamquam Novi Test. summi verticis potestatem fusius explicat.

440. MON. *Homil. de transfig. Domini.* — Hodie *novi Testamenti summus vertex*, qui Christum Dei Filium disertissime praedicavit, dicens : ‚Tu es Christus, Filius Dei vivi,‘ veteris auspicem utriusque Conditori adstantem videt, altaque voce proloquentem ‚Iste est, qui est.‘ — Caesareae Philippi, — in quam Dominus famulis stipantibus veniens, mulieris fluxum san-

gvinis patientis cruentum fontem siccavit, quin et archisynagogi filiam excitavit, coacto primo discipulorum suorum concilio, cum in petra quadam, Ipse petra vitae, cathedram ex tempore cavasset, discipulos suos interrogaverat, quem dicerent homines esse Filium hominis. — Ut homo percontationem quidem proponit, uti vero Deus occulte *eum, qui primus vocatus secutusque erat, erudit, quem praenotione sua dignum Ecclesiae praedestinaverat antistitem.* Hunc ut Deus afflat, et per eum loquitur. — Tum *Petrus* ardenti accensus zelo, et Spiritu S. instinctus: ‚Tu, inquit, es Christus Filius Dei vivi'. O beatum os! o beata prorsus labia! o theologam animam! — *Haec est firma illa et immota fides, super quam veluti petram Ecclesia fundata est, cuius tu merito cognomentum geris.* Adversus hanc inferorum portae, haereticorum ora, daemonum organa, impetum quidem facient, sed non praevalebunt, assument arma, sed non expugnabunt. — Iam vero quid causae est, cur *Petrum*, et Iacobum et Ioannem assumserit? (ad montem Thabor.) Petrum quidem, ut testimonium quod vere dederat, a Patre perhibitum ostenderet, suaeque ipse sententiae fidem adstrueret, quod nempe Pater coelestis hoc ei revelasset: quin etiam *tamquam antistitem, et totius Ecclesiae gubernacula suscepturum* assumsit. —

441. *Sacra Parallela — tit. 3. de Poenit. — Petrus regni coelestis claves* suscepturus erat, imo eae iam ipsi concreditae fuerant, *cuius fidei multitudo populorum committenda esset.* Quid enim ait ad ipsum Dominus: ‚Quodcunque ligaveris etc.' Erat Petrus acris et severi animi. Quodsi hoc praeterea habuisset, ut peccatum in ipsum non caderet, quis tandem iis, quos edocuisset, veniae fuisset locus? Quocirca divina gratia hoc effecit, ut ipse ad breve tempus a Deo abscederet, atque in peccatum laberetur, ut per ea, quae passus esset, humaniorem se aliis exhiberet. Ac perspicias velim, quemnam virum incidere in peccatum sinat: *Petrum illum coryphaeum apostolorum, firmum fundamentum, infractam petram, scopulum prominentem Ecclesiae, portum tranquillum, turrim minime labentem.* — Idcirco is, *qui Ecclesiae curam suscepturus erat, illud columen Ecclesiarum, ille fidei portus, ille orbis terrarum magister, Petrus*, in peccatum labi permissus est, ut venia ipsi concessa benignitatis occasio aliis fieret. — — Dixit Iesus Mariae: Noli flere, sed abi, et dic fratribus meis et Petro, quia surrexi a mortuis. —

Nullum alium nisi *Petrum* nominat. — Dic Petro: nullo modo timeas. Non enim te a loco gloriae submovi, non ceteris inferiorem constitui, non te a dextera mea pepuli, *non regni coelestis claves alteri dedi.* — Nam quod ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis. — Super tuam instar petrae firmam fidem aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Tu oves meas pasces, tu agnis meis pabulum porriges, tu ad dexteram meam tamquam tribunus stabis. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 48. p. 9. ss. 466.

442—443.

C. Nicaenum II. Generale 7. A. 787. literas Hadriani I. Papae in causa Imaginum summa cum veneratione recipit.

442. MON. *Epistola* **Hadriani I. PP.** *ad Imperatores Constantinum et Irenen.* Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, — per multiplices divitias bonitatis suae in faciem ecclesiae suae respiciens, vestram — clementiam ad fidei nunc integritatem vocare dignatus est, ita, ut omni falsitatis nubilo procul exploso per vos victricem faciat veritatem. — Magis nobis laetitia de vestris iussionibus nunc orta est, quam dudum pro schismaticorum haeresi moeror affecerit. De his quippe — referebatur, quae pridem facta sunt in vestra regali civitate propter venerabiles imagines, qualiter qui ante vos regnaverunt, eas destruxerint, et in inhonestate atque iniuria posuerint. Utinam non illis imputetur: melius enim illis fuisset non mittere manus eorum in ecclesiam; et quia omnis populus, qui est in orientalibus partibus, erraverunt, et pro sua voluntate usi sunt illis: usquequo Deus erexit vos regnare, qui in veritate quaeritis gloriam eius, et quae tradita sunt a sanctorum apostolorum et omnium simul sanctorum magisterio tenere. Quas reserantes et venerabiles imagines ad vestrum piissimum imperium laudabiliter exaratas reperientes, atque haereticorum abiicientes vesaniam, seu in divinae examinationis iudicio principum, qui manus miserunt in ecclesiam,

iaculum deputantes, vestram a Deo promotam in triumphis imperialem potentiam insontem esse ab eorum saevitia prorsus credimus. Unde omnipotentis Dei clementiam exorantes, referimus grates sine fine: tenentesque ea, quae vestra sanxit et coepit perficere serenitas, constantes estote. Quodsi perseverantes permanseritis in ea, quam coepistis, orthodoxa fide, et per vos in partibus illis in pristino statu erectae fuerint sacrae ac venerandae imagines, sicut piae memoriae dominum Constantinum Imperatorem et beatam Helenam, qui fidem orthodoxam promulgaverunt, atque sanctam catholicam et apostolicam spiritualem matrem vestram Romanam Ecclesiam exaltaverunt, et cum ceteris orthodoxis Imperatoribus utpote caput omnium Ecclesiarum venerati sunt, ita vestrum a Deo protectum clementissimum nomen Novum Constantinum et Novam Helenam habentes, per quos in primordiis sancta cath. et apost. ecclesia robur fidei sumsit, et ad quorum instar vibrantissima ac in toto orbe terrarum vestra opinatissima in triumphis imperialis fama laudabiliter divulgatur; magis autem si orthodoxae fidei sequentes traditiones ecclesiae beati Petri apostolorum principis amplexi fueritis censuram, et sicut antiquitus vestri praedecessores sancti Imperatores egerunt, ita et vos eam honorifice venerantes, eius Vicarium ex intimo dilexeritis corde, potiusque vestrum a Deo concessum imperium eorum secutum fuerit orthodoxam secundum s. Romanam ecclesiam nostram fidem. Ipse princeps Apostolorum, cui a Domino Deo ligandi solvendique peccata in coelo et in terra potestas data est, crebro vobis protector existens, omnesque barbaras nationes sub vestris prosternens pedibus, ubique vos victores ostendat. Etenim eius insignia dignitatis sacra pandat auctoritas, quantaque veneratio eius summae sedi exhibenda sit a fidelibus cunctis per orbem. Dominus enim eundem clavigerum regni coelorum cunctis praeposuit principem, et hoc ab ipso honoratur privilegio, quo ei claves collatae sunt regni coelorum. Iste itaque tam praecelso praelatus honore promeruit confiteri fidem, supra quam fundatur ecclesia Christi. Beatam confessionem beatitudo secuta est praemiorum : cuius praedicatione sancta universalis illustrata est ecclesia, et ex ea ceterae Dei ecclesiae fidei documenta sumserunt. Nam ipse princeps apostolorum beatus Petrus, qui apostolicae sedi primitus praesedit, sui apostolatus principatum ac pastoralis curae successoribus

suis, qui in eius sacratissima sede perenniter sessuri sunt, dereliquit, quibus et auctoritatis potestatem, quemadmodum a Salvatore nostro Domino Deo ei concessa est, et ipse quoque suis contulit ac tradidit divino iussu successoribus Pontificibus: quorum traditione Christi sacram effigiem, sanctaeque eius genitricis, apostolorumque vel omnium sanctorum veneramur imagines. *(In sequentibus fuse probat Hadrianus PP. traditionem Ecclesiae de sacris imaginibus, ac simul erroneas de iis refellit sententias, tum prosequitur:)* Unde — deprecantes cum magna cordis dilectione vestram clementiam — quaeso, et coram Deo deposco et adiuro, ut easdem sacratissimas imagines in ipsa regia urbe et ceteris Graeciae partibus in pristinum statum restituere et confirmare iubeatis, observantes traditionem huius sacrosanctae nostrae romanae ecclesiae, abiicientes ac respuentes iniquorum atque haereticorum calliditates, ut in huius nostrae s. cath. et apost. ac irreprehensibilis Romanae ecclesiae ulnis suscipiamini. Si vero impossibile est haereticorum vesaniae pro incredulitate ipsorum ipsas sacras ac venerandas imagines sine Synodi actione in pristino erigere ac confirmare statu, et nostros sacerdotes pro huiuscemodi pia operatione vestra cupit serenissima imperialis potentia accersire: — inprimis pseudosyllogum illud, quod sine Apostolica sede enormiter et irrationabiliter, nequiterque contra sanctorum venerabilium patrum traditionem de sacris imaginibus actum est, anathematisetur praesentibus missis nostris, et tunc, sicut antiquitus mos extitit, iureiurando vestra potestas — corporale tribuentes sacramentum, verbum commonitorium nobis dirigere dignetur. — Porro et hoc vestrum — poscimus imperium, ut si veram et orthodoxam s. cath. et apost. Rom. Ecclesiae nitimini amplecti fidem, sicut antiquitus ab orthodoxis Imperatoribus seu a ceteris christianis fidelibus oblata atque concessa sunt patrimonia beati Petri apost. principis, fautoris vestri: — in integrum nobis restituere dignemini pro luminariorum concinnationibus eidem Dei ecclesiae atque alimoniis pauperum. Imo et consecrationes AEpporum seu Epporum, sicut olitana constat traditio, nostrae dioecesis existentes, penitus canonice sanctae Romanae nostrae restituantur ecclesiae, ut nequaquam schisma inter concordiam perseverare valeat sacerdotum. Confundatur omne zizanium male plantatum, et Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi verbum impleatur: ‚Quoniam portae inferi

non praevalebunt adversus eam; tu es Petrus, etc.' Cuius sedes in toto orbe terrarum primatu fungens, caput omnium Dei ecclesiarum constituta est. Et quemadmodum beatus Petrus Apostolus per Domini praeceptum regens ecclesiam, nihilominus subsequenter et tenuit semper et retinet principatum. Quod praeceptum universalis ecclesiae nullam magis oportet exequi sedem, quam primam : quae unamquamque synodum et sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit. Et valde mirati sumus, quod in vestris imperialibus iussis pro Patriarcha regiae urbis, scilicet Tarasio, directis ‚Universalem' ibidem eum reperimus exaratum. Sed utrum per imperitiam, aut schisma, vel haeresim iniquorum scriptum est, ignoramus : sed deinceps svademus vestrae potentiae, ut minime in suarum exarationum serie ‚Universalis' describatur, quia contra sacrorum canonum instituta seu sanctorum patrum traditionum decreta esse videtur. In secundo enim ordine, si non per sanctae nostrae cath. et apost. ecclesiae auctoritatem (sicut in omnibus patet) numquam valuit nomen habere; quod nimirum si ‚Universalis' super praelatam sibi sanctam Romanam Ecclesiam, quae est caput omnium Dei ecclesiarum, describatur, tamquam sanctarum synodorum rebellem atque haereticum manifestare se certum est. Quia si ‚Universalis' est, etiam ecclesiae nostrae sedis primatum habere dignoscitur, quod ridiculum omnibus fidelibus christianis appareret, quia in toto orbe terrarum ab ipso redemtore mundi beato Petro Apostolo principatus ac potestas data est, et per eundem Apostolum, cuius vel immeriti vices gerimus, sancta cath. et apost. Romana ecclesia usque hactenus et in aevum tenet principatum ac potestatis auctoritatem. Quatenus (quod non credimus) si quispiam eum universalem nuncupaverit, vel assensum tribuerit, sciat se orthodoxae fidei esse alienum, et nostrae sanctae cath. et apost. ecclesiae rebellem. Ipse enim Tarasius regiae urbis patriarcha misit nobis synodicam, priscam adimplens consvetudinem, quam suscipientes et liquidius indagantes — nimis iterum turbati ac conturbati sumus, quia ex laicorum ordine et imperialibus obsequiis deputatus, repente patriarchatus culmen adeptus est, et apocalligus contra sanctorum canonum censuram factus est patriarcha, et, quod dicere pudet, et grave tacere est, qui regendi adhuc et docendi sunt, doctores nec erubescunt videri, nec metuunt ducatum animarum impudenter as-

sumere, quibus via in omnibus ignota doctoris est, quo vel ipsi gradiantur, ignari sunt. — Et nisi per eius fidelem incursum pro sanctarum imaginum erectione, in eius consecratione assensum omnimodo tribuere nequivimus. *) —

443. *Relatio Patriarchae CPni ad Papam de resultato Synodi.* Sufficeret quidem salutaris dispensatio magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi ad pacem, unanimitatem et concordiam omnibus Christianis. — Sed quoniam inimicus, qui ab initio nequam est, diabolus non dimisit per diversa tempora aedificatum supra fundamentum apostolorum et prophetarum ecclesiam, secundum quod sibi visum est, discindere atque disrumpere, semet inferens per quosdam se sequentes viros malos, et zizania superseminare in regione hac, quae culta est a tubis Spiritus, apostolis scilicet sanctis. Ipsi enim virtute ex alto accepta, et hac divinae operationis sulcis proscissa, escam aeternae vitae reliquerunt his, qui per ipsos crediderunt, carpendam. Horum deiloquam doctrinam sancti patres nostri, qui huius pastores et custodes per singula fuere tempora, suscipientes, zizania, id est, haereses et novitates addititias atque introductas radicitus exciderunt, et messem mundam arvo conservaverunt. Vestra ergo fraterna et summo pontificio decorata sanctitas cum his per deiloquas suas doctrinas quodammodo sermocinata, et ab eis accepto veritatis verbo spinosas herbas, quae nunc germinaverunt, fidelissimorum et pacificorum Imperatorum veritati concordans, evellere machaera Spiritus festinavit, mittens secundum scriptam petitionem nostram ad universalem synodum faciendam aequivocos viros principis Apostolorum Petri. — Cum omnes sedissemus, caput fecimus Christum. Iacebat enim in sancta sede evangelium sanctum, contestans omnibus nobis sacratis viris, qui conveneramus: Iudicium iustum iudicate, iudicate inter sanctam Dei ecclesiam et novitatem quae facta est. Et cum praelatae primitus vestrae fraternae sanctitatis literae legerentur, praestolabantur omnes spiritalibus eduliis tamquam in regalibus coenis fruentes, quae Christus per literas tuas epulantibus praeparabat, et sicut oculus totum corpus ad rectitudinis et veritatis semitam ostendebas. Sic ergo disrupta membra in unum conve-

*) Similis tenoris literas etiam ad Tarasium Patr. CPnum exaravit Hadrianus Papa.

niebant, sic vera consonantia confirmabatur, sic catholica ecclesia unitatem recipiebat. — **Harduini** *Conc.* IV. 79. 507.

444.

Caroli M. Imper. sententia de Primatu Rom. Sedis. A. 794.

MON. *In opere contra Graecorum pseudosynodum in negotio Imaginum. Cap. 6.* Antequam discutiendorum testimoniorum quae absurde Orientales in sua synodo taxaverunt, silvam ingrediamur, dignum duximus, ut qualiter *S. Romana Ecclesia ceteris Ecclesiis a Domino praelata et a fidelibus consulenda sit,* prosequamur: praesertim cum non ab aliis Scripturis, nisi ab his, quas illa inter canonicas recipit, testimonia sint sumenda, nec aliorum doctorum, nisi eorum, qui a Gelasio vel ceteris illius S. Sedis Pontificibus suscepti sunt, dogmata sint amplectenda, nec aliter atque aliter pro cuiuslibet arbitrio, sed sane sobrieque quae ab illis dicta sunt, sint intelligenda. Ait enim beatus Augustinus, cum institueret, quae scripturae essent recipiendae, vel qualiter intelligendae: ‚In canonicis autem Scripturis Ecclesiarum catholicarum quamplurimum auctoritatem sequatur, inter quas sane illae sint, quae Apostolicas Sedes habere et epistolas accipere meruerunt.‘ Nam cum hic cunctis per orbem constitutis sedibus apostolicas generaliter praeferat sedes, multo magis illa omnibus praeferenda est, quae etiam ceteris apostolicis sedibus praelata est. Sicut igitur ceteris discipulis apostoli, et *apostolis omnibus Petrus eminet*, ita nimirum ceteris sedibus Apostolicae, et *apostolicis Romana eminere dignoscitur. Haec enim nullis synodicis constitutis ceteris Ecclesiis praelata est, sed ipsius Domini auctoritate primatum tenet,* dicentis: Tu es Petrus etc. Cui non incongrue beati Pauli doctoris gentium est attributa societas, ut illius S. Ecclesiae omnino firmaretur auctoritas: quatenus altero ad piscandas animas electo ex piscatore, altero ad muniendam Ecclesiam ex persecutore, in altero Dei Filii vera confessio, in altero appareret divini verbi sacra praedicatio; cum

alteri concesserit idem Dei Filius claves regni coelorum, alteri clavem aperiendorum legalium verborum, utrique tamen virtutem signorum, quo alter ad eum cruce, alter gladio pergens, fidelibus arrhabonem corporalis sarcinae relinquentes, et exempli fulgore et verbi decore et sancto cruore supradictam Romanam Ecclesiam ei dicarent, quam supra solidissimam petram fundatam nec descendens pluvia, nec venientia flumina, nec flantes venti ruere compellerent. Haec ergo sanctae fidei spiritalibus munita armis, et a fonte lucis et origine bonitatis salutaribus satiata fluentis et horrendis atrocibusque haeresum obsistit monstris, et melliflua praedicationis pocula catholicis per orbem ministrat ecclesiis. Nam beatissimus Hieronymus, vir divinis legibus et multarum lingvarum peritia eruditus, dum Bethlehemiticis moraretur in arvis, et a beato Papa Damaso, Romae posito de difficilibus consuleretur quaestionibus, eum pro causis fidei versa vice consuluisse dignoscitur, et sive tacendarum sive dicendarum hypostaseon, vel quibus in Orientalibus partibus communicare debeat, humillimis apicibus ut apices accipiat deprecatur. Mira res et magnis praedicanda praeconiis. Interrogat a quo interrogatur, consulit a quo consulitur, qui magistrum se in interpretandis divinis Scripturis sentit, in causis fidei venerandi Pontificis se discipulum minime erubescit, et cui sacrae legis quaestionum nexus enodat, utrum hypostases dicere debeat, quibusve in Oriente communicare, efflagitat. Unde datur intelligi, sanctos et eruditos viros per diversas mundi partes praedicationis et scientiae lampade coruscantes, non solum a S. Romana Ecclesia non recessisse, sed etiam tempore necessitatis ob fidei corroborationem ab ea adiutorium implorasse. Quod regulariter, ut praefati sumus, et exemplis docuimus, omnes Catholicae debent observare Ecclesiae, ut ab ea post Christum ad muniendam fidem adiutorium petant, quae non habens maculam, nec rugam, et portentuosa haeresum capita calcat, et fidelium mentes in fide corroborat. A cuius sancta et veneranda communione multis recedentibus nostrae tamen partis numquam recessit Ecclesia, sed ea apostolica eruditione instruente, et eo, a quo est omne donum optimum et omne datum perfectum, tribuente, semper suscepit reverenda carismata. Quae dum a primis fidei temporibus cum ea perstaret in sacrae religionis unione, et ab ea paulo distaret, quod tamen contra fidem non est, in officiorum

celebratione, venerandae memoriae genitoris nostri — Pipini regis cura et industria sive adventu in Gallias reverentissimi et sanctissimi viri Stephani Romanae urbis antistitis, est ei etiam in psallendi ordine copulata, ut non esset dispar ordo psallendi, quibus erat compar ardor credendi, et quae unitae erant unius sanctae legis sacra lectione, essent etiam unitae unius modulationis veneranda traditione, nec seiungeret officiorum varia celebratio, quas coniunxerat unicae fidei pia devotio. Quod quidem et nos collato nobis a Deo Italiae Regno fecimus, sanctae Romanae Ecclesiae fastigium sublimare cupientes, et reverentissimi Papae Adriani salutaribus exhortationibus parere nitentes, — et ita beati Petri sedem in omnibus sequi, sicut illo pervenire, quo ille clavicularius exstat. Ad quam beatitudinem nos pervenire, et in sanctae Ecclesiae consortio et unione ille nos faciat perseverare, qui Ecclesiam suam in Petro dignatus est fundare, et ipso interveniente cuius cathedrae sumus sequaces, regni coelorum, cuius ille claviger factus est, mereamur effici compotes. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 98.

SECULUM NONUM.

445.

De canonica purgatione **Leonis III. PP.** A. 800. in Synodo Romana peracta: qua occasione Eppi declararunt, iudicium de Sede Apostolica tamquam capite omnium Ecclesiarum, ad se neutiquam pertinere.

MON. *In Synodo Romana, quae occasione coronationis Caroli M. Imperatoris a. 800. habebatur, quoad obiecta per quosdam denunciantes Leoni III Papae crimina, omnes AEppi, Eppi, et Abbates unanimiter dixerunt*: Nos Sedem Apost., quae est caput omnium Dei ecclesiarum, iudicare non audemus. Nam ab ipsa nos omnes, et vicario suo iudicamur, ipsa autem a nemine iudicatur, quemadmodum et antiquitus mos fuit: sed sicut ipse Summus Pontifex censuerit, canonice obediemus. *Venerabilis Praesul* (Leo PP.) *inquit*: Praedecessorum meorum Pontificum vestigia sequor, et de talibus falsis criminationibus, quae super me nequiter exarserunt, me purificare paratus sum. *Sequenti die idem vener. Pontifex amplectens sancta Christi quatuor evangelia, coram omnibus ascendit in ambonem, et sub iureiurando clara voce dixit:* Quia de istis falsis criminibus, quae super me imposuerunt Romani, qui inique me persecuti sunt, scientiam non habeo, nec talia egisse me cognosco. *Formula purgationis, qua usus est Leo PP. iuxta librum SS. Rituum* (Ordo Romanus) *sequens erat:* Nota res est, fratres carissimi, malos adversum me homines insurrexisse, meque ac vitam meam gravissimis criminibus infamasse. Cuius rei cognoscendae gratia clementissimus hic ac serenissimus Rex Carolus una cum sacerdotibus ac principibus suis in hanc urbem se con-

tulit. Quamobrem ego Leo Pontifex S. R. E. a nemine iudicatus neque coactus, sed mea voluntate impulsus, purgo me praesentibus vobis coram Deo et Angelis eius, qui conscientiam novit, et beato Petro principe Apostolorum, in cuius conspectu consistimus, neque sceleratas res, quas mihi obiiciunt, perpetrasse, neque perpetrari iussisse, Deum testans, in cuius iudicium venturi sumus, et in cuius conspectu consistimus. Et hoc facio non legibus ullis obstrictus, neque hanc consvetudinem aut decretum in sancta ecclesia successoribus meis, et fratribus coëpiscopis imponere cupiens, sed ut certius vos iniquis suspicionibus liberem. — **Harduini** *Conc.* IV. 935. ss.

446.

Nicephorus Eppus CPnus ad Leonem III. PP. scribens, eius Primatum agnoscit, seque ab eo in fide confirmari orat.

MON. — — Quia frater a fratre adiutus est veluti civitas munita, palatiumque repagulis obfirmatum, quemadmodum Salomon alicubi testatur, plurium quidem orationes imploro, sicut plurium quoque praesidii indigeo : at omnium maxime sanctas sanctae et in spiritu desideratissimae fraternitatis vestrae preces et ad Deum intercessiones in praesentia exopto, easdemque summopere desidero : cum enim tuae preces haud secus atque Moysis et Samuelis, aut si quispiam alius unquam his similis extitit, ob sui puritatem maxime Deo appropinquent, rectaque ad coeleste illud et spirituale altare ferantur, non dubitamus quin maximam illae nobis opem utilitatemque allaturae sint. — *(Post expositam uberrime confessionem fidei iuxta decreta Generalium Synodorum conceptam, prosequitur :)* Nos proinde *Ecclesiarum sanctionem, quae iam inde ab initio obtinuit, secuti,* hisce nostris literis veluti animato quodam praecone, et caritatis in Christo mutuaeque inter nos concordiae et amicitiae vadibus usi, *vos salutandos nostramque sententiam vobis* beatissimis Deoque edoctis hunc in modum faciendam putavimus. Vestra autem desideratissima fraternitas vicem nobis reddens precibus ad Domi-

num fusis, opportunisque sermonibus, et ipsis quoque rebus, *nos confirmet informetque, quo vestris legibus vestraque suffulti doctrina in hac fide stabiles, simplices et ab omni defectu immunes persistamus,* omniaque mysteria, quae in ipsa vel de ipsa ab initio sunt tradita, inconcussa retineamus, et universum denique rationalem nostrum gregem summi pastoris nomine et unctione insignitum, intraque ecclesiasticae caulae septa constitutum, manifesta divinae illius et apostolicae spiritualis doctrinae fistulae ebuccinatione, vocibusque divinitus inspiratis in unum congregemus, et ab insidiantium ferarum morsibus illaesum conservemus. Si qua autem a nobis sunt praetermissa, ea amico paternoque affectu per vosmetipsos explete, quo nimirum *vestra abundantia nostram suppleat inopiam* etc. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 102. p. 1037.

447—449.

Nicephorus Patriarcha CPnus, A. 817. de Romana Ecclesia enunciat: sine ea nec Concilium oecumenicum celebrari, nec ullum dogma probatum haberi posse, ipsique principalem dignitatem a duobus coryphaeis Apostolis traditam esse.

447. MON. *Apologeticus pro inculpabili, pura, et immaculata nostra fide et contra eos, qui putant nos idolis cultum exhiberc. (Pro ss. Imaginibus.) — Cap. 17.* — Deinde observemus, quomodo illorum (haereticorum et iconoclastarum) traducat improbitatem et vesaniam *Petrus divinissimus discipulorum Servatoris Antistes, Theologiae apex, Ecclesiae basis et firmamentum,* ita loquens: Fuerunt et falsi prophetae etc. II Pet. 2, 1. —

448. *Cap. 25.* — Et quidem *haec Synodus* (Nicaena II. A. 787.) summae auctoritatis est, atque ad plenam fidem faciendam sufficiens, quia et oecumenica fuit, et omnino libera, et extra omnem calumniae reprehensionisque aleam posita, et cuiusvis alieni dogmatis insons, culpaque carens. *Etenim celebrata fuit*

aequissime et inprimis legitime: nam secundum edita antiquitus divina decreta praeeminebat in ea, praesidebatque ex occidentali fastigio, id est, ex vetere Roma, pars non modica: sine quibus (Romanis) ullum dogma, quod in Ecclesia ventilatum, decretis canonicis et sacerdotali consvetudine fuerit antea ratum, nunquam tamen probatum habebitur, neque in praxim deducetur: quia illi sacerdotii principatum sortiti sunt, eamque dignitatem a duobus coryphaeis Apostolis traditam habent. —

449. *Cap. 36.* Canat autem nobis propheta praedictis consona, nempe in Deo fundatam Ecclesiam manere immobilem: ‚Deus in medio eius, et non commovebitur, adiuvabit eam Deus mane diluculo. ‚Millies licet impiorum maleficae minae imbrium instar irruant, ventique nequitiae graviore impetu spirent, torrentesque impietatis strepente fluctu magnoque murmure volvantur: fundata est enim supra immotam petram, qui est Christus. — Reliquum est, ut aliorum quoque deiferorum virorum effata, vel potius loquentis per eos Spiritus in medium disquirenda feramus, ut videlicet cognoscamus, quid de nostro proposito eloquantur, atque utrum adversariorum sermones cum eis conspirent, palam fiat. — Quinam vero hi sint, et de quibusnam propheticus sermo nobis loquatur, *Vir, qui beatitudinibus illis dignus est habitus, cui claves regni coelorum traditae fuerunt, Petrus fidei nostrae fundamentum et fulcrum*, docebit, dicens: Vos autem genus electum etc. I Pet. 2, 9. — **Maii** *nova Patrum Bibliotheca.* T. V. part. 2. p. 174. Observat Emin. Editor ad isthoc tam insigne Patriarchae Graeci testimonium: ‚Quae addit Nicephorus de suprema Romanae Ecclesiae praerogativa, non praesidendi solum oecumenicis conciliis, verum etiam ea confirmandi, ita, ut sine illius auspicio et sanctione nulla dogmatica definitio peremtoria futura sit, nec publicae praxi proponenda, quantumvis antea diu ventilata, et usu sacerdotali rata: haec, inquam, tam disertis verbis asseri a Graeco Patriarcha vix expectasses; quam nobilem confessionem Nicephorus cumulat, causam privilegii sacrique principatus Romanae Ecclesiae dicens summos duos Apostolos Petrum ac Paulum extitisse. Haec ii considerent, quorum interest, et qui abiectae obedientiae rationem Deo reddituri sunt.‘

450.

Remigius Eppus Curiensis, A. 820. canonem ex epistola Victoris I. Papae desumtum suae inserit collectioni, de appellatione ad Rom. Pontificem.

MON. *Can. 39.* Ea vos iudicare ad apostolicam delatum est sedem, quae praeter nostram vobis diffinire non licet auctoritatem, id est, Epporum causas. Unde ita constitutum liquet a tempore apostolorum, et deinceps placuit, ut accusatus vel iudicatus a comprovincialibus in aliqua causa Eppus licenter *appellet et adeat Apostolicae Sedis Pontificem*, qui aut per se aut vicarios suos eius rectractari negotium procuret, et dum iterato iudicio Pontifex causam suam agit, nullus alius in eius loco ponatur, aut ordinetur eppus, quoniam quamquam comprovincialibus eppis accusati causam pontificis scrutari liceat, non tamen diffinire inconsulto Romano Pontifice permissum est. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 102. p. 1106.

451.

Agobardus, Lugdunensis Eppus, A. 820. ss. plurium Rom. Pontificum effata memorat pro Primatu Rom. Sedis.

MON. *Epist. ad Ludovicum Imper.* Iubet vestra prudentissima solertia contra commotiones huius temporis paratum esse utrumque ordinem, militarem videlicet et ecclesiasticum, id est, et eos, qui seculari militiae, et illos, qui sacris ministeriis inserviunt, et illos quidem ad certandum ferro, istos autem ad disceptandum verbo, ut similes similibus obsistere valeant. In qua re summopere sciendum est, quod in congressione armorum plus expectanda est iustitia superni regiminis, quam robur bra-

chiorum, in altercatione autem sermonum plus expectanda est veritas, quam copia verborum. — Ego igitur servulus vester, cum cognovissem ex vestro sacro praecepto iussum mihi esse ad vestram praesentiam properare ita paratum, ut cum ceteris eccles. viris contra iniustos reprehensores iustam reprehensionis oppositionem adhibere possem, visum mihi est, ut in Dei et vestro servitio de anteriorum patrum actibus et sensibus haec verba, quae subterannexa sunt, gloriosissimae excellentiae vestrae mitterem, quatinus sancta religio vestra pie perpendere dignetur, *cuius reverentiae debitores estis* ad vestrum quotidianum profectum *erga Sedem Apostolicam*. Denique beatus Pelagius PP. cum quosdam redargueret Eppos eo quod nomen eius reticerent in actione sacri mysterii, — ait ad eosdem eppos: ‚Divisionem vestram a generali Ecclesia, quam tolerabiliter ferre non possum, vehementer stupeo, etc.‘ *) Beatissimus quoque Leo PP. ad universos Viennensis provinciae Eppos de auctoritate et privilegio apost. Sedis ita scribit: ‚Divinae cultum religionis etc.‘ **) Haec beatus Leo: sed et alii multi huiusmodi docentes, *ut illius stabilis petrae sempiterna soliditas, super quam Dominus Salvator noster propriam fundavit Ecclesiam, a solis ortu ad occasum primatus sui apicem successorum suorum auctoritate tam per se quam vicarios suos firmiter obtineret.* Ex quibus beatus Anastasius Papa ad imperatorem scribens docet, quod pro Christo fungatur legatione, qui pro pace precatur Ecclesiae, et ipsum imperatorem admonet, ut constitutis apost. Sedis obtemperet. Certe clementissime domine, si nunc Gregorius Papa irrationabiliter et ad pugnandum venit, merito et pugnatus et repulsus recedet. Si autem pro quiete et pace populi et vestra laborare nititur, bene et rationabiliter obtemperandum est illi, non repugnandum. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 104. p. 291.

---

*) Cfr. Mon. 403.

**) Cfr. Mon. 301.

452—453.

Gregorius IV PP. A 827. ss. tam in epistola ad omnes Praesules, quam in illa ad Eppos Galliae iura Sedis Romanae insigniter proponit, in posteriori simul reprehendens expressiones laesivas ab Eppis adhibitas.

452. MON. *Ad universos Eppos.* Divinis praeceptis et apostolicis saluberrimis incitamur monitis, ut pro omnium Ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu. Et quia cunctarum divina dispensatione Ecclesiarum curam gerimus, omnibus nostra poscentibus suffragia apostolica auctoritate subvenire optamus. Quoniam divinae virtutis ac infirmitatis humanae sanctio est, ut omnium Ecclesiarum negotia ad nostrae reparationis tendant affectum. Quapropter has ad vos literas destinamus, quibus decreto nostro vestram rogantes caritatem mandamus, ut si aliquis, quod non optamus, suorum aemulorum Aldricum Cenomanicae Ecclesiae Eppum accusare damnabiliter attentaverit, *ut honoretur beati Petri apostolorum principis memoria, Ecclesiaeque Romanae, cui praesedit, privilegium, et nostri nominis auctoritas, liceat illi* post auditionem primatum dioeceseos, si necesse fuerit, *nos appellare,* et nostra auctoritate aut ante nos, aut ante legatos nostro ex latere missos iuxta patrum decreta suas exercere atque finire actiones, nullusque illum ante haec iudicet, aut iudicare praesumat. Sed si quid, quod absit, grave intolerandumque ei obiectum fuerit, nostra erit expectanda censura, ut nihil prius de eo, qui ad sinum S. Romanae Ecclesiae confugit, eiusque implorat auxilium, decernatur, quam ab eiusdem Ecclesiae auctoritate fuerit praeceptum, quae sic vices suas aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem sint vocatae sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Proinde dilectio vestra, quorum devotione gaudemus, iungat curam suam dispositionibus nostris, et det operam, ut non cuiusquam praesumtione circa memoratum fratrem vestra provisione vel successorum vestrorum, si ipse superstes fuerit, aliter quam hic insertum

est, ullo modo decernatur; sed haec, quae ad eius tuitionem atque defensionem praedicta hic auctoritate suggesta sunt, ac salubriter ordinata, absque ulla apologia pleniter impleantur. Si autem, quod non arbitramur, a quoquam secus praesumtum fuerit, et ab officio cleri submotus et iniuriarum reus ab omnibus iudicetur; ne lupi, qui sub specie ovium subintrarunt, bestiali saevitia quosque audeant dilacerare, et quod sibi fieri nolunt, aliis inferre praesumant. Nec quisquam frivolus aut contentiosus sive contumax haec nos irrationabiliter praecipere contendat, cum et auctoritate canonum, et praedecessorum nostrorum decretis sancitum sit, ut eppus accusatus si voluerit, appellet Romanum Pontificem, et ad eum, si libuerit, confugiat, aut ab eo eius audiatur causa, aut ipse a latere suo legatos qui eam audiant mittat, qui iuste cum omnibus eppis comprovincialibus eius auctoritate iudicent. Quae omnia hic necesse non est inserere, ne proditores magis quam praeceptores esse videamur. Et s. record. Innocentius antecessor noster inter cetera sic ait: ‚Si maiores causae in medio fuerint devolutae, ad Sedem Apostolicam, ut Nicaena Synodus definivit, et inveterata consvetudo exigit, referant.' Et multa alia, quae in suis auctoribus pleniter inveniuntur. Nec alicui fratri haec gravia aut inutilia videri debent: quoniam sicut praedicto fratri S. Petri et nostrae sedis auctoritate succurrimus, ita omnibus quibus necesse fuerit, et debemus subvenire et impigre volumus. — Praeceptis apostolicis non dura superbia resistatur, sed per obedientiam quae a S. Romana Ecclesia et apostolica auctoritate iussa sunt salutifere impleantur, si eiusdem sanctae Dei Ecclesiae, quae est caput vestrum, communionem habere desideratis. — Expectandi atque corrigendi magis sunt rectores Ecclesiae, quam statim et absque nostro consulto iudicandi, cum maiora negotia et difficiliores causarum exitus ss. patrum canones Spiritu Dei conditi et totius mundi reverentia consecrati iubeant sub nostrae sententiae expectatione suspendi nostroque moderamine finiri. Unde necesse est haec et alia ecclesiastica quaeque negotia post multarum experimenta causarum sollicitius perspici, et diligentius praecaveri, quatenus per spiritum caritatis et pacis omnis materies scandalorum et praesumtio invidorum atque oppressio simplicium de Ecclesiis Domini auferantur. — Nec pigeat forsitan aut pudeat nostris obedire mandatis, aut apost. Sedis ob-

servare praecepta, quia humilibus dat gratiam (Deus), non superbis: nam nulli fas est vel velle vel posse transgredi apost. sedis praecepta, nec nostrae dispositionis ministerium, quod vestram sequi oportet caritatem. Sit ergo ruinae suae dolore prostratus quisquis apostolicis voluerit contraire decretis, nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extorris a sancto ministerio fiat. — Cavete, fratres, negligere praefata, tentare prohibita, ne praedictis involvamini retinaculis. — *Contra caput nolite vos extollere.* Nolite beati clavigeri Petri, cuius vice legatione pro Christo fungimur, Sedem eiusque sedis auctoritatem spernere, ne eius patiamini offensionem, aut scandalum Ecclesiae generetis, sed magis solliciti pro fratrum salute et liberatione estote, et pro sanctae Dei Ecclesiae salute summopere laborate. — Non novum aliquid praesenti iussione praecipimus, sed illa, quae olim videntur indulta, firmamus, cum nulli dubium sit, quod non solum pontificalis causatio, sed omnis sanctae religionis relatio ad Sedem Apost. quasi ad caput Ecclesiarum debet referri, et inde normam sumere unde sumsit exordium, ne caput institutionis videatur omitti, cuius auctoritatis sanctionem omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab apostolicae petrae, super quam Christus universalem fundavit Ecclesiam, soliditate divelli. Si quis haec apost. sedis praecepta non observaverit, percepti honoris hostis esse non dubitetur. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 106. p. 853.

453. *Ep. ad Eppos Galliae.* Romano Pontifici scribentes, contrariis eum in praefatione nominibus appellastis, *fratrem* videlicet et *papam,* dum congruentius esset solam ei paternam reverentiam exhibere. Adventu quoque eius comperto laetari vos dicitis, credentes omnibus, principi scilicet subiectis, profuturum, et optasse occursum vestrum nobis non negandum, nisi sacra iussio imperialis praeveniret. Quae verba reprehensibilia sunt: uno quidem modo, quia iussio apostolicae sedis non minus vobis sacra videri debuerat, quam illa quam dicitis imperialem; deinde, quia veritate caret, quod dicitis illam praevenisse; non enim illa praevenit, sed nostra, id est, pontificalis. Neque ignorare debueratis, *maius esse regimen animarum, quod est pontificale, quam imperiale, quod est temporale.* Beatus Gregorius Nazianzenus non hoc timuit coram imperatoribus in Ecclesia praedicare. Sic enim ipsis imperatoribus loquitur dicens: ‚Suscipitisne liberta-

tem verbi, libenter accipitis quod lex Christi sacerdotali vos nostrae subiicit potestati, atque istis tribunalibus subdit? Dedit enim et nobis potestatem, dedit principatum, multo perfectiorem principatibus vestris. Aut numquid iustum vobis videtur, si cedat spiritus carni, si a terrenis coelestia superentur, si divinis praeferantur humana?' Quare igitur vos sicut veri sacerdotes, divini videlicet cultus ministri non humani, non respondetis imperatori, cuius sacra vos dicitis iussione praeventos, sicut idem beatus Gregorius alloquitur imperatorem praesentem, dicens: ‚Patienter, quaeso, accipe libertatem nostram. Scio te ovem esse gregis mei a Christo summo Pastore mihi annumeratam, et a S. Spiritu consignatam etc.' Quare etiam nunc commorantes cum imperatore, intermittentes stultissimas adulationes, non ei praedicatis cum beato Augustino dicentes: ‚Felices dicimus imperatores, si iuste imperant, — si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum maiestati eius famulam faciunt etc. — Vos autem e contrario, quia non vultis esse veri aedificatores, estis procul dubio veri deceptores, sicut scriptum est: ‚Populе meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.' Deinde postquam dixistis vos laetatos esse de adventu nostro, iterum intulistis quorumdam relatione magno moerore affectos, quod utique facit instabilitas mentis. Verum est omnino, quoniam qui haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur. Sed inter has haesitationes nimis stolide nos iudicatis immemores esse pastoralis officii et districtissimae moderationis. Deinde, sicut scriptum est ‚Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnata', adiungitis, quod omni verecundia dignum est, dicentes nos venire propter quamdam praesumtuosam et omni ratione carentem excommunicationem faciendam, et admonetis nos nimis involutis et confusis sermonibus et sensibus, ut neque nostra voluntate neque alterius hortatu praesumtione praerumpamus, eo, quod, ut dicitis, pertineat ad iniuriam ac dehonestationem imperialis potestatis, et ad minorationem et reprehensionem nostrae auctoritatis. Dicite, quaeso, quae sunt ista portenta verborum? et quid potius pertinet ad dehonestationem imperialis potestatis, opera digna excommunicatione, an ipsa excommunicatio? Sed quia haec verba vestra exaggerare laboriosum est, eo quod plena sint nauseae: tantum illud flagito, ut dicatis, quomodo potest fieri, ut manente Apost. Sedis honore

mea tantum persona in causa reprehensionis et vituperationis remaneat? Nullo modo enim fieri potest, ut si is, qui locum beati Petri tenet, exhonoratur sine crimine, dum taxatur, cathedra eius honorata permaneat. In tantum autem honoranda est cathedra pontificalis, et propter cathedram sedens in illa, ut etiam de Caipha crudelitate et incredulitate impio dicat Evangelista: ‚Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit etc.‘ Unde constat etiam impium Caipham propter cathedram honoratum esse prophetia. Vos autem fidelem et cultorem pietatis pontificem dehonestandum praedicatis absque iniuria Sedis: quod omnino falsum est. Bene autem subiungitis, memorem me esse debere iurisiurandi causa fidei facti imperatori. Quod si feci, in hoc volo vitare periurium, si annunciavero ei omnia, quae contra unitatem et pacem Ecclesiae et Regni committit; quod si non fecero, periurus ero, sicut et vos, si tamen iuravi. Vos tamen quia procul dubio iurastis et reiurastis, promittentes ei, erga illum omnia fideliter vos agere, et nunc videntes illum agere contra fidem, et praecipitari in perniciem, non revocatis eum quantum in vobis est, periuri estis, quia pro eius salute secundum fidem promissam non laboratis, etc. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 104. p. 297.

454—455.

Leo IV. PP. A. 847. ss. in literis ad Eppos Britanniae, et ad Hincmarum Remensem vindicat Sedi Apost. ius causas Epporum cognoscendi et definiendi.

454. MON. *Eppis Britanniae.* Quanto studio quantaque solertia gregem vobis a Domino commissum pascitis, divinisque fovetis eduliis, nobis directa scripta reserarunt. Unde non modica exultatione congratulor, et tantarum ambiguitatum indagatione laetificatus, a timore negligentiae, qui me illius regionis in infimis deprimebat, quasi a gravi langvore relevatus, et utpote sanus, licet omni salute captus, magis animo sospes surrexi quam corpore. Quia cum quosdam laicorum in ecclesiasticis cog-

noverim curis praepollere, et studioso animo ab illorum respondere vigilantiis cogerer, nihil aliud vos, qui divinis negotiis et ecclesiasticis sorte venistis, quam crederem dormitare, nunc divina gratia hi confratres nostri, videlicet talium et tales ecclesiarum praesules, ad nos perducti et cogniti, magis securus nunc duro quam antea. Legationem denique communem omnium epporum nobis propositam delinquentes, requiritis de his, qui turpissimo lucro columbas in templo Domini vendere non pertimescunt, et sua acta improba temeritate Simonis haeresi coniungunt, utrum possint in ordine poenitentiam agere aut tantummodo extra ordinem et sacerdotalem fieri gradum. Quibus nos quidem convictis, qui tam detestabile nefas, quod iam multis est damnatum conciliis, peregisse noscuntur, nulla poenitentia possumus subvenire, et tot spiritualibus patribus obviare, sed in illorum patrum me sententia convenire omnibus certum sit. Ita tamen, ut omnia in conciliis sint epporum. Nam nullam damnationem epporum esse unquam censemus, nisi aut ante legitimum numerum epporum, qui fit per 12 eppos, aut certe probata sententia per 72 idoneos testes, qui tales sint, qui et accusare possint, et prius ad sacra Christi quatuor Evangelia sacramenta praestent, quod nil falsum depromant, sicut nobis beatus Silvester tradidit, et Romana Sancta tenere videtur Ecclesia. Et si inter eos, quos damnandos esse dixerunt homines, fuerit *Eppus, qui suam causam in praesentia Romanae Sedis Eppi petierit audiri, nullus super illum finitivam praesumat dare sententiam*, sed omnino cum audiri decernimus. —

455. *Hincmaro AEppo Remensi.* Causas, pro quibus hoc usque ad tempus suspendimus (confirmationem Synodi Suessionensis), caritati vestrae dicemus. Prima igitur haec est, quia sicut ab episcopis praenominata synodus utiliter ventilata sive sopita est, ita per aliquot ex eis, ut dubitatio foret radicitus evulsa, statuta vestrae synodi destinare debuistis. Alia autem iuxta votum vestri desiderii id nos perficere minime permisit, eo quod legati Sedis Apost. praesentes ibidem non fuerunt, neque imperialis epistola nobis est praesentata, quae hoc, quod expetendum misistis, specialiter indicare potuisset. Quarta scilicet causa haec est, quia hi, quos depositos caritas vestra auctoritate synodi fore affirmat, per proprias literas Sedem Apost. appellarunt, et volunt iterum nostra se apostolica audiri praesentia, et

tunc si culpabiles inventi fuerint, non se abnuunt canonicam sustinere censuram. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 115. p. 667. ss.

456—457.

Benedictus III PP. A. 855. ss. praerogativas Sedis Romanae Eppis Galliae in memoriam revocat.

456. MON. *Hincmaro Remensi.* Probabilium sacrorumque definitiones gestorum audientium mentes exhilarant, faciuntque alacres, et in tantum mortalium corda laetitia replent, ut in Conditoris omnium exuberent laudes, facilique intuitu illarum confirment proficuas intentiones et actus, validoque et inconvulso propagare fundamine certamine ingenti procurent. Nostri quemadmodum pontificis cor dulcisonis tuae benignitatis apicibus laetius effectum est et hilarius, strenua quos perlegentes inquisitione nostrae te esse coniunctum dilectioni internis novimus oculis, divinisque prosperitatibus efficacem, Synodique textum imminenti ventilantes intuitu, eiusque actus, quam apud Suessionis civitatem tua beatitudo studuit celebrare, cum eppis tuae dioeceseos, — ut scriptis in ea contulisti, subtilique demonstratione pandere procurasti: quae ad profectum sanctae noscuntur Ecclesiae piis auctoritatibus statuta sancita reperimus; — haec cernentes, ad ea, quae cupis, nullatenus nos inclinare ambigimus, tuae venerationis adimplere cupientes affectum. Et quia ut devotus fidelisque in omnibus filius, pro instructione seu *confirmatione* gestorum ac regularum ecclesiasticarum *semper ad hanc te Sedem recurrere* contemplamur, definitiones fraternitatis tuae et ceterorum epporum, quas in praefata synodo apostolicis canonicisque auctoritatibus propriis digitis roborasti, si ita est, nostro ut scriptis praesulatui intimasti et gestorum serie demonstrasti, ratas eas quidem definitiones apostolica fore promulgamus auctoritate, semperque manere statuimus, ut inde quaestio nullis aliquando temporibus oriatur, et aspirantes indebite anhelitus compressi funditus perpetuo maneant, ne amplius ullorum contradicentium adversitatibus Dei conturbetur

Ecclesia, sed omnibus eruta saevae pertractationis erroribus unita semper in Christo permaneat. Inter haec quidem et id sancimus, ne quilibet tuae dioeceseos regulis subiectus Ecclesiae, te contemto, impune audeat seu valeat aliena expetere aut expectare iudicia, ut almorum traditionibus patrum canonumque promulgationibus est constitutum, *salvo in omnibus iure apostolicae nostrae sedis, ut ab ipso veluti Christo et sacris est cautum canonibus.* —

457. *Ad Eppos Galliarum.* Cum *Romanae Sedis Pontificem constet omnium Ecclesiarum Christi caput atque principem fore,* tamquam beati Petri principis apostolorum vices agentem, cui Christus totius Ecclesiae committens principatum fatur: Tu es Petrus etc. cunctatio nulli fidelium relinquitur, quod universis ecclesiis sollicitudinem praetendere, et omnium in Christo credentium saluti, paci, atque quieti prospicere nos oporteat, ut et quae prava sunt corrigantur, et quae rata, roborentur, quae corrupta sunt restaurentur, quae autem integra conserventur. Cumque hanc curam circa universalis Ecclesiae corpus per totius orbis latitudinem diffusae custodire debeamus, speciali tamen praerogativa post Romanam atque Italicam erga Ecclesias *Gallicanas* nobis convenit observare, quemadmodum praedecessores nostros fecisse manifestum est. Quod competentius nunc quoque fieri oportere ipse reipublicae status testificatur, quandoquidem utramque provinciam unius imperii sceptrum non dividit, et Romanae dignitas Ecclesiae una cum terreno principatu utriusque provinciae regnum communi iure disponit, ut et rerum principes sua decreta Romanae Ecclesiae sancitis praemuniant, et eccles. iura principum statutis adiuventur, aestimantes terrenae reipublicae rectores tunc se feliciter imperare, si suis sanctionibus apostolica confoederetur auctoritas, quam dum in nobis suscipiunt ac venerantur, illum se suscipere gratulantur, qui discipulis suis loquitur, dicens: Qui vos recipit, me recipit. Hinc e contrario de contemtoribus ait: Qui vos spernit, me spernit. *(Sequitur confirmatio privilegiorum monasterii Corbejensis.)*—**Migne** *Patr. Lat.* t. 115. p. 689. ss.

458—459.

Hincmarus Remensis et **Aeneas Parisiensis** Eppi de Romanae Apost. Sedis praerogativa. Sec. IX.

458. MON. **Hincmarus,** *de Praedestin.* — Consulentes ante omnia, sicut et *prima est in toto orbe, omnium Ecclesiarum mater, Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam: quae non ab homine, neque per hominem, sed Dominum Iesum Christum, sicut Petrus et Paulus Apostolatum, ita et haec S. Sedes omnium civitatum meruit Principatum.* — Piis, devotis, atque *catholicis hoc potest ac debet sufficere, quod omnium Ecclesiarum mater Sancta Catholica atque Apostolica docet Romana Ecclesia.* Ipsa enim ut mater nos genuit, nos religione nutrivit, nos doctrina instruxit, nos sicut in S. Petro a Christo firma petra accepit, doctores instituit, et catholico lacte nutritos et ad virum perfectum perductos, ad docendum alios informavit. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 125.

459. **Aeneas,** *in Spicil. Dacherii t. 7.* — Non vero in Romana Sede Deo rectore tale unquam contigit dedecus, ut aliquis haeresiarches eidem praesideret, quam summus Apostolorum Princeps sua sessione illustravit, et fuso sangvine consecravit; cui suas regendas oves Dei Filius speciali cura commisit. Nec mirum, quia ipsi dictum fuerat: ‚Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni coelorum.‘ Ergo cui propria auctoritate regnum dabat, huius fidem formare non poterat? quem cum petram dicit, firmamentum Ecclesiae indicavit. —

460—472.

Nicolaus I Papa A. 858. ss. ut verus Dei athleta Ecclesiam regens, tum legislativam suam potestatem multipliciter explicuit, tum ab Eppis et Conciliis qua Primas Ecclesiae honoratus fuit, tum in causa **Photii** CPni Patriarchae iura S. Sedis Apostolicae intrepide exeruit.

460. MON. *Relatio Epporum in Concilio Aquisgranensi congregatorum ad Nicolaum I PP.* Apostolicis documentis, et Pontificalibus decretis multipliciter informamur, ut *vestri sanctissimi Apostolatus apicem, principis Apostolorum fide et nomine consecratum, quoties sancta Ecclesia aliqua novitate pulsatur, humiliter adeamus,* ibique veri consilii saluberrima instituta sinceriter hauriamus, ubi mitis magister Christus et summum caput nostrum fundamentum Ecclesiae posuit. Et quia omnipotens Deus nostris iam periculosis temporibus misericorditer nobis vestrae auctoritatis iubar faustissimis divinae sapientiae floribus et sanctissimis virtutum studiis insignitum praevidit, illum laudamus qui praestitit, eiusque clementiam votis imploramus assiduis, ut talem ac tantum patrem nobis incolumem custodiat temporibus diuturnis. *(Transeunt ad enarrandum, quod causa Lotharii Imperatoris cum sua uxore multis inimicitiis occasionem praebuerit, et pollicentur, se per missos suos rem totam uberius Sedi Apostolicae exposituros.)* — **Harduini** *Conc. V.* 502.

461. *Acta Synodi Metensis pro divortio Lotharii sententiam dicentis cassat Nicolaus I PP. in C. Romano, simulque in Praesules eiusdem Synodi animadvertit, a. 863.* Nicolaus — Eppis per Galliam, Italiam, et Germaniam constitutis. Scelus, quod Lotharius rex, si tamen rex veraciter dici possit, qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrenavit, sed lubrica enervatione magis ipsius illicitis motibus cedit, in duabus feminis,

Theutberga et Waldrada, commisit, omnibus manifestum est. Sed et dudum Eppos Theutgaudum et Guntharium in tali facto eum habuisse tutores et fautores pene totus orbis undique ad limina seu sedem Apost. confluens referebat, absentibus quoque id ipsum scribentibus nostro Apostolatui. Quod nos tanto credere renuimus, quanto de Eppis tale quid audire nullatenus sperabamus, donec ipsi Romam tempore Concilii venientes coram nobis et s. synodo tales inventi sunt, quales fuerant a multis saepissime praedicati, ita, ut scriptura, quam suis stipulaverant manibus, quamque volebant ut nostro roboraremus chirographo, caperentur, et dum muscipulam innocentibus apponere satagerent, insidiis suis illaqueati sunt ipsi. Sicque completum est Deo auctore, quod in Proverbiis legitur : ‚Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.' Siquidem ipsi obligati sunt et ceciderunt, nos vero qui in hoc flagitium falso cecidisse dicebamur, favente Domino cum iustitiae propugnatoribus resurreximus et erecti sumus. Igitur decernente nobiscum S. Synodo in praesentia depositi et ab officio sacerdotali excommunicati atque a regimine episcopatus alienati indubitanter existunt. Unde vestra fraternitas canonum normam custodiens et decretorum sanctiones observans, caveat, ne hos, quos nos abiecimus, recipere in sacerdotum catalogo praesumat. Depositionis autem sententia, quam in praedictos Theutgaudum et Guntharium protulimus, cum ceteris capitulis, quae sancto concilio nobiscum sanciente promulgavimus, inferius annexa monstratur. *Cap. 1.* Synodum, quae nuper — in Metensium urbe ab Eppis, qui nostrum praevenerunt iudicium, collecta est, quique Apost. Sedis instituta temere violarunt, extunc et nunc et in aeternum iudicamus esse cassatam, et cum Ephesino latrocinio reputatam, apostolica auctoritate in perpetuum esse sancimus damnandam, nec vocari synodum, sed tamquam adulteris faventem ‚prostibulum' appellari decernimus. *Cap. 2.* Theutgaudum Trevirensem Primatem Belgicae provinciae, et Guntharium Agrippinae Coloniae AEppos, nunc coram nobis et s. synodo sub gestorum insinuatione, qualiter causam Lotharii regis et duarum mulierum eius Theutbergae et Waldradae recognoverint et iudicaverint, scriptum super hoc propriis roboratum manibus offerentes, nihilque se plus vel minus aut aliter egisse ore proprio multis coram positis affirmantes, et sententiam, quam a Sede Apostolica in Ingeltrudem uxorem Bosonis

sanctissimus frater noster Mediolanensis AEppus Tado et ceteri coëpiscopi nostri petierant emittendam, et nos divino succensi zelo sub anathematis obtestatione canonice protuleramus, publice viva voce se violasse confitentes, in quibus omnibus invenimus eos apostolicas atque canonicas sanctiones in pluribus excessisse et aequitatis normam nequiter temerasse, ab omni iudicamus sacerdotii officio permanere penitus alienos; et ideo Spiritus S. iudicio et beati Petri per nos auctoritate omni episcopali exutos regimine consistere definimus. Quodsi iuxta praecedentem consvetudinem tamquam episcopi ausi fuerint aliquid de sacro ministerio contingere, nullo modo liceat eis nec in alia synodo spem restitutionis aut locum habere satisfactionis, sed communicantes eis omnes abiici ab ecclesia, et maxime si posteaquam didicerint adversus memoratos prolatam fuisse sententiam, eis communicare tentaverint. *Cap. 3.* Ceteri autem Episcopi, qui complices horum vel sectatores esse feruntur, si cum his coniuncti seditionem, coniurationes et conspirationes fecerint, vel si a Capite, id est, a sede beati Petri, illis haerendo dissenserint, pari cum eisdem ratione teneantur adstricti. Quodsi cum Sede Apostolica, unde eos principium eppatus sumsisse manifestum est, sapere de cetero per semetipsos vel missos ad nos legatos suos cum scriptis suis professi extiterint, noverint sibi a nobis veniam negandam, nec amissionem honorum suorum pro retroactis praesumtionibus aut subscriptionibus, quas pro insanis fecerunt gestis, per nos ullo modo formidandam. — *Cap. 5.* Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro catholica fide, pro eccles. disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione scelcratorum, vel interdictione imminentium vel futurorum malorum, a Sedis Apostolicae praeside salubriter promulgata contemserit, anathema sit. — **Harduini** *Conc. V.* 573.

462. *Ep. ad Adonem AEp. Viennensem. A. 864.* Saepe sanctitatis vestrae literas suscepimus, quae nos monebant, et obnixe rogabant, ut de eccl. causis Ecclesiam vestram qualiter agere deberet instrueremus. Unde nobis nihil melius visum est, quam ut sanctitatem vestram ex decretis et institutis praedecessorum nostrorum doceremus, qui, quo ordine Ecclesia, cui Deo auctore praeesse dignoscimur, sive aliae ab ipsa longe lateque fundatae versentur, in scriptis suis evidentissime nobis tenendum reliquerunt. Beatissimus Innocentius PP. ad Decen-

tium Eppum Eugubinum ita posuit : Si instituta ecclesiastica etc. *ut in epist. huius Papae.* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 119. p. 889.

463. *Ad Hincmarum AEp. Remensem. A. 865.* Si coram tuae prudentiae oculis ullus esset paternorum canonum vel Apostolicae Sedis respectus, numquam *Rothadum* Suessionicae urbis eppum sine nostrae tentasses scientiae notione deponere. Praecipue cum negotium, quod merito inter maiora connumeratur (de persona scilicet iudicare, cuius in ecclesia ceteris ordo maior est), ventilanti et multipliciter rimanti tibi adeo de se difficiles exitus daret, ut octo circiter annos, ut deponeretur, elaboraveris, et in tanta perplexitate causarum, et in tanta intercapedine temporum, *nullam beati Petri memoriam* prorsus habueris : cuius contra is, qui deponebatur, mentionem faciens tua decernente religiositate proprio gradu caruisse dignoscitur. Et cum in suis opportunitatibus ad Sedem apostolicam beatitudo tua scripserit, et ab illa sibi manum porrigi contra falsos fratres poposcerit, et quaedam privilegia concedi sibi petierit, in causa Rothadi solum quasi eius solatii non indigna Sedis Apostolicae non memor fuit nec utique visitatrix. Quinimo contra appellantem hanc eundem venerabilem virum tanta molimina tantaque praeparare machinamenta minime formidasti, ut postquam data sibi Romam veniendi licentia fuerat, priusquam tibi et regi valefaceret, postea hunc a nostro examine ad tua, ut ita dicam, tribunalia deduxeris *(quia synodus dici non potest, ubi noster nullus praebetur assensus)*, et ingredi praetorium nolentem depositioni tyrannico more subiiceres, occasionem sumens de quadam epistola, tamquam Rothadus, postquam ad nostrum appellaverat iudicium, rursus ad vestrum mutata voce provocasset examen, quod omnino falsum est. — Sed arguta sapientia tua, utinam in bono accepta, fomitem iudicii et materiam dispositionis adversus Rothadum assumsit, et ab itinere Sedis Apost. revocavit, et continuatim Sedem Ap. appellantem damnavit et carcerali custodiae mancipavit : cum etiamsi nullus a vestro iudicio provocasset, privilegia tamen *Ap. Sedis* vos oblivioni tradere nullatenus debuissetis, quibus *venerandi canones iudicia totius Ecclesiae ad hanc deferri iubent, et ab illa,* sicut Gelasius meminit, *nusquam appellari sanxerunt,* ac per hoc ipsa de omnibus iudicare, ab illa vero nulli est appellare permissum;

sed etiamsi ad vestrum provocasset a nostro iudicio, a vobis extabat tamquam erroneus corrigendus; quinimo nec ante specialiter fuerat corrigendus, quia vobis peculiarius erat penitus amplectendus. At ubi obdurato mentis intuitu haec omnia postposuisse contra spem dolenter audivimus, missis literis nostris praecepimus, ut eum de carceris angustia educeres, et aut mox pristino gradui redderes, aut illum cum vicariis tuis et epporum, qui depositioni eius consenserunt, in nostram praesentiam destinares. — Tandem aliquando unum e duobus, quod vult fraternitas tua, sibi a nobis proposita optione eligat, quia utrumque canonicum est, utrumque ad sedis apostolicae pertinet privilegium. Videlicet aut quae de saepefato fratre et coepiscopo nostro Rothado disposuimus, adimplens, in nullo refragatrix, sed executrix inveniatur; aut certe Romam coram nobis seu sancta Romana Ecclesia, cum ipso conflictum sumtura et pro hoc altercatura, properare sine dilatione maturet, ita duntaxat, ut prius ipse Rothadus cunctis ablatis, sicut statuimus, recuperatis honoribus et vires longo tempore fessas priori valetudini redditus resumens, diutius possideat, et suis omnibus perfruatur. Quodsi neutrum sine procurata mora fortassis agere volueris, et resultare his, quae de illo statuimus, solito more ulterius curaveris, ab omni sis sacerdotali dignitate Dei per nos iudicio et auctoritate sedis apost. de cetero sequestratus, ita, ut numquam locum satisfactionis aut ordinis restitutionem operiaris. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 119. p. 897.

464. *Ad Eppos Galliae, a. 865.* Quamvis singularum Ecclesiarum, quae propter diversitatem terrarum multae esse dicuntur, cum una sit et unica sponso suo, sicut ipse in Canticis Canticorum dicit: ‚Una est columba mea', et per Psalmistam ‚eruc de manu canis unicam meam', pastor et episcopus ac pontifex D. N. I. C. qui hanc creavit et redemit, existat, ita ut ille veraciter ac principaliter ista sit omnia, iuxta quod fidelibus per primum apostolum dicitur, ‚conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum', et iuxta quod egregius praedicator de eo loquens' talis, inquit, decebat ut nobis esset pontifex: subiturus tamen ad coelos hanc Apostolis commendavit, ac per eos tamquam haereditario iure successoribus eorum, nobis scilicet, quos pastores, episcopos ac pontifices super ipsam constituit, eius providentiae curam indulsit, quatenus pro patribus nati filii

et pro eis constituti principes in omnem terram, imitatores eorum essemus, sicut et ipsius Christi. Verum et inter beatissimos apostolos, sicut et ille magnus Leo scribit, in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, *uni tamen datum est, ut ceteris praemineret.* De qua forma Epporum quoque est orta distinctio, et magna dispositione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres prima haberetur sententia, et rursus quidam in maioribus urbibus constituti, sollicitudinem eius susciperent ampliorem, per quos *ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiae cura conflueret, et nihil unquam a suo Capite dissideret.* Quod nisi quidam ex vobis nullo interiori comprehendissent obtutu, numquam Rothadum Eppum Suessonicae urbis sine consensu nostro deposuissent, depraedarentur, et in exilium pulsum monasteriali custodiae manciparent. Nam quomodo non omnes vobis omnia vindicatis, qui iudicia epporum, quae merito inter maiora numerantur negotia, vestrae diliberationi tribuistis? an modicum vobis esse videtur, fratres et coepiscopos vestros praeter apost. Sedis consensum depositioni subiicere? quodsi damnationes epporum non inter maiora negotia dinumeratis, quorum iam causas inter maiora computatis negotia? — Si Eppos tanta facilitate deponitis, quomodo per vos, quorum vel in singulis provinciis habetur prima sententia, vel qui in maioribus urbibus constituti sollicitudinem suscipitis ampliorem, ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiae cura confluit, qui de maioribus deponendis eppis nihil ad eius notitiam deferre curatis? An Eppi de universali Ecclesia non sunt, ut de illis damnandis per vos aliquid ad unam Petri Sedem deferri non curetur? vel quomodo nil usquam a suo Capite dissidet, cum de adiudicandis praecipuis membris Ecclesiae, id est, Eppis, a capite, id est, Sede Apostolica, dissentitis? An Sedes Apostolica caput non est? — *(Recensendo dein ea, quae iam in epistola priore ad Hincmarum de decretalibus RR. PP. dixerat, sic prosequitur Pontifex:)* Scitote, nos, quod temeritate magistra perperam a vobis commissum est, et quod inconsultis nobis in Rothado fratre et coepiscopo nostro praepropere perpetrastis, etiamsi numquam Sedem Apost. appellasset, Dei auctoritate et beatissimorum Petri et Pauli principum apostolorum, seu omnium decessorum, nec non et sanctorum 318 patrum, qui apud Nicaeam

sub Constantino pio principe convenerunt, penitus evacuantes et in irritum ducentes, praefatum Rothadum pristino gradui, pristinae dignitati, pristino reddidisse honori, ita, ut divina mysteria conficiendi priorem facultatem adeptus, omnique sacerdotali restitutus officio, sine cuiuslibet contradictione, propriae receptae libere praesit Ecclesiae, a qua inconsultis nobis expulsus est. Denique cum ante biennium scriptis et verbis instanter egissemus, ut idem Rothadus aut propriae redderetur Ecclesiae, aut certe Romam cum vicariis vestris et ipsius accusatoribus ad examinandum et iudicandum nobis destinaretur, et nihil apud vos impetrare potuissemus, dum modo hoc, modo illud ad excusandas excusationes in peccatis obiiceretis, tandem aliquando Deo inspirante et Nicaenae nobis Synodi decreto suffragante quo inter cetera praecipitur, ut suis privilegia serventur Ecclesiis, ratum duximus iam fatum Rothadum, memores scilicet privilegiorum Apost. Sedis, a vinculis, quibus illum ne uteretur officio nec suae praeesset Ecclesiae colligastis, absolvendum. Neque enim tam stolidus tamve poterit a traditionis tramite devius inveniri, qui ceteris Ecclesiis privilegia servari, et soli *Romanae Ecclesiae* adimi debere perhibeat, *quae omnium Ecclesiarum magistra, mater, et caput est.* Si quis autem tacita forte, quia non audet aperta mussitatione fateri, Romanae huiusmodi Ecclesiae privilegia non fuisse, quibus Sedes Apostolica aliorum ligata praesulum dissolvendi facultatem habuerit, praeter quod prisca rerum probatione et nonnullarum recitatione scripturarum convincitur, testis est beatus Gelasius, quem idcirco ad testimonium super his perhibendum produximus, quia hunc non solum vita et doctrina plurimum commendat, verum etiam rem, de qua agitur, in paucis adstruit, et ostendit, nobis videlicet brevi sermone propinans, quod de multorum voluminum fontibus hausit. Scribens enim Eppis per Dardaniam constitutis, inter cetera ‚nec plane, ait, tacemus, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum Sedes beati Petri Apostoli ius habeat resolvendi, utpote quae de omni Ecclesia fas habeat iudicandi.‘ Item ad Eppos Orientales: ‚post quingentos, inquit, annos constituta Christi eos velle subvertere, cum 30 annorum lex humana non possit abrumpi; s. Athanasium ideo non damnatum a Synodo Orientis, quia Sedes ista non consenserit, vel s. Ioannem CPnum, vel s. Flavianum.‘ Si ergo hac

non consentiente sola ii damnati a synodo Orientis non potuerunt esse damnati, consequens est etiam, qui eadem sola damnante sine Synodo damnatus fuerit, damnatus sit. In quo inter cetera notandum est, quia si hos, qui post 500 annos statuta Christi tentabant subvertere, tanta vir sanctus increpatione redarguit, cum 30 annorum lex hominum non possit abrumpi, quanto magis exprobrandi sunt, qui ea etiam post 800 et eo amplius annos nituntur evellere? Quae vero ‚statuta Christi' dixerit, inferius declaravit, cum sola Sede Apostolica non consentiente neminem posse damnari, et sola ea consentiente qui damnatus fuerat, damnatum haberi exposuit. Statuta itaque Christi dixit post 500 annos velle quosdam subvertere: quia iam quinquies centum circiter anni praeterierant, quando venerabilis Papa dixit, Sedem Apostolicam haec statuta Christi promeruisse. *Privilegia enim sua a Christo Ecclesia Romana per Petrum consecuta est, ei ipsa sunt statuta Christi:* quae quidam tunc post 500 annos, nunc post 800 exinanire conantur. Ecclesiae, inquam, Romanae adeo sunt antiqua et vetera privilegia, ‚ut Nicaena Synodus', sicut Bonifacius praesul apostolicus Eppis per Thessaliam constitutis scribens ait, ‚non aliquid super eam ausa sit constituere, cum videretur nihil supra meritum suum posse confiteri. Omnia denique noverat huic Domini sermone concessa.' Si omnia, ergo et Epporum iudicia. — A tempore, quo Synodus Nicaena fuerat consummata, nondum quingenti usque ad Gelasium anni transierant, ut de Nicaenae Synodi statutis tantus vir dixisse videatur, eos post 500 annos statuta Christi velle subvertere. Restat ergo, ut illius temporis mentionem fecerit, a quo 500 circiter annorum curricula usque ad se devoluta poterant comprehendi. Christus enim privilegia constituta in Petro disposita vel firmata Romanae contulit Ecclesiae, super quam nihil synodus quaelibet ausa est merito constituere, cum sciat omnia illi Domini sermone concessa. Dispensationem quippe redemtionis humani generis ante tempora secularia Dominus omnipotens penes se ordinatam custodiens, et tempore carnis ostendens, ascensurus ad coelos, in Apostoli Petri, per quam et apostolatus et eppatus sumsit exordium, confessione curaque praecipue collocavit: qui tunc per se, et deinceps per suae sollicitudinis haeredes circa humanum genus quae sibi Dominus commendavit, non destitit exhibere. Haec enim ille, haec eius successores ex

tunc agere non omittunt, modo verbis modo decretorum suorum epistolis ab urbe Romana diversis temporibus datis, commissarum sibi ovium providentiam principaliter exercentes. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 119. p. 899.

465. *AEppus Senonensis ex Concilio Senonensi scribit ad Nicolaum I. PP. de deponendo Eppo Nivernensi.* Suggerimus mansvetissimae paternitati vestrae, in nostra dioecesi, in oppido, quod Nevernum dicitur, esse quemdam episcopali officio praeditum nomine Herimannum, qui frequenter admonitus et diu expectatus ut revalesceret, implere non sufficit ipsum officium, mente non integra. Dicitur autem Melchiades Papa decrevisse, *ne quis unquam Pontifex sine consensu Papae Romani deponeretur.* Unde supplicamus ut statuta illius integra, sicut penes vos habentur, nobis dirigere dignemini, ut hinc dictis ipsius confirmati, aut sicut beatus Gregorius doctor fecit de Ariminensi Eppo simili incommodo laborante, sequamur, aut sicut S. Gelasius docet, removendus sit mente percussus. *Quo verum absque dubietate sciamus, expetimus et expectamus vestrum iudicium,* ne in temeritatis calumniam aliquatenus incidamus, sed vestro instituti moderamine, veritatis et rectitudinis tramitem nullatenus deseramus.

466. *Rescripta Nicolai I PP. ad AEppum Senonensem.* a) Indicas Herimannum Eppum super quibusdam frequenter fuisse accusatum, pro quibus quia ex parte ipsius persona deest, nos uni parti ad discrimen alterius credere procul dubio non possumus. Quamvis nec usque adhuc qui fuerint illi excessus dixeris, nec utrum sanae mentis erat idem antistes, nec ne, cum ipsos excessus perpetrabat, evidenter ostenderis: satiusque arbitramur quamlibet interim infirmitatem ad poenam peccati quam ad ipsum pertinere peccatum, cui magis consulendum sit et compatiendum, quam puniendum vel aliquo modo feriendum. — b) Revera iustus mediator non est, qui uno litigante et altero absente amborum emergentes lites decidere non formidat. His ita praemissis volumus et auctoritate apostolica monemus, ut si presbyter, de quo agitur, post excommunicationem suam Apost. Sedem adire voluerit, nullus iter eius impedire praesumat. — **Harduini** *Conc. V.* 537.

467. *Epistolae et decreta Nicolai I. PP. in negotio Photii, quibus auctoritatem suam respectu viri huius, ad Sedem Pa-*

triarchicam CPnam contra canones promoti egregie tuetur. Signanter : Ep. Ad Michaelem Imper. A. 860. Principatum divinae potestatis, quam omnium conditor electis suis apostolis largitus est, super solidam fidem apostolorum principis, *Petri* videlicet *soliditatem constituens,* eius egregiam imo *primam sedem* deliberavit. Nam voce dominica ipsi dictum fuerat : Tu es Petrus etc. Petrus denique a firmitate petrae, quae Christus est, structuram universalis Ecclesiae inconcussam et fidei robore solidatam ita precibus suis munire non cessat, ut errantium vesaniam rectae fidei norma reformare festinet, nec non intrepide eam consolidantes remunerare procuret, quatenus portae inferi, malignorum utique spirituum suggestiones atque haereticorum impetus non praevaleant eiusdem Ecclesiae unitatem refringere. Quapropter Deo omnipotenti multiplices referimus grates, qui vestro pectori hoc infundere dignatus est, ut fautores Ecclesiae Dei effecti concordiae ipsius desideretis favere, ne quavis rubigine erroris consummatur pulchritudo fidei, et frangatur intellectus apostolicae traditionis. Ad cuius etenim, sicut ipsi scitis, integritatem observationis multoties conventus factus fuerit ss. patrum, a quibus et deliberatum ac observatum existit, qualiter absque Romanae Sedis Romanique Pontificis consensu nullius insurgentis deliberationis terminus daretur. Igitur a vobis CPli congregatum concilium, ut vestris apicibus nostris intimatum est auribus, huius tenoris seriem parvipendens, ab institutis supradictis manum considerationis suae reflectere non trepidavit, adeo, ut Ignatium supra iam nominatae urbis Patriarcham sine Romani consultu Pontificis ibidem coetus conveniens proprio privasset honore. Quod quam sit reprehensione dignum, testes illi, qui ei oppositi fuerant, manifestant, quia tales, quos in epistola vestra legimus, canonica institutio prohibet, et invidiose datos manifeste claret, quoniam nec ipse proprio ore manifestavit illa, quae ei obiiciebantur, neque accusatores illius secundum ss. canonum instituta probaverunt. Ceterum his etiam sic iniuste peractis, ad detestabiliora inconsiderationis suae votum, supradictam populi catervam dirigendo, de laicorum habitu, qui ei praecesset, eligit pastorem. — Iste *Photius* antea prorupit doctor, quam doctus extiterit; — doctoris cathedram eligens, docere prius elegit ac deinde coepit doceri. — Haec catholicus ordo prohibet, et sancta nostra Romana Ecclesia talem electio-

nem semper prohibuit per antecessores nostros catholicae fidei doctores. Quorum nos tenorem observantes, instituta ipsorum esse inviolabilia censemus. *Citatis pluribus canonibus, prosequitur:)* — His itaque paulisper praelibatis in supradicti viri consecratione consensum apostolatus nostri praebere non possumus, donec per missos nostros, quos ad vos destinavimus, cuncta, quae in iam praenominata saepius urbe de eccles. causis seu ordinibus peracta sunt, vel agentur, nostris intimata fuerint auribus. Et ut in omnibus rectus ordo servari queat, volumus, o clemens Auguste, ut Ignatius, quem sedis supradictae gubernacula propria spontaneaque voluntate deseruisse et totius plebis congregato concilio depositum esse vestris apicibus nobis intimare curastis, in conspectum veniat nostrorum missorum, et universi concilii, quatenus perquiratur, quamobrem spreverit traditam sibi plebem, et instituta antecessorum nostrorum — parvipendendo contemserit, et in hoc agendum subtili examine a nostrae iussionis legatis depositionis eius censura perquiratur, quatenus inquirentes invenire queant, utrum canonicus tenor in eadem observatus fuerit, vel non, ac deinde cum nostro praesulatui significatum fuerit, quid de eo agendum sit, apostolica sanctione diffiniemus, ut vestra Ecclesia, quae tantis quotidie quatitur anxietatibus, inviolabilis deinceps et inconcussa permaneat. —

468. *Ad omnes Eppos Orientis A. 862.* Quod generali notitia extat universae plebi Dei vulgatum, minime vestrae sanctitati habetur incognitum, qualiter praeterito iam tempore sancta CPnae urbis Ecclesia, imo Graecorum inclytus imperator cum christianissima plebe suae ditioni subiecta pro quibusdam praevaricationibus in eadem Ecclesia pullulatis, ac variis dissensionibus in eodem populo super Photio invasore, et Ignatio patriarcha nequiter obortis, legatos proprios ad hanc sanctam et omnium ecclesiarum matrem miserunt Ecclesiam, discretissima videlicet postulatione consulentes, qui diffinitionis calculus super huiusmodi praevaricationibus nostro iudicio deberetur imponi: sancta scilicet ac salubri discretione perducti, *ab hac principali Ecclesia, quam veraciter intelligunt a Christo Salvatore percepisse sui principatus privilegia,* non immerito ob aedificationem religionis et recuperationem pacis atque concordiae sub canonica diffinitione sibi dari poscentes iudicia. Quorum salu-

berrimae petitioni cedentes, dirigere, ut omnibus claret, illuc studuimus ex latere pontificatus nostri legatos, qui nostra apostolica auctoritate muniti errata corrigerent, depravata quaeque ad rectitudinis tramitem perducerent; super Photio quoque et Ignatio Patriarcha rei gestae veritatem diligenter inquirerent, nostroque apostolatui Deo auctore legitime diffinienda ad liquidum nunciare studuissent, quatenus missorum nostrorum fieret tantum inquisitio et vera examinatio, nobis tamen remaneret reservata diffinitio, utrum vera esset an falsa super Ignatii patriarchae criminibus accusatio. Sed legatis nostris, qui super hoc opere missi fuerant, revertentibus, imperialem ab eisdem partibus epistolam nostro apostolatui per ipsius legatum directam nihilominus recepimus. In cuius serie et eorum actionibus cognovimus, quia dissensionis et invidiae inter illos crebrescentibus malis absque ullo nostro consensu vel nostra omnino conscientia, Photium indiscrete subrogarunt, et Ignatium patriarcham deposuerunt. Quod utique indiscretissimum factum nobis et universae Ecclesiae nostrae omnimodis habetur contrarium, quia contra s. canones, qui absque verissima probatione neminem damnari, nec alterum prius in eius loco subrogari praecipiunt, Ignatium patriarcham damnarunt. — Unde generaliter agnoscat omnis Ecclesia sanctorum, quia nec nostra fuit conscientia, nec iussio, nec voluntas super Photii subrogatione vel Ignatii patr. depositione; et super huiuscemodi praevaricationibus omnium vestrum sanctitati satisfaciendo verissime denunciamus: quia post verissimam nostri examinis deliberationem nec Photium recipimus, nec Ignatium patr. damnamus. — Igitur, dilectissimi fratres, sanctitati vestrae, qui catholicas Alexandrinorum, Antiochenorum, vel Hierosolymorum gubernatis Ecclesias, seu cunctis Orientalibus metropolitis atque episcopis, luce clarius expressiusque significamus, quoniam Sedes Apostolica nullo pacto venerabilem Ignatium patr. dignitatis propriae privilegio nudari tam improvide patitur, sed magis repulso a s. cath. et apost. Ecclesiae sacro viscere pervasore, coniugis, ut ita dixerimus, viri viventis, scelestissimo videlicet Photio, sanctissimum patriarcham Ignatium in sui sacerdotii dignitate manere sicut olim decreverit, iterum quoque canonico ac legali examine iudicat et decernit. Et *ut vos huius Sedis privilegium rite servantes, pari religione catholici, pari etiam nobiscum*

super venerabilis Ignatii patr. sacerdotii recuperatione et Photii pervasoris expulsione eadem sentiatis, apostolica auctoritate vobis iniungimus atque iubemus. Et ut huius praesulatus nostri paginam in cunctis parochiis vestris ad omnium faciatis notitiam pervenire, atque de hac re iuxta apost. Sedis definitionem praedicare curetis aliis, ipsique similiter incommutabiliter teneatis, paterno more praecipimus. —

469. *Ad Photium, A. 862.* Postquam beato Petro principi apostolorum Dominus ac Redemtor noster Iesus Christus — ligandi atque solvendi in coelo et in terra potestatem tribuit, et ianuas regni coelestis reserandas concessit, supra soliditatem fidei suam sanctam dignatus est stabilire Ecclesiam, secundum illius veridicam vocem dicentis: Amen dico tibi, tu es Petrus etc. Ad quam promissionem sanctae apostolicae institutionis caemento coeperunt huius fundamenta ex pretiosis succrescere lapidibus et annuente divina clementia per studium structorum et apostolicae auctoritatis sollicitudinem usque ad culmen insolubiliter perducta perpetualiter mansura sine sinistrae aurae impulsu consistere: cuius *Primatum,* sicut omnibus orthodoxis manifestum est viris, beatus *Petrus* princeps apostolorum et ianitor regni coelestis merito promeruit. Post quem et huius Vicarii sincerissime Deo famulantes, carentes nebularum densitatibus, quae recto ab itinere impedire assolent, dignius perceperunt, et in cura regiminis, quam pro dominicis ovibus susceperant, sollicite permanserunt. Inter quos et nostram parvitatem omnipotentis Dei misericordia connumerare dignata est, pro quibus tantum consistimus pavidi, quantum consideramus in aeterno examine pro omnibus et prae omnibus, qui Christi censentur nomine, rationem reddituri. Et quia universitas credentium ab hac *sancta Romana Ecclesia, quae caput omnium est Ecclesiarum*, doctrinam exquirit, integritatem fidei deposcit, criminum solutionem qui digni sunt et gratia Dei redemti exorant: oportet nos, quibus commissa est, sollicitos esse, et ad speculationem Dominici gregis tantum ferventius anhelare, quantum hunc avidi lupi ad dilaniandum hinc inde patenti ore exquirunt, quod et audiendo cognoscimus, et experiendo comprobamus. Et quos per corporalem ob longinqua terrarum spatia aut tumentes marinos fluctus nequimus visitare praesentiam, saltem series apicum quasi viva voce declarent, ut nec a nobis silentii exquiratur

culpa, nec audituris de ignorantia excusandi tribuatur facultas: quia et illud a nobis cavendum est, quod per Prophetam dicitur: ‚Canes muti non valentes latrare'; et Apostolus ait: ‚Insta opportune, importune'. Constat enim, *S. Romanam Ecclesiam per beatum Petrum principem apostolorum, qui Dominico ore primatum ecclesiarum suscipere promeruit, omnium ecclesiarum caput esse*, et ab ea rectitudinem atque ordinem in cunctis utilitatibus et eccles. institutionibus, quas secundum canonicas et synodicas, ss. patrum sanctiones inviolabiliter atque irrefragabiliter retineret, exquirere ac sectari. Et ideo consequens est, ut quod ab huius sedis rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consvetudinis praepediente occasione proprias tantum sequendo voluntates removeatur, sed firmius atque inconcusse teneatur. Nam in hoc, quo noster apostolatus vestram prudentiam commonuit, quia ex laicali ordine sine canonica approbatione ad patriarchatus dignitatem subito transcendere contra patrum promulgationes non recusastis, sed temere atque impudenter ad tanti honoris culmen accedere praesumsistis, assumentes vobis quasi a sanctissimo viro Nectario occasionem — *(exempla a Photio adducta de Nectario, Tarassio et Ambrosio uberius evolvit, et huc non spectare probat, tum continuat:)* — de vobis, quibus perplures auctoritates conciliorum, atque decreta sanctissimorum pontificum resistunt, quid aliud est sentiendum, nisi inopinatam a vobis consvetudinem adolevisse credendum? Et secundum ss. patrum sententiam non solum quia ex laicali ordine contra canonicas auctoritates ad regendam CPnam Ecclesiam subito transvolastis, sed etiam quia vivente viro et incolumi persistente (videlicet religiosissimo Ignatio patriarcha) cathedram illius ut moechus subripuistis, et invadere praesumsistis: — et ideo vestrae consecrationi, aequitatis libramina tenentes, assensum praebere, quia enormiter et contra ss. patrum institutiones peracta est, minime praesumimus. Quod vero dicitis, neque Sardicense Concilium, neque decretalia vos habere ss. Pontificum, vel recipere, non facile nobis facultas credendi tribuitur: maxime cum Sardicense Concilium, quod penes vos in vestris regionibus actum est, et omnis Ecclesia recipit, qua ratione convenerat, ut hoc S. CPna Ecclesia abiiceret, et, ut dignum est, non retineret? Decretalia autem, quae a ss. Pontificibus *primae Sedis Romanae Ecclesiae* sunt instituta,

cuius auctoritate atque sanctione omnes Synodi et sancta Concilia roborantur, et stabilitatem sumunt, cur vos non habere vel observare dicitis? nisi quia vestrae ordinationi contradicunt, et ex laico subito ad culmen pratriarchatus transvolare resistunt? contra illud Apostolicum: ‚Nemini cito manum imposueris.' Quodsi ea non habetis, de neglectu atque incuria estis arguendi; si habetis et non observatis, de temeritate estis corripiendi et increpandi. — In depositione Ignatii, nisi prius veracissime cognoverimus transgressionem, vel culpam, inter depositos illum non numeramus neque damnamus, quia valde cavendum est, ne sine causa innocens damnetur; et sicut illum in pristino honore mansurum, si ei damnationis crimina non comprobantur, sancta Romana retinet Ecclesia, sic vos, qui incaute et contra paternas traditiones promoti estis, in patriarchatus ordine non recipit, et neque ante iustam damnationem Ignatii patriarchae in ordine sacerdotali vos manere consentit. —

470. *Ad Michaelem Imper. A. 862.* Serenissimi imperii vestri gloria, quae super orthodoxae fidei integritatem firmata constare cernitur, dum aliqua in s. CPna Ecclesia, quae sub vestrae defensionis tutamine consistere videtur, inconvenientia provenerint, hanc S. Cath. et Apostolicam, caput omnium Ecclesiarum, Romanam scilicet Ecclesiam, quae semper ss. patrum sincerissimas auctoritates in omnibus suis actibus sequitur, consulere decrevit. Et si eius consultu quae ecclesiasticis conveniunt negotiis, agere curaverit, procul dubio quae agenda aut abigenda fuerint, irretractabiliter cuncta disponere, ordinare atque definire poterit. Quod vos fecisse in epistolis nuper ad hanc Sedem missis recolimus, pro quibus etiam et nostros secundum vestram petitionem illas in partes pro quibusdam praesumtionibus, quibus vestram asserebatis fatigari Ecclesiam, — investigandis et nobis renunciandis missos direximus. *(Postquam Pontifex seriem rei gestae circa depositionem Ignatii et electionem Photii enarravisset, ad postulata Imperatoris de confirmando Photio se referens, sic scribit:)* — Absit, ut hoc fieri patiamur: qui neque Ignatium patr. damnamus, neque Photium moechum suscipimus, qui sedem viventis viri et pudice conservantis temere sibi usurpare praesumsit. — Quin potius, serenissime fili Auguste, dilectionem vestram monemus, svademus, atque apostolica auctoritate denunciamus, ut tandem aliquando

resistatis illis, qui pro libitu suae voluntatis contra CPnae Ecclesiae praesulem se erigentes, sine examinatione canonica ignorantibus nobis crebro deponentes, alterum inopinate consecrare nituntur. Unde haec discussio in orientalibus vestris Ecclesiis heu! plurimum agitatur; sed magis studeatis, quando aliqua emerserint, unde schisma possit oboriri, nostrae Ecclesiae consultu peragere, quatenus sicut iam facto pro sanctis imaginibus novimus, quod iuste deliberatum est, maneat apost. sedis auctoritate firmatum; quod autem tantummodo aemulatione voluntatis contra canonicas vel synodicas censuras inconsulta Romana Ecclesia perpetrari conatur, vestrae religionis brachio arceatur, ne videlicet sanctae Dei Ecclesiae ac regiae urbis gloria vestro sub tempore in aliquo minuatur. Liceat ergo sanctam Ecclesiam, quam Christus sacro suo sangvine a servitute corruptionis redemit, orthodoxam fidem servantem vestro certamine manere ab omni inquietudine infestatorum tranquillam atque pacatam. —

471. *Ad eundem Imper. A. 863.* — Quae in eadem Synodo (Romana) unanimiter et consonanter de fratre et consacerdote nostro Ignatio patriarcha, vel de invasore et usurpatore Ecclesiae ipsius Photio atque fautoribus eius — statuimus et promulgavimus, — subter annexis capitulis declaratur. I. *Photius*, qui ex schismaticorum et se a sanctae communionis participatione avertentium parte esse dignoscitur, et ex seculari administratione atque militia et ex foro subito tonsuratus — episcopus ordinatus est, et vivente — Ignatio patriarcha sedem ipsius invasit, et sponsam, quam a Christo sponso immaculatam custodiendam — perceperat, non per ostium, quod Christus est, sed aliunde ex adverso in ovile Dominicum more furis atque latronis ingrediens, ac si violentus, rapax, et sceleratus adulter irrupit: — haec et his similia contra evangelica, apostolica, prophetica atque canonica instituta afferens, *sit Dei Omnipotentis, et beatorum apostolorum principum Petri et Pauli et omnium simul sanctorum atque venerandorum sex universalium conciliorum auctoritate, nec non et Spiritus S. per nos iudicio omni sacerdotali honore et nomine alienus, et omni clericatus officio prorsus exutus;* ita, ut si post notitiam huius sanctionis, quam divina inspiratione depromtam esse credimus, cum unanimitate et concordia S. Synodi sit procul dubio promulgata, tentaverit

in CPno throno praesidere, aut saepefato venerabili coepiscopo nostro Ignatio, quominus Ecclesiam sibi commissam sine quavis inquietudine regere possit, impedierit, — nullo modo liceat ei communionis spem aut locum habere satisfactionis, sed anathematis vinculis innodatus una cum communicatoribus suis atque fautoribus perpetuo Dei per nostram mediocritatem iudicio ac sententia sacrum corpus et sangvinem D. N. I. C. nonnisi vicino mortis periculo omnino percipiat; ut haec unusquisque discens nequaquam de cetero temeraria praesumtione ex laicis subito in dominicis castris insperato quodammodo impetu irrepere audeat, et principatus amore ante ducatum praestare velit, quam tironis consummet officium, et ante tentet docere, quam discere, sicut in eadem CPna Ecclesia saepe praesumtum esse comperimus. —

472. *Ad eundem Imp. a. 865.* Proposueramus quidem, antequam Michael gloriosus protospatharius legatus vester Romam veniens epistolam nobis claritatis vestrae detulisset, talia vobis scripta per missos nostros, quae iam et parata erant, transmittere, qualia gratissimus filius a diligente patre ac Dei cultore, imperatores a Sedis Apost. praesulibus soliti erant suscipere. At vero praefato viro perveniente, epistolamque nobis vestrae gloriae, quae tota blasphemiis, tota erat iniuriis plena, porrigente, mutata est in luctum cithara nostra, et organum nostrum in vocem flentium. Quoniam expectavimus tamquam de bona vite uvas, suscepimus autem labruscas: ideoque mutavimus stylum, et ostenso vulneri congrua providimus adhibere medicamenta. — *(Post fusam refutationem epistolae Imperatoris, de praerogativa Romanae Ecclesiae sic scribit Pontifex:)* Cum eadem quae superfuerunt in ipsa epistola, ad quae nihil respondimus, sed potius philosophando contemsimus, plena essent omni pravitate atque blasphemia, et contra ipsam dispositionem Dei, in qua Ecclesiae Sedisque Romanae privilegia cunctarum Ecclesiarum privilegiis sua ineffabili providentia praetulit, venena diffunderent, non vestra esse verba — credidimus: per hoc his, quae in ambiguum venerant, non potuimus tamquam indubitatis responsa vel apologetica scripta remittere. Verumtamen si vestra fuerunt verba, quae in despectum beati Petri apost. principis, imo Dei, cuius ordinationi resistitis, scripta, et quasi detrahentia privilegiis huius sacratissimae Ecclesiae missa sunt: fateor non vos studiose sacras regulas, non venerandarum synodorum actiones,

non piorum imperatorum leges, non veraces probabilium virorum historias lectitasse, quas tamen conati estis in derogationem Ecclesiae tantae inutiliter et incompetenter atque incongrue memorare. Sed rogamus Omnipotentem Deum, ut qui suae cognitionis vobis reseravit mysterium, *tribuat quoque nosse ad plenum suas dispositiones, quibus S. Ecclesiae moderatur arcanum, et quae sint vel quanta et qualia privilegia Ecclesiae Romanae, et ex quo coeperint exordium, et quis eius summae auctoritatis auctor existat, vobis clementer aperiat.* Quodsi a nobis quaeritis scire, utpote a ministris Christi et dispensatoribus mysteriorum eius, vobis evidentius ostendemus; si vero nosse parvipenditis, et solum contra privilegia Ecclesiae Romanae nisus vestros erigitis, cavete, ne super vos convertantur. Durum quippe est vobis contra stimulum calcitrare. Porro si nos non audieritis, restat ut sitis apud nos necessario, quales D. N. I. C. hos haberi praecepit, qui Ecclesiam Dei audire contemserint; praesertim cum *Ecclesiae Romanae privilegia, Christi ore in beato Petro firmata,* in Ecclesia ipsa disposita antiquitus observata, et a sanctis universalibus Synodis celebrata, atque a cuncta Ecclesia iugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus, et quod Deus statuit, firmum validumque consistit. Illeque potissimum peccat, qui Dei ordinationi resistere tentat. Privilegia, inquam, istius sedis vel Ecclesiae perpetua sunt; divinitus radicata atque plantata sunt; impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, evelli non possunt: quae ante imperium vestrum fuerunt, et permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque post vos, et quousque christianum nomen praedicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt immutilata. Ista igitur privilegia huic S. Ecclesiae a Christo donata, a synodis non donata sed iam solummodo celebrata et venerata, per quae non tam honor quam onus nobis incumbit, licet ipsum honorem non meritis nostris, sed ordinatione gratiae Dei per beatum Petrum et in beato Petro simus adepti, nos cogunt nosque compellunt omnium habere sollicitudinem Ecclesiarum Dei: cui, sancto scilicet Petro addita est societas beatissimi Pauli, vasis electionis, magistri veritatis, cui iugiter imminebat sollicitudo omnium Ecclesiarum. Hi ergo tamquam duo luminaria magna coeli in Ecclesia Romana divinitus consti-

tuti, totum orbem splendore fulgoris sui mirabiliter illustrarunt, et Occidens eorum praesentia veluti rutilante sole tam per se nitorem dante quam per discipulos suos quasi quosdam radios lucis micante factus est Oriens; quique non postquam mortui sunt, Romam a Principibus sunt delati, ut Romanae Ecclesiae maiorem conferrent privilegiorum honorem, sicut apud vos non rationabiliter sed potentialiter actum est, videlicet ut Ecclesiae ceterae patronis suis privarentur, et sola CPlis spoliis et opibus, quas violenter abstulit, ditaretur: sed Romam in carne venientes, vitae verbum evangelisantes, ab ea erroris caliginem amoventes, veritatis lumine mentes hominum illustrantes, et in ea uno eodemque die martyrium consummantes, sanctam Romanam Ecclesiam roseo cruore suo consecraverunt. — Pro quibus patribus nos divinitus incremento gratiae ministrato nati sumus filii, et constituti, licet indigni, eis longe meritis impares, principes super omnem terram, id est, super universam Ecclesiam. — Proinde animadvertendum est, *quia non Nicaena, non denique ulla Synodus quodquam Romanae contulit Ecclesiae privilegium, quae in Petro noverat, eam totius iura potestatis pleniter meruisse, et cunctarum Christi ovium regimen accepisse.* — Si instituta Nicaenae Synodi diligenter inspiciantur, invenietur profecto, quia Romanae Ecclesiae nullum eadem synodus contulit incrementum, sed potius ex eius forma quod Alexandrinae Ecclesiae tribueret particulariter sumsit exemplum. Haec igitur et his similia nos pro cunctis Ecclesiis sollicitos reddunt: haec etiam de CPna Ecclesia impigram curam arripere vehementer hortantur: haec Ignatium patriarcham, nulla regula nulloque ordine ecclesiastico dictante deiectum, tamquam fratrem adiuvare compellunt. Nam et inter cetera is, per quem nobis praecipue ista sunt privilegia collata, ‚tu aliquando conversus, audivit a Domino, confirma fratres tuos.‘ — Haec privilegia Photium, vivente Ignatio in caulas Dominicas non per ostium sed aliunde ascendentem, et pastorem impellentem, et oves dispergentem, nobis et ab honore, quem irregulariter usurpavit, et a communione Christianorum amovere divinitus inspirata iusserunt. — Sed his tandem omissis ad ea, quae cum universa S. Ecclesia, quae apud nos est, dispensatorie consideravimus, stylum iam dirigemus, et cum beato Gelasio nostrae sedis antistite consulte dicemus: ‚Necessaria rerum dispositione constringimur, et apost.

Sedis moderamine convenimur sic canonum paternorum decreta librare, et retro praesulum decessorumque nostrorum praecepta metiri, ut quae praesentium necessitas temporum restaurandis ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus.' Et quoniam de persona Ignatii atque Photii nihil discretius, atque mitius nec non et salubrius arbitramur, quam ut uterque Romam ad renovandum examen veniat, hoc magnopere volumus, et ut vos annuatis, salubriter admonemus. Sed hoc secundum indulgentiam concedimus, non licentiam id efficiendi pro libito cuiuslibet tribuimus. Quoniam cum secundum canones ubi est maior auctoritas, iudicium inferiorum sit deferendum: patet profecto, *Sedis Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio.* Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 119. p. 773. 783. ss. 790. 850. ss. 926.

473—477.

Photius Patr. CPnus Primatum Petri Apostoli in suis operibus saepius confitetur, et in longa ad Nicolaum Papam epistola Romani Pontificis praerogativam, appellandique undique ad Sedem Romanam consvetudinem haud obscuris verbis recognoscit.

473. MON. *Qu. 97. (al. 260. vel 251.) ad Amphiloch*: *Cur Apostolorum princeps incidit in negationem?* — Quandoquidem *Petrus universalem totius mundi curam erat susceperturus commissi ipsius fidelitati*, idcirco permittebatur lapsu circumagi: quo suo commonefactus ipsius exemplo humanum se et facilem erga lapsos sed poenitentes ferret. —

474. *Qu. 194. (al. 223. vel 214.) ad eund.* Quemadmodum Nestorius de contaminatis calicibus Pauli Samosatensis bibens,

ebrius evasit impietate, ita et propriae religionis semina Eutyches de acerbis Manetis paraphyasi colligens, doloris sibi panem et perditionis nec non sequacibus suis apparavit. Orthodoxorum vero chorus ascito sibi doctore non tam *Petro apostolorum coryphaeo* quam ipso Domino communi et creatore (Vos enim, inquit, ne in terris vocemini Rabbi, unus enim doctor vester Christus est), duarum naturarum in una hypostasi Verbi, et deitatis nimirum et humanitatis, clarissime profitentur, idque inconfusim; ita enim ipsamet nos edocuit Veritas : Filium enim hominis se appellans, et per *Petrum coryphaeum apostolorum* Filius viventis Dei salutatus utrumque confirmavit. — Quocirca rectae confessionis proemium Petro, *regni coelorum claves*, in manus dedit, et in eius confessione Ecclesiam fuisse stabilitam, et contra portas inferni communitam, adeo, ut obturatis haereticorum quibuscunque labiis lemniscata inde tropaca tulerit, multa asseveratione confirmavit.

475. *Lib. II. cont. Manichaeos.* — 6. Cumque alibi *Petrus, apostolorum coryphaeus,* communem nostrum magistrum et Deum professus esset, is huius professionis proemium ipsi quasi relaturus beatum quidem eum praedicat, revelationem vero hanc Patrem in coelis ipsi exhibuisse docens : Beatus es etc. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 52. p. 983. 1133. — t. 53. p. 40. ss.

476. *Lib. I. Epistolar. ep. 8. ad Michaelem Bulg. Princ.* — 25. In mandatis Christus communis Dominus noster et magister hoc dedit, fructus nimirum virtutis proferre, nec fidem per opera pudefacere. Ad hunc modum Paulus magnus ille magister Ecclesiae consilium dat; ita svadet *Petrus apostolorum coryphaeus, cui claves et ingressus portarum coelestium concreduntur.* — **Migne** *Patr. Gr.* t. 53. p. 321.

477. *Epist. ad Nicol. PP.* — Quod autem dici oportet, ac pene me effugit, hoc cum addidero, finem faciam. Canonum custodia a quovis bono debetur, magis vero ab iis, qui Divinae Providentiae dignatione alios regunt, *omnium sane maxime, quibus in horum numero Primatus obtigit :* quanto enim aliis praestant, tanto diligentiores legum custodes debent esse; nam celerius illorum delictum utpote in sublimitate positorum omnibus nuntiatur, atque inde alios oportebit ad virtutem reduci vel ad vitia retrahi ac pessumdari. Quare vestra debet amabilis beatitudo eccles. disciplinam ac modestiam in omnibus curae ha-

ens, et canonicam tenens rectitudinem, eos, qui sine commen-
latitiis literis ad Romanam Ecclesiam hinc proficiscuntur, non
emere ac fortuito recipere, nec sinere hospitalitatis specie odii
raterni iaci semina. Nam quotidie ad vestram paternam sancti-
atem eos, qui velint, adire, et pretiosis eius frui vestigiis, hoc
ihi valde amabile est, ac multis aliis rebus anteponendum : at
ine nostra scientia et absque commendatitiis literis peregrina-
iones nullo ordine suscipi, id nec nobis, nec canonibus, nec
ero vestro integerrimo iudicio est acceptabile. — — **Migne** cit. p. 299. ss.

478—485.

Hadrianus II PP. A. 867. Nicolao succedens, non minore ac hic energia Photio restitit: tum in Synodo Romana A. 868. condemnando Photii conciliabulum; tum in Generali VIII Concilio, CPno IV., A. 869. eandem pronunciando sententiam.

478. MON. *Allocutio Papae ad Synodum.* Cum debeamus, fratres et filii dilectissimi, Dominici agri strenui et solertes sse cultores, et spiritualibus ad purgationem ipsius coelestium raeceptorum uti ligonibus, oportet, ut si quas in eo spinas, si ua germinare venenosa conspicimus, pari labore unanimique elo haec radicitus extirpare studentes arripiamus examinis ratrum, et falcem iudicii concordi certamine proferamus, ne uaeso in nos exprobrantis affectu dicatur: ‚messis quidem mula, operarii autem pauci.' Consonanter autem, carissimi, laboemus, et in agro Dominico iugiter quidem, sed nunc potissiium operemur, quando videlicet in Ecclesia, quae apertissime Dominicus ager appellatur, auctore *Photio* nova praesumtio et naudita est orta temeritas. Siquidem hic Photius, cum adhuc undanus minister esset, genuinam quodammodo semper invidiam adversus fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium CPnum Patriarcham in pectore gestans, et ad Praesulatus culmen non radatim vel sensim conscendere, sed praecipitibus eo superstite

passibus transilire gestiens, semetipsum ab eiusdem beatissimi praesulis communione fecit extraneum, et per hoc ab universali Ecclesia, quae ipsi beatissimo Patriarchae communicabat, se reddidit prorsus exortem, atque inter schismaticos procul dubio constitutus, contra sacros apostolicos canones secularibus usus potestatibus Ecclesiam CPnam tyrannica et adulterina temeritate pervasit tandem, videlicet indebita usurpando, foras ostendens, quod intus prohibita concupiscendo cordis antro gerebat, et simulationis velamine contegebat, nil esse profecto intelligi dans causam scissionis a patriarcha suo, vel desertae communionis a tota Ecclesia, nisi pessimos anhelitus ambiendi pontificatus infulas, et sublimioris dignitatis et potestatis obtinendi habenas; quibus nimirum deinceps abusus et repente non mente sed habitu mutatus exilia et diversa discrimina, sed et mortes in Christi sacerdotes et ceteros fideles tot ac tantas intulit, ut Diocletiani saevitiam imitari per omnia videretur. Propter quae vel his similia sanctae memoriae decessor meus Nicolaus huius ap. Sedis antistes, fraterna victus caritate, primo quidem non solum per missos sed et per literas illum merito reprehendens competenter admonuit, et nullo se pacto in eius promotione posse praebere consensum scriptis idoneis patefecit. Deinde vero intuens nihil se proficere, sed magis ac magis ad ulteriora eius extendi tyrannidem, auctoritate simul divina et apostolica fretus, Sedis Apostolicae, cui praesidebat, pontificum morem secutus, in promtu habens secundum Apostolum omnem ulcisci prorsus inobedientiam: hunc ad erectionem ab eo elisorum, et innumerabilium refrigerium afflictorum, regulari sententia, quia, sicut ipsi nostis, corrigere non potuit, deponendo prostravit, et anathematisando ab ordine, quem latronis more sortitus fuerat, sequestravit. Cuius rei gratia idem Photius inflammatus, non solum non est reversus ad percutientem se, nimirum qui durior silice nec dura verbera sensit, et imitatus diabolum, nec postquam e coelo cecidit, superbire cessavit, verum etiam conventicula malignorum saepe congregans, synagogam sanguinum, cui et princeps latronum ipse praesedit, collegit: et ante quidem ut saevissimus patricida patrem suum Ignatium reverendissimum patriarcham proprium perculit, et ad lucem pervenire nisi extinctione parentis posse desperans, hunc instar atrocis viperae perimere crudeli morsu non metuit. Post haec vero posuit in coelum os suum, et

lingva eius transiit super terram, dum videlicet *contra divinam ordinationem, coelitus in beati Petri principis apostolorum primatu dispositam*, putridi gurgitis guttur aperuit, et adversus eiusdem regni coelestis clavigeri apostolicam sedem et praecipuam ac summam dignitatem et potestatem lingvam suam more serpentis exacuit: vitam scilicet decessoris mei beatae record. Nicolai papae lacessere nullo modo metuens, nec nobis, qui eius vix digni famuli, ut non dicam sequaces extitimus, parcere utcunque consentiens, sed utrosque maledictis impetere, quantum in se fuit, et blasphemis inficere verbis existimans, falsitatis praestigia fingere conatus, et nescio quae Pythonica est somnia vel argumenta, compilando procul dubio, commentatus. Et certe quis ille pater noster, vel quantus aut qualis extiterit, omnes qui morum eius insignia vel virtutum trophaea recolitis, plenius agnovistis; qumodo scilicet iu huius tetri caliginoso seculi cursu sero tandem sicut novum sidus apparuerit, quinimo quasi phoebus in aethere prae cunctis astris effulserit; quomodo hunc nec blanda quaeque frangere potuerint, nec aspera perturbare; quomodo etiam nec mundi principibus, Michaeli scilicet et Bardae contra iustitiam faverit, quos nimirum, se murum opponens pro domo Domini, saepe redarguit, et his inique agentibus frequenter intrepide restitit. Ergo, dilectissimi fratres et filii, considerate, quid super huiusmodi temeritate sit nobis agendum, vel quid de conciliabulo illo, vel profanis ipsius actis per ministerium nostrum existat fore deliberandum, quid etiam de iis, qui interfuerunt, vel manu propria subscripserunt, sit ab unanimitate omnium nostrum definiendum, intente tractate, et libere singuli quae sentitis edicite. Ego tamen pro lege Dei, pro paternis conservandis canonibus, pro veneratione apostolorum, pro privilegiis defendendis sedis ipsorum, proque sanctae mentionis decessoris mei Papae Nicolai praedicanda memoria, et sequentibus actibus atque celebrandis definitionibus non solum varia incommoda perpeti, verum etiam more sanctorum praedecessorum meorum Pontificum in promtu habeo, si necesse sit, mortis sustinere discrimen.

479. *Allocutio tertia Hadriani II PP. in C. Romano.* Intolerabilis est ista praesumtio, dilectissimi, et hanc aures praecordiorum, fateor, sustinere non possunt. Quis unquam vestrum tale quid, precor, audivit, vel quis huiusmodi temeritatis, saltem

lectione, immensitatem invenit? Siquidem Romanum Pontificem de omnium ecclesiarum praesulibus iudicasse legimus: de ec vero quemquam iudicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia fuerat super haeresi accusatus, propter quam solam licitum est minoribus maiorum suorum motibus resistere, vel pravos sensus libere respuere; quamvis et ibi nec Patriarcharum nec ceterorum antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit sententiam proferendi, nisi eiusdem primae sedis Pontificis consensus praecessisset auctoritas. Meminimus interea scriptum, quod rege quondam Italiae Theodorico Papam Symmachum usque ad damnationem impetere volente, et ideo quotquot potuit ex Liguria, Aemilia, Valeria et ex diversis regionibus, et ex Sicilia insula huius rei gratia Episcopos Romam accurrere praecipiente, et his ad se venientibus dicente, plura ad se de Papae Symmachi actibus horrenda fuisse perlata, et in Synodi, si vera esset inimicorum eius obiectio, iudicatione constare: venerabiles Antistites ipsum, qui dicebatur impeditus, debuisse synodum convocare perhibuissent, scientes, quia eius sedi primum Petri Apostoli meritum vel principatus, deinde secuta iussionem Domini conciliorum venerandorum auctoritas, ei singularem in ecclesiis tradidit potestatem, nec ante dictae sedis antistites minorum subiacuisse iudicio in propositione simili facile forma aliqua testaretur. Ad postremum vero isti ipsi venerabiles praesules cum vidissent, quod non sine sui discrimine potuissent contra Caput manus suas erigere, quidquid de saepefati Symmachi Papae actibus delatum fuerat, totum Dei iudicio reservarunt, ita, ut singuli quique in subscriptione sua hoc patenter iudicent, perhibentes: ‚Laurentius Eppus Eccl. Mediolanensis huic statuto nostro, in quo totam causam Dei iudicio commisimus, subscripsi', similiter Petro Eppo eccl. Ravennatis et ceteris Eppis subscribentibus. Verum si haec Photius non legit, quia Graece forte non reperit, saltem Ioannem Antiochenum Eppum in Ephesina Synodo recolere voluisset, idcirco damnatum, quia Cyrillum anterioris, id est, Alexandrinae Sedis antistitem damnare non metuit: unde praefata universalis synodus ad Coelestinum summae sedis nostrae Pontificem scribens inter cetera dicit: ‚Indignetur ergo tua religiositas competenter pro his quae facta sunt; si enim data fuerit volentibus licentia, et

maiores iniuriis sedes afficere, et contra eas, in quibus non habent potestatem, contra leges, sic et contra canones proferre sententias, ibunt ad ultimam confusionem ecclesiae res.' His ergo ita se habentibus exempla maiorum quaerantur, et secundum haec contra temeratores sententiae proferantur.

480. *Sententia Concilii.* Qui hanc temeritatem non extrema damnatione dignam existimat, nec evangelium legit, nec Apostolum prorsus audivit; in quorum quidem uno, dicente Domino, legitur: Non est discipulus supra magistrum; in altero autem sane praecipitur, ut omnia secundum ordinem fiant. Quomodo ergo temeratores isti non sunt facti super magistrum, quando adversus Apostolicam Sedem, quae ceterarum quoque sedium magistra est, etiam os iniurias evomens aperuisse probantur? quomodo secundum ordinem omnia, iuxta Pauli monita, facta sunt, quandoquidem ordine praepostero secundi de primo, et de antelato posteriores quique convicia potius quam iudicia composuisse narrantur? Et praeterea sententia regularis, quae ita sensit per Africanum Concilium, dicens: ‚Unusquisque nostrum ordinem decretum a Deo agnoscat, et posteriores anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere praesumant.' Quam profecto regulam sancta tertia generalis synodus sequens Antiochenum damnavit Ioannem, quod iam pridem sapientia vestra meminit, quoniam adversus potioris sedis, id est, Alexandrinae Pontificem, prima Sede non consentiente, ausus est proferre sententiam. Quarta deinde magna et universalis synodus adeo hanc temeritatem execrata est, ut Dioscorum Alexandrinum sine restitutione damnaverit. Praesumserat enim et ipse contra primae sedis privilegium contraque iam memoratam regulam agens, cum esset posterior, se anteriori praeferre, et ordinem sibi a Deo decretum non recognoscens, de sedis praelatae Pontifice magno, videlicet Papa Leone, temere iudicare; cum videlicet nec personam synodum convocandi habuerit, ut Apost. Sedis vicarii in eadem synodo protestantur, quippe qui secundum praelatum canonem, cum esset posterior, inconsulto anteriori agere aliquid praesumere non debuerit, quanto minus generalem sine ipso synodum convocare, aut, quod detestabilius est, adversus eundem sententiam quamlibet promulgare? Secundum hanc regulam, et ista probabilium patrum exempla omnes, qui vel os aperire, vel manus extendere in nefando conventu adversus Sedis

Apost. dignitatem temere praesumserint, nulla profecto ratione poterunt exilire condignae poenae vindictam, nisi eis divinitus inspirata vestra supernae clementiae sequax occurrat Apostolica moderatio. Nemo quippe fidelium in iniuriam beati Petri principatus impune prorupit; in cuius videlicet contumeliam, ut S. Bonifacius Papa scribit, ‚quisquis insurgit, habitator coelestium non poterit esse regnorum. Tibi, inquit, dabo claves regni coelorum, in quod nullus absque gratia ianitoris intrabit, et rursus: Nemo unquam Apostolico culmini, de cuius iudicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit iudicari.‘ Verumtamen nos, domine beatissime Papa et Apostolice summe Praesul et Pontifex, omnes pro his rogamus, omnes unanimiter obsecramus, subveni miseris, erige lapsos, et resipiscentibus concede veniam et miserationem, quam non merentur, adhibe medicinam: quatenus erroris auctore, Photio videlicet amputato, ceteri Sedis Apostolicae circa se patula reperiant more solito viscera pietatis. —

481. *Pontifex sententiam Concilii pronunciat.* 1. Conciliabulum vanitatis a Photio, et huius fautore Michaele tyrannice imperante, CPli nuper adversus Apost. Sedis reverentiam et privilegium congregatum, utpote veritatis inimicum, et omni falsitate repletum, quin et sibi consentientium animas interficiens, Ephesino latrocinio comparandum fore statuimus, et ipsius execranda gesta, quibuscunque habeantur monumentis inserta, summi iudicis D. N. I. C. sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli, nostraeque mediocritatis auctoritate penitus abolenda decernimus, ita ut igni voranda tradantur, et anathemate perpetuo percellantur. — Similiter de ceteris scripturis, quae viris iam nominatis auctoribus contra eandem Sedem tempore diverso sunt editae, gerendum modis omnibus definimus. — 3. Photium, qui licet sit a decessore nostro et a nobis pro criminibus ante patratis iure damnatus et anathematisatus, nunc tamen quia recentioribus excessibus priores iniquitates valde transcendit, et ponens in coelo os suum adversus veneranda Sedis Apost. privilegia nova temeritate prorupit, dum scilicet ordinationi supernae in beati Petri Apostoli principatu dispositae resistere minime formidavit; — atque tam contra decessorem nostrum sanctae record. Papam Nicolaum, quam etiam contra nos, ac per illum, in Apostolicum culmen nec iniqua garrire fauce trepida-

vit, nec manus obvias, quod nemo unquam praesumsit, audacter extendere formidavit: apostolicae auctoritatis censura iterato damnamus, et pro his specialiter anathematis nexibus innodamus, hunc scilicet cum Dioscoro, cuius in hoc imitator extitit, merito sociantes, et sanctae magnae Chalcedonensi synodo, in tam pernicioso puniendo praesumtore, per omnia concordantes. Sane si viva voce, ac proprio scripto nobis in omnibus, quae tam per nos quam per decessorem nostrum statuta sunt, obedire spoponderit, et praedicti profani conciliabuli, ad satisfactionem poenitentiae motus, gesta damnaverit, laicae communionis ei gratiam non negamus. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 122. p. 1278.

482. *In Concilio CPno IV. Generali VIII. a. 869. causa Photii assumta, sequens Propositio ex parte Ecclesiae Romanae facta est:* Prima salus est rectae fidei regulam custodire, deinde a constitutis Dei et Patrum nullatenus deviare. Unum quippe horum ad fidem pertinet, alterum ad opus bonum. Sicut enim scriptum est: ‚Sine fide impossibile est placere Deo', sic rursus legitur: ‚Fides sine operibus mortua est.' Et quia non potest D. N. I. C. praetermitti sententia, dicentis ‚Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam': haec quae dicta sunt, rerum probantur effectibus; quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide atque doctrina separari minime cupientes, et patrum et praecipue sanctorum Sedis Apost. praesulum sequentes in omnibus constituta, anathematisamus omnes haereses simul cum Iconomachis. Anathematisamus etiam *Photium,* qui contra sacras regulas et ss. Pontificum Romanorum venerandа decreta repente de curiali administratione secularique militia sublatus, superstite Ignatio Patriarcha, in CPnam est pervasorie imo tyrannice a quibusdam schismaticis vel anathematisatis atque depositis institutus ecclesiam, donec Sedis Apostolicae sanctionibus inobediens perseverans, eius sententiam tam de se, quam de patriarcha Ignatio spreverit, et conciliabuli acta, quod se auctore contra Sedis Apost. reverentiam congregatum est, anathematisare distulerit. Sequimur autem s. synodum, et amplectimur, quam beatae recordationis Papa Nicolaus, cui et ipse, Summe Pontifex Hadriane, subscripsisti, ante sacratissimum Petri et Pauli Apost. corpus celebravit; simul et quam tu ibi ipse nuper egisti, et omnia, quae in his statuta sunt, se-

cundum decreti vestri moderationem venerabiliter conservabimus, recipientes quos recipiunt, et damnantes omnes qui in illis damnati sunt, et praecipue iam dictum Photium, et Gregorium Syracusanum, patricidas videlicet, qui contra spiritalem patrum suorum lingvam eximere minime formidarunt; atque perseverantes in schismate sequaces eorum. — Synagogas vero malignantium, imo speluncam latronum, et conventicula sangvinum, et fabricatorum mendacii, atque inventorum perversorum dogmatum, quas sub Michaele Imperatore bis contra Ignatium et semel adversus Apost. Sedis principatum factiose conspiraverunt, insolubilibus anathematis nexibus innodamus. — Porro de venerabilissimo Ignatio patriarcha, et de iis, qui ex parte huius sunt, quod auctoritas Apost. Sedis vestrae decrevit, tota mente sequimur; — quoniam, sicut praediximus, sequentes in omnibus Apost. Sedem, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas. —

483. *Canones in Synodo perlati Primatum Papae solemniter demonstrantes.* — *Can.* 2. ‚Obedite praepositis vestris et subiacete illis, ipsi enim pervigilant pro animabus vestris tamquam rationem reddituri': Paulus magnus Apostolus praecipit. Itaque beatissimum Papam Nicolaum tamquam organum S. Spiritus habentes, nec non et sanctissimum Hadrianum Papam successorem eius, definimus atque sancimus etiam omnia, quae ab eis synodice per diversa tempora exposita sunt et promulgata tam pro defensione ac statu CPnorum ecclesiae et summi sacerdotis eius, Ignatii videlicet sanctissimi Patriarchae, quam etiam pro Photii neophyti et invasoris expulsione ac condemnatione, servari semper et custodiri — immutilata pariter et illaesa, et nullum episcoporum, aut presbyterorum, vel diaconorum, aut quempiam de catalogo clericorum evertere vel reprobare aliquid horum audere. Quisquis post hanc definitionem nostram comprehensus fuerit spernens quidquam capitulorum et decretorum, quae ab illis exposita sunt, siquidem sacerdos fuerit aut clericus, a proprio decidat honore simul et ordine, monachus autem vel laicus, cuiuscunque sit dignitatis, segregetur, donec poenitens profiteatur se conservaturum praedictorum editionem. — *Can.* 6. Quoniam quidem apparuit Photius post prolatam contra se iustissimam sententiam et damnationem a sanctissimo

Papa Nicolao propter nequissimam invasionem CPnorum ecclesiae, cum aliis malis operibus suis etiam quosdam nequam et adulatores de plateis et vicis invenisse, et vicarios hos trium Patriarchalium sedium Orientis nominasse ac proposuisse, atque cum his ecclesiam malignantium et concilium vanitatis colligens depositorias accusationes et crimina contra beatissimum Papam Nicolaum commovisse, et anathema procaciter et audacter contra eum, et cunctos communicantes ei saepe promulgasse, quorum quasi monumentorum libros nos quoque vidimus ab ipso maligno opere ac fallaci dictatione consutos, qui etiam synodice ab igne consumti sunt: huius rei gratia pro cautela ecclesiastici ordinis anathematisamus quidem primitus praedictum Photium etiam propter huiuscemodi causam, deinde vero et omnem, qui amodo in calliditate fraudulenter egerit, et verbum veritatis adulteraverit, et falsos vicarios simulaverit, vel libros dictatus mendacis finxerit, et ad propriorum favorem votorum commentatus fuerit, quemadmodum et fortissimus pietatis athleta Martinus, sanctissimus Papa Romanus, tales synodice pepulit. — *Can. 21.* Dominicum sermonem, quem Christus sanctis Apostolis et discipulis suis dixit: ‚Qui vos recipit, me recipit, et qui vos spernit, me spernit', ad omnes etiam, qui post ipsos facti sunt summi pontifices et pastorum principes in ecclesia catholica, dictum esse credentes, definimus: neminem prorsus mundi potentium quemquam eorum, qui Patriarchalibus sedibus praesunt, inhonorare, aut movere a proprio throno tentare, sed omni reverentia ac honore dignos iudicare, praecipue quidem sanctissimum Papam senioris Romae, deinceps autem CPoleos Patriarcham —, sed nec alium quemcunque conscriptiones contra Papam senioris Romae ac verba complicare, et componere sub occasione quasi diffamatorum quorumdam criminum, quod et nuper Photius fecit et multo ante Dioscorus. Quisquis autem tanta iactantia et audacia usus fuerit, ut secundum Photium vel Dioscorum in scriptis vel sine scriptis iniurias quasdam contra sedem Petri apostolorum principis moveat, aequalem et eandem quam illi condemnationem recipiat. Si vero quis aliqua seculi potestate fruens vel potens pellere tentaverit praefatum Apost. cathedrae Papam, aut aliorum Patriarcharum quemquam, anathema sit. Porro si synodus universalis fuerit congregata, et facta fuerit etiam de sancta Romanorum ecclesia quaevis ambiguitas et con-

troversia, oportet venerabiliter et cum convenienti reverentia de proposita quaestione sciscitari, et solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romae Pontifices.

484. *In eiusdem Synodi Actione VII. aeque Primatus agnitus.* — ‚Ea, quae Sedes apostolica synodice regulariterque decrevit, tanto studiosius oportet amplecti, quanto satius noscitis, quae statuta fuerunt ab ea, haec universalem semper tenuisse Ecclesiam, ita ut contra singulos errores in Ecclesia exortos prior haec Sedes *Primatus auctoritate* sententiae terminum dederit.‘

485. *Relatio Synodi ad Hadrianum PP.* Opportunum est cum sapientissimo Salomone nunc et nos clamare: Sapientia in exitibus laudatur etc. Prov. 1. Donatus enim Eppus Ostiae, et Stephanus Eppus Nepae, et Marinus diaconus — Vicarii sanctitatis vestrae, cum essent divina sapientia repleti, et sapientiae columnis propriae animae domum fundantes et stabilientes, — fiducialiter egerunt: in plateis profecto divinarum scripturarum, et excelsis et sublimibus et fortissimis muris veritatis Dei consilium praedicaverunt. — Et quid aliud hos apparuisse opinandum est, quam derivatas imagines, imo vero characteres indissimiles quarumdam bonarum et principalium tabularum, Nicolai beatissimi Papae, revera fortissimi pietatis certatoris, simul et sanctitatis tuae? Sicut enim ille beatissimus et veraciter homo Dei primitus definivit et promulgavit, nec non et summa paternitas tua firmavit et synodice roboravit, ita et ipsi haec annunciaverunt et egerunt, amborum vestrum nomen et memoriale instantibus temporibus et cunctis generationibus, quae deinceps futurae sunt, efficientes laudabile. — Sed et benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus odientium nos, sed eripuit animam nostram sicut passerem de laqueo venantium eum, et orationes vestras et assiduas redargutiones et admonitiones, quas pheronymus ille et magnus Dei summusque Pontifex beatissimus Papa Nicolaus, — et ipse, qui et gradus et dignitatis et moris eius successor es, pro ecclesiastica pace alacriter exercuistis, ad expellendum lupum ab ovili Christi, tamquam veri pastores rationabilium ovium Christi, quinimo summi pastores et principes omnium ecclesiarum. Sed de misero quidem Photio et iis, qui seducti sunt ab eo, et concordaverunt ei, prophcticum

illud dicendum est: ‚Quia rectae viae Domini, et iusti ambulabunt in eis, impii autem infirmabuntur,‘ vel etiam offendent in illis. Suis enim viis delectari utique pernecessarium erat eis, fructus et mala accidere iustum erat eis secundum opera manuum suarum, ut quodam in loco dicit magnivocus Isaias. — Igitur libenter omnino et gratanter imitatrice Dei sanctitate vestra omnium nostrum conventum et universalis huius atque catholicae synodi consensum et consonantiam recipiente, praedica eam magis, ac veluti propriam, et sollicitius confirma evangelicis praeceptionibus et admonitionibus vestris, ut per sapientissimum magisterium vestrum etiam aliis universis ecclesiis personet, et suscipiatur veritatis verbum et iustitiae decretum. — **Harduini** *Conc. V.* 773. 866. 899. 933.

486—488.

Ioannes VIII PP. A. 872. ss. precibus Imperatorum victus, Photium, obeunte Ignatio, in Patriarchatu CPno confirmat quidem, sed conciliabulum Photii adversus Generalem Octavam Synodum celebratum reiicit.

486. MON. *Ad Imperatores Basilium, Constantinum et Alexandrum de Photii ad sedem CPnam promotione.*)* Inter claras sapientiae, mansvetudinis vestrae laudes, o christianissimi principes, aliquod cum puriore luce summae devotionis lumen longe lateque resplendet, quod amore fidei, quod caritatis studio, disciplinis eccles. edocti, *Romanae Sedi reverentiam more praedecessorum vestrorum piissimorum imperatorum conservatis, et eius cuncta subiicitis auctoritati*: ad cuius auctorem, hoc est, apostolorum omnium principem Domino loquente praeceptum est: ‚Pasce oves meas.‘ *Quam esse vere omnium Ecclesiarum Dei*

*) De praesenti epistola adnotat Severinus Binius: eam in hac forma e Codice Vaticano Longobardicis characteribus exarato desumtam esse: quum illa, quae ex versione graeca Photii vulgatur, per hunc cum pluribus aliis literis Nicolai et Hadriani de Photio sonantibus, in plurimis locis corrupta extiterit.

caput et beatorum Patrum praecipuae regulae, et orthodoxorum principum statuta declarant, et pietatis vestrae reverendissimi apices attestantur. Nihil est enim, quod lumine clariore praefulgeat, quam pia devotio et recta fides in principe. Et quia Pontificii nostri reverentiam hoc ardore mentis, hoc religionis studio luculenter vestris mellifluis literis exoratis, id nos ratione seu necessitate temporis inspecta cum Sedis Apostolicae nobis commissae consensu et voluntate perficere iure apostolico decet. Igitur petistis a nobis, quatenus Sede Apostolica suae pandente viscera pietatis *Photium* reverendissimum in patriarchatus honore, in summi sacerdotii dignitate, et in ecclesiastici collegii societate reciperemus, nostraeque communionis participem faceremus, ne Ecclesiam Dei tanto iam tempore perturbatam pateremur amplius manere divisam scandaloque commotam. Nos itaque serenitatis vestrae preces congrua ratione admittentes, quia Ignatium piae memoriae Patriarcham de praesenti vita iam migrasse cognoscimus, temporis ratione perspecta hoc modo decernimus ad veniam pertinere, quod nuper de ipso Photio, licet ipse absque consultu Sedis nostrae officium sibi interdictum usurpaverit, gestum constat fuisse. Nos itaque statutis apostolicis non praeiudicantes, nec beatorum patrum regulas resolventes, quin potius multiplicibus earum auctoritatibus freti, (citat exempla huiusmodi veniae ex vita Gelasii, Leonis, Felicis PP. et alia) — aliis Patriarchis, Alexandrino videlicet, et Antiocheno, et Ierosolymitano, atque omnibus AEppis, Metropolitis, Eppis et sacerdotibus, cunctoque clero CPnae Sedis, — una voluntate parique voto consentientibus, eundem *Photium satisfaciendo misericordiam coram Synodo secundum consvetudinem postulantem,* in vera dilectione fratrem, in pontificali officio comministrum, in pastorali magisterio consacerdotem, pro Ecclesiae Dei pace et utilitate amodo Christo favente recipimus et habemus. — Et hunc ipsum patriarcham cum omnibus sive eppis, sive presbyteris, seu ceteris clericis et omnibus laicis, in quos iudicii fuerat censura prolata, ab omni ecclesiasticae sanctionis vinculo absolvimus, sanctaeque CPnae Ecclesiae iudicamus recipere sedem, Dominicique gregis esse pastorem, *illa* scilicet *potestate fulti, quam Ecclesia toto orbe diffusa credit nobis in ipso apostolorum principe a Christo Deo nostro esse concessam,* eodem Salvatore beatum Petrum apo-

stolum prae ceteris specialiter delegante: Tibi dabo claves regni coelorum etc. Sicut enim ex his verbis nihil constat exceptum, sic per apostolicae dispensationis officium et totum possumus procul dubio generaliter alligare, et totum consequenter absolvere, praecipue cum ex hoc magis praeberi cunctis oporteat apostolicae miserationis exemplum. —

487. *Ad Photium.* Experientia tuae prudentiae literis Pontificio nostro delatis satis ubertim comperta, altitonantem Dominum piissimas ei grates agentes laudavimus, qui postulatus dat omnibus sapientiam, et in domo faciens unanimes habitare, salvat omnes in se sperantes, et protegit se in veritate quaerentes; qui neque probos reos, neque facit pios tyrannos : tamen iuste iudicans beatis quibuslibet aeterna proemia, et infelicibus reservato interim poenitudinis tempore, nisi resipuerint, aeterna confert supplicia. Praedictis quoque literis praeconia nostra legentes affectum tuum cognovimus, et quam sis nunc erga nos devotus, satis evidenter reperimus : verum in quo nobis nostra merita non suffragantur, Deo dimittimus, et in quo nos humanis laudibus quicunque mortalium elevare conantur, fragilitatem naturae nostrae cum summa formidine, eodem Deo prae oculis habito, contemplamur. — Cum non sit reprehensibilis erga correctum quantacunque miseratio, satisfaciens coram synodo misericordiam secundum consvetudinem postulaveris, ac si evidenti correctione utaris et peritiae non obliviscens nullius damna moliaris, quin potius exilia eorum, qui tibi non velle consentire dicuntur, studiose dissolveris, eosque suis ecclesiis et honoribus restitueris, et si, quia spiritalis filius noster Basilius imperator apud nos pro te multis precibus intervenit, omnes uno voto, uno consensu et una concordia in tua restitutione convenerint: veniam pro pace S. CPnae Ecclesiae tibi concedimus, communionem quoque et gradum reddimus, et ut S. CPnae Ecclesiae digne praeesse debeas, consentimus.

488. *Ad eundem Photium, A. 880.* Hoc nostri semper certaminis, et laboris fuit, hoc nostri voti existit, ut pro orthodoxae fidei integritate, seu pro statu et pace omnium Dei Ecclesiarum, quarum cura constringimur, adeo operam demus, quatenus dispersa congregentur, congregata conserventur, et ut quidquid inhonestum vel aliter quam se rectitudo habet, per providentiam Dei, sanctorum apostolorum meritis suffragantibus corrigatur,

omni conamine, iuxta officium nobis commissum speculando satagimus. Huius rei gratia more apostolico S. CPnae Ecclesiae misereri volentes decrevimus, ut unius incrementum nullius fieret detrimentum, quia potius omnium manifestum existeret adiutorium. Convocata nostra Ecclesia, quantum ad praesens tempus coegit necessitas, auctoritate et potestate apostolica dictae CPnae Ecclesiae consuluimus, et legatis nostris directis, ut inoffenso pede incederent, instituimus. De cuius scilicet unitate pacis sive concordia gratulamur, et cunctipotenti Domino laudes innumeras referentes, licet ei, qui servis suis tanta bona largitur, condignas grates agere non possimus, hunc benedicimus et assiduis vocibus glorificare studemus. — Sed cum nos scriptis et verbis misericorditer tecum specialiter agendum esse decreverimus, mirandum valde est, cur multa, quae nos statueramus, aut aliter habita aut mutata esse noscantur, et nescimus, cuius studio vel neglectu, variata monstrentur. Ceterum scribens subintulisti, quod, te innuens, nonnisi ab iniqua gerentibus misericordia sit quaerenda: quod et nos de his, qui Deum se scire non fantur, licet dispensatorie fatemur, tamen nos quod lectum est exaggerare nolumus, ne quod dignum est iudicare cogamur; ideoque *talis excusatio sileat*, ne hoc dicentes illa sententia tangat, qua dicitur: ‚vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem novit corda vestra, quia quod hominibus altum est, abominabile est apud Deum'; igitur laudabilis tua prudentia, quae dicitur humilitatem scire, non moleste ferat, *quod ab Ecclesia Dei miserationem iussa est postulare,* quin potius se, ut exaltetur, humiliet, et fraternum discat erga sui miserentem servare affectum. Quia nos, si tu debitam devotionem et fidelitatis incrementa erga S. Romanam Ecclesiam et nostram parvitatem observare studueris, et ut fratrem amplectemur, et ut carissimum proximum retinebimus. Nam et ea, quae pro causa tuae restitutionis synodali decreto CPli misericorditer acta sunt, recipimus. Et, si fortasse nostri legati in eadem synodo contra apostolicam praeceptionem egerunt, nos nec recipimus nec iudicamus alicuius existere firmitatis. *) — **Migne** *Patr. Lat.* t. 126. p. 853. 870. 910.

*) Synodum CPnam pseudo-octavam nec Ioannes VIII nec successores eius acceptarunt, et in Conc. Florentino positive reprobata extitit.

489. 490.

C. Pontigonense, A. 876. de Primatu Rom. Eccl.

489. MON. *Cap. 1.* Ut sancta *Romana Ecclesia sicut est caput omnium ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur et veneretur.* Neque quisquam contra ius et potestatem ipsius aliquid iniuste agere praesumat. Sed liceat ei debitum tenere vigorem, et pro universali ecclesia pastoralem exhibere curam, atque sacris precibus omnium pro omnibus interpellare auctorem.

490. *Cap. 2.* Ut honor Domno et spiritali patri nostro Ioanni Summo Pontifici et venerabili universali Papae ab omnibus conservetur: et quae secundum sacrum ministerium suum auctoritate apostolica decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, et debita illi obedientia in omnibus conservetur. — **Harduini** *Conc.* VI. 1. p. 171.

---

491. 492.

C. Trecense II. A. 878. in eodem merito.

491. MON. *Verba Hincmari.* — Quos (Lantbertum et Adalbertum) apostolica Sedes per beatum et dominum nostrum Papam, et S. Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Mater, privilegio S. Petri damnat, damno; quos anathematisat, anathematiso; quos excommunicat, excommunicatos habeo. —

492. *Verba Concilii totius ad Papam:* Domine, sanctissime Pater Patrum, Ioannes, catholicae atque apostolicae Ecclesiae, videlicet Romanae primae Sedis Papa, nos famuli ac discipuli vestrae auctoritatis, Galliarum et Belgicarum Eppi, iudicium vestrae auctoritatis, quod de privilegio beati Petri et Sedis Apostolicae in eos et complices eorum protulistis, voto voce et unanimitate nostra atque auctoritate S. Spiritus, cuius gratia in eppali ordine sumus consecrati, gladio spiritus, quod est ver-

bum Dei, eos interimentes prosequimur. — **Gousset** *Actes des Prov. Eccles. Reims.* IV. 615.

493—495.

Stephanus V PP A. 885. ss. datis ad Imperatorem Basilium literis, hunc graviter obiurgat ob contumeliosam epistolam ad Ecclesiam Romanam missam, Photiumque iam antea excommunicatum ipse quoque damnat; Eppi vero Orientales veniam suppliciter petunt, quod antehac pro Photio, homine vere schismatico, se interposuerint.

493. MON. *Basilio Imperatori, a.* 888. Literas serenitatis vestrae ad Adrianum praedecessorem nostrum missas accepimus, et mirati sumus magnificentiam tuam, quomodo talia scribere potuisti, cum sis iustitiae aequilibrium, praesertim cum recte noverit pia potentia tua, quod manui regiae non subiiciatur sacerdotalis et apostolica nostra dignitas. Licet enim ipsius Christi imperatoris similitudinem in terris geras, rerum tamen mundanarum et civilium tantum curam gerere debes, quod etiam precamur ut ad multos annos praestare valeas. Quo igitur pacto a Deo largitus es nobis terrenis rebus praeesse, ita etiam *nos per principem Petrum spiritualibus rebus Deus praefecit.* Accipe, quaeso te, benigna fronte quae sequuntur. Datum est tibi curare, ut tyrannorum impietatem et feritatem gladio potentiae concidas, ut iustitiam ministres subditis tuis, ut leges condas, ut terra marique militares copias disponas. Haec est praecipua cura potentiae et principatus tui. Gregis cura vero nobis commissa est tanto praestantior, quantum distant a coelo ea, quae in terris sunt. Audi Dominum dicentem Petro: Tu es Petrus etc. De potestate vero et imperio tuo quid ait: ‚Nolite timere illos, qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere.‘ Et iterum de ministerio nobis commisso: Tibi dabo claves etc. Oro itaque pietatem tuam, ut inhaereas decretis

principum apostolorum, ut nomen eorum honores et dignitatem. *Institutio* enim *et sacerdotium omnium, quae in orbe sunt, Ecclesiarum a principe Petro ortum accepit*, per quem etiam nos sincerissima et purissima doctrina monemus omnes et docemus. Regnum vero tuum non minimarum rerum argumento ad ea, quae praestantiora sunt, scrutanda se erigat, sed animadvertat, qua auctoritate haec facere adgreditur. Ille quidem, qui adversus sanctissimum Marinum sacras aures tuas contumeliis maculavit, adversus D. N. I. C. qui nutu suo universum orbem regit, blasphemias effutire procul dubio non dubitavit. Quis, inquam, ille fuit, qui adversus immaculatum eius sponsum et sacerdotem, et adversus matrem omnium Ecclesiarum talia dicere est ausus? Decipitur profecto quicunque putat, quod discipulus sit supra magistrum, et servus supra dominum suum. Obstupescimus sane, dum perfectam et illustratam prudentiam tuam seductam videmus, ut talia contra sanctum illum virum cogitaverit. Qualis enim ille fuerit, licet nos silentio praetereamus, lapides isti clamabunt: ‚Muta fiant labia dolosa, quae loquuntur adversus Deum iniquitatem, vel adversus iustum.' Si ovis Dei existis, quod in votis habemus, ne transgrediaris limites principum apostolorum. Dic, quaeso te, quis te seduxit, ut Pontificem oecumenicum comico more scommatibus lacesseres, et sacram Romanorum Ecclesiam maledictis incesseres, cui cum omni veneratione subditus esse debes? An ignoras, quod haec omnium Ecclesiarum princeps existit? Quis te Pontificum iudicem constituit, quorum sacris doctrinis dirigi debes, et a quibus preces pro te Deo offeruntur? Scis sacrum illud elogium: ‚Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari.' Haec de omnibus sacerdotibus dicta sunt. Deo te aequalem facis, qui eius angelos iudicare audes. — Quomodo iudicabis sacerdotes, qui solius Dei sententiae subiiciuntur, et qui soli facultatem habent ligandi atque solvendi? Vide ad quodnam profundum te praecipitem dedisti. — Scripsisti, illum (Marinum) non esse episcopum. Quomodo id nosti? si vero id ignoras, quomodo ita praeceps in eum sententiam tulisti? Magna quidem est Pontificum potentia. Non te latent res beati Ambrosii, et quid ipse fecerit adversus Theodosium Imperatorem. Quicunque dicunt Marinum fuisse antea Eppum, ac proinde non potuisse ad aliam sedem transferri, ostendant illi id aperte. Scito, dilecte et omni

honore digne imperator, quod obiicitur de canone, cum tamen id numquam fuerit: multitudo tamen ss. patrum et illorum auctoritas et iudicium potuit illum constituere in primo gradu. Et divina Providentia praenoscens Ecclesiae Dei utilitatem, in sede principis apostolorum Petri illum collocavit. Quid ergo magnus ille Gregorius cognomento Theologus? nonne Nazianzo translatus est, et Meletius Sebaste Antiochiam etc.? — Dicat celsitudo tua, quibus accusatoribus et quibus testibus affirmantibus beatum Marinum fecisse quae tu dicis, illum condemnasti? An ignoras, in prima Nicaena Synodo, quod beatus Silvester Papa proclamaverit per legatos, praesente ibidem s. Constantino: ut prima sedes a nemine iudicetur? quid deliquit sancta Romanorum Ecclesia, ut adversus eam lingvam tuam vibrare et concitare seductor iste induxerit? num iuxta antiquum morem de Synodo CPli habenda ad te literas non dedit? num pro eadem Synodo curam non gessit? Peto a te, cuinam scriberet Romanorum Ecclesia? laico scilicet *Photio?* si enim haberes patriarcham, frequentius nostra Ecclesia illum literis visitaret. Sed hei mihi, quod ista gloriosa et a Deo custodita civitas CPlis pastoris solatio est orbata, et sola regia tua potentia illustratur: et nisi amor, quo te prosequimur, cohibuisset ut ferremus iniuriam nostrae Ecclesiae illatam, coacti fuissemus adversus praevaricatorem Photium, qui contra nos impura evomuit verba, graviores poenas infligere quam praedecessores nostri. — Te itaque monemus, spiritualis noster fili, ne adversus s. Romanam Ecclesiam insurgas, etc. —

494. *Eppis Orientalibus A.* 888. Catholica Christi et Dei nostri Ecclesia fundata super firmam petram, apostoli videlicet Petri confessionem, licet plurimis tempestatibus et fluctibus agitetur, nihilominus confirmatur et augetur. Nec mirum si humani generis hostis membra Ecclesiae tentare adgreditur, qui caput ipsum D. N. I. C. tentare non dubitavit. Nec igitur mirum, si *Photium* satis exosum ab Ecclesia damnatum eiecistis, qui salutiferam Domini crucem ita delusit, per quam videlicet venerandam crucem omnia dona sacerdotalis ministerii perficiuntur, et sancti baptismatis lavacrum sanctificatur. Praedictus itaque Photius laicus homo, si regiam viam ambulasset et decretis ss. patrum inhaesisset, ad tantam insaniam numquam devenisset. Quapropter qui Christi humilitatem, venerandam scilicet crucem,

contemnunt, percussi sunt tamquam primogenita Aegypti: tunc enim Israelitarum primogeniti, cum essent signati, servati sunt ac custoditi. Quid vero erat ille sangvis agni in limine Israelitarum, nisi crux passionis Christi, quae in frontibus fidelium imprimitur? Quicunque igitur salutarem crucem parvipendit, evangelico ense interimitur. Sed de Photio quidem ita vos scripsistis; illas vero Imperatoris literas cum legissemus, easdem a vestris procul abesse comperimus. Ita enim se habebant, quod Photius quietam vitam elegit. Quapropter in dubitatione versamur. Multum enim interest abrenunciasse, et expulsum esse. Nos igitur absque diligenti inquisitione qualecunque iudicium proferre non possumus. Quapropter nunc sententiam prorogavimus, et opus est utriusque partis religiosissimos eppos mitti, ut perpensa omni dubitatione, et veritati utrinque manifesta dicere possimus quod Deus voluerit. *Romana* enim *Ecclesia instar speculi et exemplaris reliquis Ecclesiis constituitur. Et quodcunque definierit, in sempiternum manet incorruptum*, et hac de causa sententias magna cum inquisitione ferre decet.

495. *Eppi Orientales ad Stephanum Papam adversus Photium.* Sanctissimo et beatissimo Stephano, Domino et Oecumenico Papae, Stylianus Eppus Neocaesareae Euphratesiae provinciae, et qui mecum sunt Eppi, nec non omnes Eppi — per Orientem constituti etc. Dei catholica et apostolica ecclesia semper praevalet adversus eos, qui illi bellum concitant. Scriptum est enim, quod Dominus imbecilles reddit eius hostes. Et qui adversus Ecclesiam bellum gerit, Dei se hostem constituit. Variae igitur, *o sacrum et venerandum caput,* humani generis hostis sunt fraudes, diversis temporibus alios aliis rationibus a recta via ad vias obliquas subtrahentis. Hoc vero praecipue in Dei ecclesia ille facere consvevit, ubi recta quidem agere laude dignum est, sicut e contra a recto recedere formidabile existit. Cum itaque in Dei Ecclesia multa iniquitatis vasa invenisset, venerationem quae sacris imaginibus exhibetur — ab eccles. disciplina removere conatus est: sed divina favente gratia, nostrorum piorum imperatorum auxilio, nostra Ecclesia suum decorem nunc recepit, et abominabilem illum errorem haeresis circa imagines procul abiecit. Quid vero daemon bonorum operum osor? Novam iterum concitat tempestatem. *(Fusius enarrata historia Photii schismatici usque ad eiusdem per Leonem Imperatorem factam relega-*

tionem ad claustrum, sic prosequitur:) — Quoniam vero scimus, quod *a vestra Apost. Sede corrigi et iuxta canones corripi* debemus, hac de causa humilibus his nostris literis tuam oramus venerabilitatem, ut misericorditer nobiscum agas, cum populo videlicet, qui non sine rationabili causa Photii ordinationem recepit, ut ne qui Apost. Sedis legatos — excepit, una cum Photio interitu damnetur, nec alius infinitus numerus ab Ecclesia pellatur. — Decet tuam singularem virtutem, Photium quidem tamquam ab initio schismaticum, et a schismaticis illegitime ordinatum, et propter alia multa, quae operatus est, mala expellere; eos vero, qui ab ipso decepti sunt, misericorditer cum illis dispensari rogamus, ut Ecclesiae CPnae pax et tranquillitas ita restituatur. — Nos enim imperatorum Christo dilectorum nutu CPlim venientes, dum multi nos ad communionem impellunt, et in iuramento affirmant se ab Apost. Sede dispensationis indultum obtinuisse, ut absque impedimento sacerdotalem dignitatem exercitare possent, nullo tamen pacto illis fidem adhibuimus, *a tua sanctitate expectantes aliquid firmi et certi.* — Quapropter tuam rogamus beatitudinem, ut populum, parum abest, desperatum misericorditer suscipias. Rogat te *Petrus, cuius sedem administrandam obtines*, qui ab omnium Domino edoctus fuit, ut 77 ignosceret etiam iis, qui scienter deliquerint. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 129. p. 785.—795.

---

496. 497.

Liber Synodicus Ecclesiae CPnae, Sec. IX. a Graeco auctore exaratus, pro Primatu Eccl. Rom.

496. MON. *Fol. 92. s.* — Mihi quidem videtur hic Canon (C. Chalced. can. 28.) ne ab initio quidem fuisse receptus, sed statim potius abolitus. Etenim constat *Leonem Romanum* non solum tali in re non consensisse synodo, sed absurdam hanc novitatem indignabundum increpuisse literis, quas ad eius temporis imperatorem atque ad ipsam synodum dedit. Hinc factum arbitror, ut neutra ex duabus subsequentibus synodis, quae si-

mul quinta dicuntur, ullum canonem scripserit, neque illa sub Iustiniano, neque illa sub Pogonato. —

497. *Fol. 94.* Olim ad veterem Romam negotia omnia confluebant, ideoque mortales omnes illuc concurrebant. Et siquando haereses orirentur, vel alia quaevis ecclesiastica controversia quamlibet ob causam conflaretur, regia veluti potestate illic de recto dogmate definiebatur, nec non de aequo in cunctis iure per epporum consultationem. Hinc enim et Primatus et summum privilegium Romanae Sedi conficiebatur, et ecclesiastici omnis negotii, quod quidem commoveretur, discernendi synodice attributam auctoritatem habebat: unde ei summa excelsitas in ecclesiasticis rebus confiebat. — **Maii** *Spicilegium Romanum.* T. VII. Romae. 1842. Praefat. p. XX. ss.

498.

Nicetas David, Paphlagonis Eppus. 890. pro Primatu Petri.

MON. *Oratio III: laudatio sanctorum ac principum App. Petri et Pauli. — Petrus* et Paulus, *princeps ille augustissimusque Apostolorum vertex; Petrus, Christi fidei origo,* Paulus caritatis perfectio; *Petrus, immobilis Ecclesiae petra,* Paulus illius tute certaque destinatione iactum fundamentum. — Salvesis, *Petre, cui claves regni coelorum creditae sunt, super quem Christus firmavit ecclesiam suam, quem ad Patrem migraturus suis ovibus pastorem praefecit.* — **Migne** *Patr. Gr.* t. 55. p. 24.

SECULUM DECIMUM.

499.

Atto Vercellensis Eppus, pro indefectibilitate fundamenti, super quo aedificata est Ecclesia. 960.

MON. *Lib. de Pressuris Eccles. Part. 1. De iudiciis Epporum.* Evangelica nobis narrat historia, quod cum Dominus discipulos suos docturus relicta turba montem ascendisset, ibique postquam eos de omnibus praeceptis, quibus Christiana Religio informari convenit, perfectissime instruxisset, in fine ipsius sermonis dixerit: ‚Omnis qui audit verba mea haec et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram. Descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam et non cecidit, fundata enim erat supra petram.‘ Vir enim ille sapiens ipse procul dubio est, de quo et beatus Paulus ait Apostolus: ‚Christus Dei virtus et Dei sapientia‘, qui bene domum suam, id est, *Ecclesiam* sanctam — *super petram aedificavit,* scilicet supra semetipsum, sicut et idem dicit Apostolus: ‚Petra autem erat Christus.‘ — Haec itaque domus non ex parietibus manufactis, sed ex vivis et electis lapidibus, id est, sanctorum coetibus elegantissime constat. — Eius vero structores sunt ipsi doctores, — *cuius institutionis exordium in beatissimi Petri fideli confessione credimus fundatum*, cum ait ad Dominum: ‚Tu es Christus Filius Dei vivi.‘ Pro qua etiam remuneratione audire meruit: Et ego dico tibi etc. *Aedificata ergo est S. Ecclesia supra petram in soliditate apostolicae fidei. — Nullo in tempore sanctae Ecclesiae deficiet fundamentum.* — Iudicandi et accusandi in uno eodemque negotio, cuiuscunque auctoritatis persona sit, omnimodis excluserunt licentiam (Apostoli et primi Ecclesiae doctores). Locum etiam et tempus, in quo haec debe-

ant ventilari, insuper et personam, ad cuius pertineant audientiam, sagacissime indixerunt. — *Damnari etiam eos (Episcopos) absque S. Romanae Sedis auctoritate interdixerunt* omnino, quamvis audire vel discutere Metropolitanis una cum consensu omnium comprovincialium epporum sit attributa licentia. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 134.

500—502.

Ratherius Veronensis Eppus, Ecclesiam Romanam tamquam Sedem universalem praedicat, adversus quam portae inferi non praevalebunt. A. 974.

500. MON. *Praeloquiorum lib. IV.* — Habent Eppi conventus inter se generales, synodos universales, canones antiquos etc. — Nihil est quod possit inter eos contingere, unde proprium inter se non possint iudicium invenire. Postremo *est sedes universalis, principalis, capitalis, quia ipsis capitibus Ecclesiae insignis, nutrix, mater, iudex et magistra omnium.* Si quid contra rem actum ab aliquo vel in aliquo est horum, *in ea iudicari, examinari, vel legali potest sanctione puniri.* —

501. *Itinerarium Romanum.* — Quid de eccles. dogmatibus alicubi scitur, *quod Romae ignoretur? Illic summi illi totius orbis doctores*, illic praestantiores enituerunt universalis Ecclesiae principes. Illic decretalia Pontificum, universorum congregatio, examinatio canonum, approbatio recipiendorum, reprobatio spernendorum. Postremo *nusquam ratum quod illic irritum, nusquam irritum quod illic ratum fuerit visum.* —

502. *Epist. ad Ioannem XII Papam.* Summo *primae*, hoc est, *Romanae* Sedis Pontifici. — Vestrae paternitatis provolvens vestigiis, Domine reverendissime, archipraesulum archiepiscope, et, si de ullo mortalium iure dici possit, *universalis Papa* nominande, precor in Omnipotentis amore, ut — eius vice mihi succurratis, *cuius ideo Sedem obtinetis, ut portas inferi praevalere adversus Ecclesiam non sinatis.* — Ut quondam Pau-

lus Caesarem, ita ego *appellabam Romanam Sedem.* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 136.

503.

Benedictus VI PP. Eppo Salisburgensi vices suas in Norica et Pannonia concredens, Primatum S. Sedis Apostolicae gravibus verbis enunciat, 973.

MON. Protoplasto generis humani atque eius semine serpentina suasione in gemina cadente morte, multa Deus misericordia ductus medicinam misit in hunc mundum, patriarchas scilicet iustos, prophetas veridicos, legiferum cum lege; et his omnibus mundum salvare non valentibus novissime Filium suum humana carne indutum ad redemtionem generis humani ad terras transmittere dignatus est. Eo itaque inter homines conversante duodecim elegit apostolos, quos ad seminandum verbum Dei in corda fidelium per universum transmisit orbem : quorum atque *totius Ecclesiae sanctum constituit Petrum principem*, cui gregem commisit ecclesiasticum, tertio ei dicens : Pasce oves meas ; cui etiam ligandi atque solvendi tradidit potestatem dicens: Quodcunque ligaveris etc. Et *non solum sancto talis concessa est Petro potentia, sed etiam suis successoribus, eius vicem in Ecclesia tenentibus, eadem ligandi atque solvendi a Deo tradita est potestas.* Sancti itaque Petri apostoli successores per loca, et prout opus erat, atque decuit, constituerunt archiepiscopos, qui eorum vicem tenerent in Ecclesiis, quia ipsi universas regere non poterant Ecclesias. Nos quoque vicem b. Petri apostoli, prout hominibus istius temporis possibile est, in Ecclesia tenentes, statuta illorum antecessorum nostrorum confirmare, quantum possumus, libenter desideramus. Concedimus itaque vicem apostolicam Friderico Salisburgensis ecclesiae Antistiti eiusque successoribus in tota Norica provincia, et in tota Pannonia etc. — **Bullarium** *edit. Taurin. I.* 433.

SECULUM UNDECIMUM.

504.

Silvester II PP. AEppum Remensem, inconsulta Sede Apostolica depositum, sedi suae restituit, 1002.

MON. Apostolici culminis est, non solum peccantibus consulere, verum etiam lapsos erigere, et propriis privatos gradibus reparatae dignitatis insignibus informare, ut *Petro solvendi libera sit potestas, et Romanae gloriae ubique fulgeat dignitas.* Quapropter tibi Arnulpho Rhemensi AEppo quibusdam excessibus pontificali honore privato subvenire dignum duximus, ut, *quia tua abdicatio Romano assensu caruit, Romanae pietatis munere credaris posse reparari. Est enim Petro ea summa facultas, ad quam nulla mortalium aequiparari valeat felicitas.* Concedimus ergo per huius privilegii nostri statuta tibi baculo et annulo redditis archiepiscopali officio fungi, et omnibus insignibus, quaecunque ad sanctae Remensis Ecclesiae metropolim pertinent, solito more perfrui etc. — Si quis vero, quod absit, hoc romanum decretum violare tentaverit, anathema sit. — **Bullarium** *edit. Taurin. I.* 484.

505—508.

Leo IX PP. A. 1053. s. Africano et Antiocheno Eppis inculcat summam Ecclesiae Romanae praerogativam de Conciliis eius auctoritate celebrandis, et causis maioribus pertractandis; **Caerularium** vero Patr. CPnum ob usurpatum titulum ‚Patriarchae universalis' redarguit, Primatumve Romani Pontificis fuse et docte demonstrat.

505. MON. *Epist. ad Thomam Ep. Africanum, a. 1053.* Cum ex venerabilium canonum auctoritate recolimus 205 Eppos Concilio interfuisse Carthaginensi, et nunc a tua fraternitate audimus quinque vix Eppos superesse in tota Africa, utique tertia huius corruptibilis mundi parte, compatimur tantae vestrae imminutioni totis visceribus animi. Cum autem ipsas Christianitatis reliquias ediscimus interna et mutua dissensione discindi et dispergi, et adversus se invicem zelo et contentione principatus inflari, nil aliud nobis primo dicendum occurrit quam illud S. Amos vatis: ‚Parce, Domine, parce, obsecro, quis suscitabit Iacob, quia parvulus est?' Sed quamvis in tali tantoque defectu religionis plurimum doleamus: multum tamen gaudemus, quia S. *Romanae Ecclesiae matris vestrae sententiam requiritis et expectatis super quaestionibus vestris,* et quasi rivulis ab uno fonte erumpentibus, et in suo se cursu per diversa spargentibus *ad ipsius fontis primam scaturiginem* reverti debere optimum putatis, ut inde resumatis directionis vestigium, unde sumsistis totius christianae religionis exordium. Noveris ergo procul dubio, quia post Romanum Pontificem primus AEppus et totius Africae maximus metropolitanus est Carthaginensis Eppus. — Hoc autem nolo vos lateat, *non debere praeter sententiam Romani Pontificis universale concilium celebrari, aut Eppos damnari vel deponi*: quia etsi licet vobis aliquos eppos examinare, diffinitivam tamen sententiam absque consultu Romani Pontificis,

ut dictum est, non licet dare: quod in sanctis canonibus statutum, si quaeritis, potestis invenire. Quamvis enim omnibus generaliter apostolis dictum sit a Domino: Quaecunque ligaveritis etc. tamen non sine causa specialiter et nominatim dictum est beato Petro apost. principi: Tu es Petrus etc. Et in alio loco: Confirma fratres tuos. Scilicet quia *omnium Ecclesiarum maiores et difficiliores causae per sanctam et principalem beati Petri sedem a successoribus eius sunt diffiniendae.* —

506. *Ad Michaelem Caerularium CPnum et Leonem Acridanum Eppos, a. 1054. — (Praemissis pluribus textibus S. Scripturae de unitate in Ecclesia et pace fovenda, execrandaque superbia et arrogantia, sic alloquitur dictos Praesules:)* Haec et alia his similia cum pene omnes sacri eloquii paginae contra impudentem vesaniam haereticorum concrepent, vehementer obstupescimus, et lacrymis caritatis plangimus, sic edormisse Ecclesiae sacerdotes, quatenus qui Dei debuerant esse adiutores, non exhorreant eorum fieri sequaces, quorum memoriam cum sonitu periisse et civitates destructas vident. Inde est totum illud, quod tandem cum indicibili contritione et gemitu cordis ac corporis effundimus, in quo omnia viscera catholicae matris concutiuntur, in quo omnes sensus Christianorum obtunduntur, in quo disciplina ecclesiastica et sanctorum vigor canonum confunditur ac calcatur: quia tu, carissime nobis et adhuc dicende in Christo frater, et antistes CPne, tuque Leo Acridane, dicimini apostolicam et latinam Ecclesiam nova praesumtione atque incredibili audacia, nec auditam nec convictam palam damnasse, pro eo maxime, quod de azymis audeat commemorationem Dominicae passionis celebrare. *) Ecce incauta reprehensio vestra, ecce non bona glo-

*) In epistola Caerularii et Leonis Acridani, ad quam alludit Papa, haec continebantur: ‚Michael universalis patriarcha novae Romae, et Leo AEppus Acridiae metropolis Bulgarorum dilecto fratri Ioanni Tranensi Eppo. Dei magna dilectio et iucunda compositionis viscera flexerunt nos scribere ad tuam sanctitatem, et per te ad universos principes sacerdotum, et sacerdotes Francorum, et monachos, et populos, et ad ipsum reverendissimum Papam, et memorari de azymis et sabbatis, quae mystice indecenter custoditis, et communicatis Iudaeis. Etenim azyma et sabbata ipsi custodire a Moyse iussi sunt: nostrum vero Pascha Christus est. Qui ut non iuxta legem inveniretur adversarius, et circumcisus est, et legale pascha celebravit primitus. Sic illo discedente nostrum novum operatus est. Et hoc manifestum est in Evangelio secundum Matthaeum. De mystica coena

riatio vestra, quando ponitis in coelum os vestrum, cum lingva vestra transiens in terra humanis argumentationibus et coniecturis antiquam fidem confodere ac subvertere moliatur. Ecce, nisi quantocius resipiscatis, incorporati et annumerati, quod absit, eritis in illa cauda draconis, qua tertiam partem stellarum coeli traxit, et in terram misit. Ecce iam post mille ac ferme viginti a passione Salvatoris nostri annos, incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria passionis eiusdem sit recolenda, quasi nil ei contulerit praesentia, conversatio et diuturna institutio, seu qua clarificavit Deum, mors pretiosa illius venerabilis senis, cui specialiter Christus Filius Dei vivi dicit: Beatus es Simon Bar-Iona etc. Non ergo perpenditis, quanta impudentia dicatur Pater, qui est in coelis, abscondisse a *principe apostolorum Petro* cultum sive ritum visibilis sacrificii, per dispensationem Unigeniti sui, cui per semetipsum plenissime revelare dignatus est illud ineffabile arcanum invisibilis divinitatis eiusdem Filii sui. Et cui non per angelum, nec per prophetam, sed proprio ore ipse Dominus angelorum et prophetarum sic repromittit in sequentibus: Et ego dico tibi etc. illius capiti vos satagitis subtrahere Christum Iesum, praeter quem nemo potest universali Ecclesiae aliud ponere fundamentum. Quod utique devotissimus

---

loquens Evangelista sic quoque inquit: Prima autem die azymorum etc. Matth. 26. Dicendo novi ostendit, quomodo ea, quae Veteris fuerunt Testamenti, cessaverunt. Aspicite, quomodo panem corpus suum sub Novo Test. vocavit, sicut vivificum et plenum spiritu, et sicut caloris demonstrativum. Vos quidem panem, nos arton dicimus. Artos autem interpretatur elevatus et sursum portatus, a fermento et sale calorem et elevationem habens; azymae autem nil distant a lapide sine anima, et luto lateris deorsum consumtae terrae et sicco luto comparatae, quas cum amaritudinibus Moyses comedere miseris Iudaeis semel in anno legem constituit. Quoniam malae passionis et tribulationis symbola sunt, significativae sunt: at nostrum pascha gaudium et laetitia totum est, et extollit nos ab humo propter gaudium ad coelum, sicut et fermentum propter proprium calorem panem, qui panis omni svavitate repletus est. Azymae vero neque sal, neque fermentum habentes, lutum est aridum, etc.' Conclusio epistolae sic habet: ‚Haec autem, homo Dei, — ut habeas salutem animae tuae, mitte principibus sacerdotum et sacerdotibus, et adiura, ut per haec seipsos corrigant, et Dei populum, ut Dei mercedem in istis habeas: et si hoc feceris, propono et per secundam scriptionem maiora et perfectiora his tibi scribere, fidei vera ostensione et firmamento animarum, pro quibus Christus posuit animam suam.'

ille Petrus non solum vivens, sed etiam moriens demonstravit, quando nimia humilitate et congrua significatione se crucifigi deorsum verso capite petivit: profecto divina inspiratione praefigurans, *sese esse primum et quadrum lapidem in fundamento,* quod est Christus Iesus, compaginatum, cohaerentem atque connexum: qui utpote superpositus angulari lapidi totum pondus ecclesiasticae fabricae incorruptibili soliditate sufferret, ac proprii capitis suppositione omnia membra corporis Christi per aptas et naturales compages usque ad consummationem seculi quasi usque ad pedes crescentia inflexibili collo ad coelos sustolleret. Taliter *S. Ecclesia super petram, id est, Christum, et super Petrum vel Cepham filium Ioannis, qui prius Simon dicebatur, aedificata,* quia inferi portis, disputationibus scilicet haereticorum, quae vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret superanda, sic pollicetur ipsa Veritas, per quam sunt vera quaecunque sunt vera: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Cuius promissionis effectum se precibus impetrasse a Patre idem Filius protestatur, dicendo ad Petrum: Simon, ecce satanas etc. Erit ergo quisquam tantae dementiae, qui orationem illius, cuius velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne *a sede principis apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per eundem Petrum quam per successores suos reprobata et convicta atque expugnata sunt omnium haereticorum commenta, et fratrum corda in fide Petri, quae hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?* Praeterimus nominatim replicare 90 et amplius haereses ab Orientis partibus vel ab ipsis Graecis diverso tempore ex diverso errore ad corrumpendam virginitatem Catholicae Ecclesiae matris emergentes. Dicendum videtur ex parte, *quantas CPna Ecclesia per praesules suos suscitaverit pestes, quas viriliter expugnavit, protrivit, et suffocavit Romana et apostolica Sedes.* — (‚Enumerat Pontifex haereses et schismata a CPnis praesulibus suscitata inde ab Eusebio Nicomediensi, CPlitanae sedis invasore, usque ad sua tempora, tum prosequitur‘:) In qua utique vesania nec vos istis modo temporibus inferiores illo vestro Paulo, (Eppo CPno, quem Martinus PP. damnavit) *summam et apostolicam Sedem,* cunctosque institutionis eius fidissimos observatores anathemate damnatis: incauta, impudenti arrogantia adeo coecati, ut non animadvertatis, quid, et qui faciatis, et cui. Illi nempe facitis praeiudi-

cium, *de qua nec vobis nec cuilibet mortalium licet facere iudicium,* beatissimo et apostolico pontifice Silvestro divinitus decernente, spiritualique eius Filio Constantino cum universa synodo Nicaena approbante ac subscribente, ut summa sedes a nemine iudicetur. — Quorum semper omni mundo reverendam sententiam, sicut veraciter divina inspiratione promulgatam, amplexae reliquae universales Synodi — unanimi voluntate, concordique verbo et scripto confirmavere: *sanctam Romanam et apost. Sedem post Dominum Iesum caput esse omnium Ecclesiarum Dei,* et hoc debere credi, confiteri, et scribi ab omnibus veneratoribus Nicaeni Concilii, cuius statutorum usque ad unum iota contemtoribus districtum anathema cautum est a quinque praefatis et cunctis ss. patrum synodis subsequentibus. — His et aliis quamplurimis testimoniis iam vobis satisfactum esse debuit de terreno et coelesti imperio, imo de regali sacerdotio S. Romanae et apostolicae Sedis. — Sed ne forte adhuc — aliquis vobis dubietatis supersit scrupulus, neve leviter suspicemini ineptis et anilibus fabulis S. Romanam Sedem velle sibi inconcussum honorem vindicare et defensare aliquatenus, pauca ex privilegio eiusdem *Constantini* manu cum cruce aurea super coelestis clavigeri venerabile corpus posito ad medium proferemus, quibus fundetur veritas, et confundatur vanitas, ut omnia membra catholicae matris cognoscant nos illius Petri disciplinae esse, qui sic in epistola sua ait de se: ‚Non enim doctas fabulas secuti, notam vobis fecimus D. N. I. C. virtutem, sed speculatores facti illius magnitudinis', et nos vobis inculcare non tam relatu quolibet quam quae ipso visu et tactu comperta sunt. *(Recenset Papa fusius privilegium sive donationem Constantini M. ad Silvestrum Papam.)* — At nos habemus testimonium maius Constantino. Qui, ut ait beatus evangelista Ioannes, de terra est, de terra loquitur; vix ab homine testimonium accipimus, contenti testimonio illius, qui de coelo venit, et super omnes est, et dicit: Tu es Petrus etc. *(Evolvit textus S. Scripturae de Petri praerogativa.)* — Verum vestra insolentia nihili pendens talia, specialibus Christi ovibus claudere et interdicere non timet — ovilia: quas ipse non cessat invitare et introducere ad sempiternae vitae pascua. — Ergo praevalebit illis portas vitae obserare vel obstruere errorum claviculis seu sophismatum tendiculis quilibet inimicus, quas potestate, meritis et prece re-

serat et pandit tantus amicus, cui portae inferi non praevalebunt aliquatenus in coelis terrisque praepotens — ? Absit! Quapropter a tanta amentia iam resipiscite, et Latinos vere catholicos atque maximi Petri familiariores discipulos — cessate subsannando azymitas vocare, aut ecclesias illis denegare, seu tormenta, sicut coepistis, inferre, si vultis nunc et semper pacem et portionem cum Petro habere. — *(Commemoratis denuo pluribus erroribus Graecorum, signanter Epporum CPnorum ausibus insolentibus, continuat:) Romanae Ecclesiae fides per Petrum super petram aedificata, nec hactenus defecit, nec deficiet in secula,* Christo eius Domino rogante pro ea, ceu testatur sub ipsa passione sua : Ego rogavi pro te etc. Quo dicto demonstravit, fidem fratrum vario defectu periclitandam, sed inconcussa et indeficiente fide Petri velut firmae anchorae subsidio figendam, et in fundamento universalis Ecclesiae confirmandam. Quod nemo negat, nisi qui evidenter haec ipsa verba Veritatis impugnat, quia sicut cardine totum regitur ostium, ita Petro et successoribus eius totius Ecclesiae disponitur emolumentum. Et sicut cardo immobilis permanens ducit et reducit ostium, sic Petrus et sui successores liberum de omni Ecclesia habent iudicium, cum nemo debeat eorum dimovere statum, quia summa sedes a nemine iudicatur. — Ceterum de homine sentite, o homines, quod vultis; unum tamen conscientia respondet nobis, quia omnium Ecclesiarum Dei salutem et exultationem summopere desideramus. Sed ut quicunque quodlibet ex superbia arripiat, et sibi contra nostram apostolicam sedem atque leges eius usurpet, hoc nos tolerare non possumus, quia quisquis Romanae Ecclesiae auctoritatem vel privilegia evacuare seu imminuere nititur, non hic unius Ecclesiae, sed totius Christianitatis subversionem et interitum machinatur. Cuius enim compassione vel sustentatione ulterius respirabunt filiae a quovis oppressae, unica illa suffocata matre? cuius refugium appellabunt? ad quam confugium habebunt? Ipsa enim Athanasium, ipsa omnes Catholicos suscepit, fovit, defendit, et sedibus propriis pulsos restituit. Ideo cupiendo omnes in visceribus Iesu Christi nobiscum, vos admonemus, ne falsum nomen scientiae, iustitiae vel gloriae quaerendo, unus adversus alterum infletur, ne cinis et terra periculose superbiat, ne abominabilis et miser homo bibens quasi aquas iniquitatem, sequendo exteriora, in vita sua proiiciat intima sua.

Simus unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati sumus in una spe vocationis nostrae. Ipsa corporis compositio et membrorum nos doceat, qualiter et quanti habenda sit Ecclesiae unitas, etc. —

507. *Ad eundem.* Scripta tuae honorandae fraternitatis tandem ad nos pervenerunt, in quibus ad maxime necessarium omnibusque Christi fidelibus amplectendum bonum concordiae et unitatis exhortari studes, quatenus post nimium longas et perniciosas discordias filia ex propriae matris reconciliatione exultet. — Nos, si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habere peroptamus: quanto magis ergo tecum, quem videmus Ecclesiae Dei valde utilem et necessarium posse fore ministrum, si non transgredi laboraveris terminos, quos patres nostri posuerunt? Et quia christianae perfectionis est, pacificum esse etiam cum inimicis pacis spe correctionis, non consensu malignitatis: tanto sollicitius debemus omnes occasiones scandalorum de medio tollere, quanto tenacius optamus pacis amicos retinere. Plurima autem ex tua fraternitate intolerabilia rumor iam diu pertulit ad aures nostras, quae nos partim quia incredibilia videbantur, partim quia nulla facultas inquirendi talia concedebatur, indiscussa hucusque reliquimus. Denique diceris neophytus, et non gradatim prosiluisse ad eppale fastigium: quod nullatenus esse faciendum et Apostolus edocet, et venerabiles canones interdicunt. Hinc nova ambitione Alexandrinum et Antiochenum patriarchas antiquis suae dignitatis privilegiis privare contendens, contra omne fas et ius tuo dominio subiugare conaris. — Qualis vero et quam detestabilis atque lamentabilis est illa sacrilega usurpatio, qua te *universalem patriarcham* iactas ubique et scripto et verbo, cum omnis Dei amicus huiusmodi hactenus horruerit vocabulo honorari? Et quis post Christum convenientius posset insigniri hoc vocabulo, quam cui dicitur divina voce: Tu es Petrus etc.? Verumtamen quia ille non invenitur universalis apostolus dictus, quamvis princeps apostolorum sit constitutus, nullus successorum eius tam prodigioso praenomine consensit appellari penitus, licet Magno Leoni praedecessori nostro et successoribus ipsius hoc sancta decreverit Chalcedonensis Synodus. Nempe animadvertebant non esse amicum sponsi, qui pro sponso vellet amari, quin potius paranymphum et lenonem Antichristi, qui adversatur et extollitur super omne quod dicitur

Deus aut quod colitur. Ecce ille Ioannes vester, cuius vesanae adinventionis adhuc haeredes permanetis, qui secundum Psalmistam per vos adhuc vocat nomina sua in terris suis, cum interiit, non sumsit omnia, neque descendit cum eo gloria ad infernum, quia cum in honore esset, non intellexit. Ipse a beatissimis Pontificibus Pelagio et Gregorio, successoribusque eorum pro hac insolentia anathematisatus, in sua pertinacia irrevocabilis periit, iamque per 440 annos suae contumaciae sequaces praecipitare non cessavit. Quibus quid profuit superbia, divitiarum iactantia quid contulit? — Et quomodo animas pro fratribus habetis ponere, qui inane nomen et universam Ecclesiam scandalisans dedignamini deponere? Resipisce ergo, rogamus, ab hac insania, ne illius consors tu quoque, quod absit, fias, de quo dicitur: ‚Omne sublime videt, et ipse est rex super universos filios superbiae.' Illud autem quis non stupeat, quod post tot sanctos et orthodoxos patres per mille et viginti a passione Salvatoris annos novus calumniator Ecclesiae Latinorum emersisti, anathematisans omnes et publicam persecutionem excitans, quicunque participarentur sacramentorum ex azymis? Quam praesumtionem tuam et fama nobis obtulit, et literarum sub nomine tuo ad Apulos datarum textus manifestavit: quae violenter adstruere conantur fermentatum panem fuisse, quo Dominus apostolis suis corporis sui mysterium in coena commendavit. Quod omnino falsum esse ex utroque Testamento facillime deprehenditur: quia qui non venerat solvere legem sed adimplere, iuxta ipsius legis praeceptum ex azymis et vino vetus pascha adimplevit, et protinus ex azymis et vino novum, sicut aperte Lucas narrat, discipulis tradidit. — Discat autem fraternitas tua, saltem admonita, caute et humiliter loqui, ne aliquando Dominus dicat et tibi: ‚Ex abundantia cordis os loquitur.' Scripsisti siquidem nobis, quoniam si una Ecclesia Romana per nos haberet nomen tuum, omnes Ecclesiae in toto orbe terrarum haberent per te nomen nostrum. Quid hoc monstri est, frater carissime? Romana Ecclesia, caput et mater Ecclesiarum, membra et filias non habet? et quomodo potest dici caput et mater? Credimus enim propter quod et loquimur atque constanter profitemur: *Romana Ecclesia adeo non est sola, vel sicut tu putas, una, ut in toto orbe terrarum quaecunque natio dissentit superbe ab ea, non sit iam dicenda vel habenda Ecclesia aliqua, sed omnino*

nulla, quin potius conciliabulum haereticorum, aut conventiculum schismaticorum, et synagoga satanae. — Cessent ergo haereses et schismata, et diligentibus legem Dei iam non erit scandalum sed pax multa. Quicunque gloriatur christiano nomine, cesset Romanam sanctam et apostolicam Ecclesiam maledicere et lacessere, quia frustra patremfamilias honorat, quisquis eius uxorem exhonorat; et frustra matrisfamilias caput et faciem magnificat, qui minimos filiorum eius impugnans, tamquam digitos pedum illius conculcat. — Confidimus tamen ex divina pietate, quod ab his innoxius aut correctus invenieris, aut certe admonitus cito corrigeris. Quod dum fuerit effectum, pax nostra iam ad nos non revertetur, sed super te requiescet ceu super pacis filium, et regnabit inter nos germana caritas, de corde puro, et conscientia bona et fide non ficta, nec necesse habebis nobis supplicare, sed iubere. Super haec, sicut coepisti, collabora, ut duo maxima regna connectantur pace optata. —

508. *Ad Petrum Ep. Antiochenum.* Congratulamur vehementer in Domino tuae sanctissimae fraternitati, atque multimodas gratias, ut dignum est, referimus ei, qui est vera pax et caritas suorum, quod tandem per te, carissime frater, videtur refloruisse S. Antiochenae Ecclesiae studium, et sentire quod est sentiendum. — Neque enim Deus, qui unus est, in scissuris mentium, sed in sola unitate et puro corde habitat, et habitare facit unanimes in domo. Alioquin domus exasperans erit, nec iam digna vocari Ecclesia Dei, sed synagoga maligni. Porro sicut calamitosum est, si unitas deest bonis, ita perniciosum, si adsit malis. Quod ipse ex specula illius Ecclesiae, cui videris designatus divinitus speculator, prudenti oculo considerans, promotionem tuam ad eppale fastigium electione cleri et populi, sicut asseris, factam, atque fidem tuam secundum antiquae consvetudinis religiosum et valde necessarium studium apostolicae et primae Sedi, cui Deo auctore quamvis indigni praesidemus, annunciare et exponere curasti. In quo facto noverit tua dilectio nos plurimum recreatos et gavisos in Domino, quia quod maxime oportebat, tibi et Ecclesiae, cui temporaliter praesides, non distulisti efficere. Siquidem ab apostolica tua sede *nostram apostolicam sedem consulendo, perpendimus tuam dilectionem nolle deviare a Dominico et omnium ss. patrum concordi decreto, quo inviolabiliter cunctis in toto orbe terrarum ecclesiis S. Romana*

et Apostolica Sedes caput praeponitur, ad quam maiores et difficiliores causae omnium Ecclesiarum definiendae referantur. Sic omnia veneranda Concilia, sic leges humanae promulgant, sic ipse Sanctus Sanctorum, Rex regum, et Dominus dominantium confirmat, quatenus ibi principalis dignitatis et totius eccles. disciplinae venerabilis apex praefulgeat et praecellat, ubi ipse vertex atque cardo apostolorum Petrus carnis suae beatam resurrectionem in novissimo die expectat. Nimirum solus est ille, pro quo, ne deficeret eius fides, Dominus et Salvator asserit se rogasse, dicens : Simon etc. Quae venerabilis et efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius usque in seculum seculi, sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit. Pro cuius excellentia tertiam a Romana Ecclesia dignitatem retinet Antiochena, quam te defendere summopere monemus, non tuae gloriae causa, sed pro Sedis, cui ad tempus praesides, antiqua honorificentia. Nec revoceris ab hac intentione cuiuslibet pompa vel arrogantia, quin constanter defendas honorem, quem Antiochenae Ecclesiae reliquerunt omnia ss. patrum concilia. Ad quod utique, si opotuerit, maxima mater, Romana scilicet atque prima sedes, tam dilectae sibi filiae imo consociae nusquam et numquam deerit. Quod totum ideo dicimus, quia quosdam conari minuere antiquam dignitatem Antiochenae Ecclesiae audivimus. — Noveris tamen nos ipsam tuam promotionem taliter approbare, si non hanc neophytus, aut curialis, seu digamus, vel pretio, aut alio quolibet modo sacris canonibus contrario, quod absit! obtinuisti. Sane fidem tuam, quam proprio scripto summae et apostolicae sedi exposuisti, sanam et catholicam, atque orthodoxam per omnia protestamur, et sicut vere unicam et salutarem amplectimur, et tuae dilectioni vehementer congratulantes in Domino, eandem nostram esse devoto corde et promto ore profitemur. — *(Sequitur symboli totius declaratio:)* — Hanc fidem S. Romana apostolica Sedes corde credit ad iustitiam, et ore confitetur ad salutem. Secundum hanc vivere Domino donante studet, et pro eius defensione, si oportuerit, mori parata est. Quam et in te, frater carissime, perfectam cognoscimus, et secundum eam te vivere nobiscum admonemus, pro-

fecto scientes, quia fides sine operibus mortua est. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 143. p. 728. 744. 769. 773.

509.

Eppus Moguntinus ad Alexandrum II PP. tamquam Ecclesiae Caput refert causam divortialem Henrici Regis. Post A. 1061.

MON. Licet universalis Ecclesiae status generaliter innitatur super fundamentum apostolorum et prophetarum, et in ipso sui verticis culmine angularem gestet lapidem, Dominium scilicet Iesum Christum: specialiter tamen magnus ille *Petrus* iuxta solidissimam sui nominis firmitatem, et firmissimam fidei et confessionis suae soliditatem eius *totam sustentat fabricam*, ad hoc quidem electus a Domino, ubi dicitur: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Inde namque omnis apostolicorum patrum successio beata, auctoritate ipsius Domini Sedi eius, *Romanae* scilicet *Ecclesiae*, hanc dedicavit excellentiam, et in cunctis semper huius privilegii servavit reverentiam, ut *maiora Ecclesiae negotia et difficiliores causarum exitus ad ipsam velut ad Caput referantur*, eiusque iudicio cuncta salubriter examinata in portum salutis dirigantur. Quia vero divinae miserationis gratia vos in hanc Sedem inthronisavit, et vice ipsius Petri omnium Ecclesiarum sollicitudinem imposuit, necessarium duximus vestro reservari iudicio, quas novimus nec posse nec debere sine vestra auctoritate nostro terminari studio. — *(Proponit causam Henrici Regis coniugem suam dimittere volentis.)* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 146. p. 1430.

---

510. 511.

Anselmus Lucensis, A. 1071. ss. in celebri sua Collectione canonica pro Primatu Romano conspicua profert argumenta.

510. MON. *Ex Collect. Canonica Anselmi L. I.* Cap. 1—88. Quod post Christum a *Petro* sacerdotalis ordo coepit. — Quod

sacrosancta *Romana Ecclesia* caput omnium ecclesiarum a Domino est constituta. — Quod beatus Petrus concessam sibi potestatem suis tradidit successoribus. — Quod Christum non recipit, qui Papam contristaverit. — Quod beato Petro a Domino concessum est ceteris praeesse apostolis, ipsis volentibus. — Quod ad formam apostolorum facta est quaedam distinctio Epporum, quibus tamen sedes beati Petri praeeminet. — Quod *Ecclesia Romana omnibus praeest Ecclesiis, sicut beato Petro datum est praeeminere ceteris apostolis.* Quod *super unum,* id est, *Petrum, aedificavit Dominus Ecclesiam suam.* Quod *Ecclesia Romana numquam a fide erraverit.* — Quod Romana Ecclesia ipsius Domini voce Salvatoris omnibus praelata est. — Quod apostolica Sedes firmamentum est omnium Epporum, ecclesiarumque omnium vertex. — Ut *prima Sedes a nullo iudicetur.* — Ut nemo apostolicae sedis iudicium iudicare aut retractare praesumat. — Quod ad Sedem Apostolicam ab Eppis referatur, dum in fidei ratione dubitatur. — Quod apostolica Sedes numquam haereses fovet, sed destruit. — Quod navis beati Petri non turbatur. — Quod non sit liberum Apostolico dissimulare vel tacere. — Quod *traditio Romanae Ecclesiae a ceteris observetur Ecclesiis,* quae ab ipsa principium acceperunt. — Quod sedes beati Petri fas habet iudicandi de omni Ecclesia, sed nemo de illa. — Quod Sedes apostolica absque Synodo possit solvere inique damnatos. — Quod apostolica Sedes uniuscuiusque synodi sua auctoritate confirmatae servare debet constitutum. — Quod auctoritas congregandarum synodorum generalium soli apostolicae Sedi sit commissa. — Quod ab apostolica Sede fidei veritas est inquirenda. — De petitione Nicaeni Concilii, ut ab apostolica auctoritate confirmetur. — De petitione Aegyptiorum Epporum pro 70 Capitulis Nicaeni Concilii. — Quod Romana Ecclesia semper immaculata permanserit, et permanebit. — Quod *Romana Ecclesia ab ipso Domino primatum obtinuit,* et quod Petrus et Paulus una die sua eam morte consecraverunt, et quod ipsa prima sedes est, secunda Alexandrina, tertia Antiochena. — Quod *Romana Ecclesia non synodicis sed evangelicis institutis primatum obtinuit.*— Quod auctoritate Pontificum et potestate Regum mundus regitur, et *regalis* tamen *potestas subiecta Pontificibus esse debet.* — Quod imperatoribus fas non est, curiose de spiritualibus negotiis agere. — Quod Carolus Rex et Patricius provincias et civitates et

castra aliaque multa Ecclesiae S. Petri dedit et restituit. — Ut monitis apostolicis obedientia praebeatur ab Augustis. —

511. *Eiusd. collect. lib. II.* Cap. 1—80. — Ut *difficiliores causae et maiora negotia ad Apost. Sedem, si appellatum fuerit, deferantur.* — Quod ad Romanam Ecclesiam ab omnibus oppressis appellandum est, a qua omnes maiores Ecclesiae causae terminandae sunt. Ut nullus Eppus iudicetur vel audiatur, nisi in synodo apostolica auctoritate convocata. — Quod *absque auctoritate apostolica nulli liceat Epporum causas definire*, quamvis scrutari liceat comprovincialibus eppis. — Quod Papa restituit Eppos iniuste Principum timore damnatos, et omnia sua reddi praecipit. — Quod Papa decreta canonum ita librare debet, ut quae necessitas temporum relaxanda exposcit, temperet quantum fieri potest. — Quod ab Apostolis eorumque successoribus statutum est, ut absque Romani Pontificis sententia nec concilia celebrentur, nec eppi damnentur. — *Quod CPna Ecclesia, sicut et ceterae omnes, Romanae Sedi debet esse subiecta.* — Quod Nicaenae Synodo nullum potuit fieri praeiudicium a multitudine Arimini congregata, quia Romana Ecclesia nullum ei dedit assensum. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 149.

512.

Lanfranci Cantuariensis oratio in Synodo A. 1072. de primatu Ecclesiae Cantuariensis contra Eboracensem: et egregia supremae auctoritatis Romani Praesulis tam quam Petri successoris confessio.

MON. Opinio est veritatis egena, qua niteris, (sermo dirigitur ad Thomam AEppum Eboracensem) ut dicatur soli Augustino concessam haberi subiectionem omnium epporum Britanniae, et eorum etiam, qui essent ordinati per Eppum Eboracensem. Exile et omnino angustum id esset munus, quod familiari abolim suo novo Anglo vir largiretur Apostolicus, praesertim cum vivo Augustino nullus Eboracensis Pontifex ordiret quos subiectos haberet Augustinus, sed nec aliquis ibi e

titerit Eppus. — Quod dicis, potuisse beatum Gregorium, si voluisset, successoribus Augustini confirmare dicto, quod concesserat Augustino: verum omnino est, nec potest ambigi. Sed quod, quaeso, praeiudicium hoc Cantuariensi sedi affert? A simili causam proponam. Nam quando Dominus et Salvator noster Iesus Christus dixit beato Petro: Tu es Petrus etc. potuisset adiicere, si voluisset: eandem potestatem successoribus tuis concedo. Verum dicti praetermissio nihil reverentiae imminuit successoribus Petri. Ibisne his verbis obviam? referesne adversa? Enimvero *omnium Christianorum conscientiis est inditum, ut nihilominus quam beato Petro successoribus eius* et minantibus attremant, et serenam dignitatem indulgentibus gaudentes applaudant; *estque tunc demum omnium eccles. rerum rata dispensatio, si successorum beati Petri fuerit comprobata iudicio.* Quid illud agit, nisi vis divinae liberalitatis per Dominum Iesum a beato Petro in vicarios eius diffusa? Ergo de similibus idem pronunciabis iudicium, si dialecticam nosti. Praeterea quod valet in toto, valet in parte; quod valet in maiori, valet in minori. *Romana Ecclesia quasi totum est omnium, ceterae Ecclesiae quasi eius partes. — Ipsa est maior omnium Ecclesiarum,* et quod in ea valet, debet et valere in minoribus, ut potestas primi cuiuscunque Ecclesiae principis in succedentes dimanet, nisi si quid personaliter et nominatim excipiatur. Quare sicut *Christus dixit omnibus Praesulibus Romanis quod dixit beato Petro,* ita quod dixit beatus Gregorius, omnibus successoribus Augustini dixit in Augustino. Hinc conficitur, ut sicut Cantia subiicitur Romae, quod ex ea fidem accepit, ita Eboracum subiiciatur Cantiae, quae eo praedicatores misit. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 150. p. 623.

513—520.

Petrus Damianus, A. 1072. mortuus, in plurimis operibus suis Primatum Romanae Ecclesiae multiplici argumentorum genere ac pondere comprobat.

513. MON. *Serm. 23. de S. Ioanne Bapt.* — Decimus honor est assertio matris Ecclesiae. Texitur ora chlamydi ungventumque profusum in capite, extremam quoque vestimenti fimbriam inundanter infundit. Illa enim *mater et magistra omnium Ecclesiarum, Ecclesia Romana,* cui dictum est: ‚Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua', in honore Ioannis Bapt. post Salvatoris nomen consecrata est et signata. Dignum namque erat, ut sententiam sponsi sponsae sequeretur auctoritas, et singularem amicum eius illuc proveheret, ubi principatum ipsa conscendit. —

514. *Serm. 26. de S. Petro Ap. Petrus* Apostolus, *apostolorum princeps et principum primus,* hodiernam diem nobis reddidit clariorem. Sacra profecto dies, quia sacratissimo homini consecrata, et illius assignata praeconiis, quem conventus angelicus non mediocriter reveretur. Unus est enim, quem praenobilitant *singularis primatus* insignia, clavicularius regni coelorum, lingva, fidei fundamentum. — Adest Petrus, et ad eius arbitrium orbis universitas solvitur et ligatur: et praecedit Petri sententia sententiam Redemtoris, quia non quod Christus, hoc ligat Petrus, sed quod Petrus hoc ligat Christus: ipso idipsum attestante: Quodcunque ligaveris etc. —

515. *Serm. 27. de Petro et Paulo. Ap.* — Admiranda prorsus dispositio Redemtoris, et iudicia Dei abyssus multa: cum illos Ecclesiae suae praefecit, qui sic criminaliter lapsi sunt, ut in peccatorum fluctus absorberentur. Cum intueor *Petrum, quem ipsa manus Omnipotentis regni coelestis clavibus investit, cui Pater revelat Filii maiestatem, super quem fundatur Ecclesia, cui potestas ligandi et solvendi conceditur,* qui coelos claudit et aperit, quod Cherubim et Seraphim habere non legitur, vehementer admiror. —

516. *Serm. 65. de S. Barbatiano.* — Ex ipso S. Ecclesiae fundamento quadratos lapides suscepisti, super quos velut firmissimas bases erecta, immobili es fidei et sanctitatis soliditate fundata. (*Sermo est de Ecclesia Antiochena, ubi natus fuit Barbatianus.)* — Ut eis (Apollinari et Barbatiano) deesse nil valeat, quod ad cumulum tuae felicitatis attineat, mox ut de Antiochenis finibus exeunt, *Romae, quae abs dubio caput est et principalis sedes totius S. Ecclesiae*, commorantur: nimirum *ut in schola Petri primitus discant,* quod te postmodum de doctrina veritatis erudiant, et *de purissimo fonte* abundanter bibant, quod in salutaris doctrinae magisterio velut eructando transfundant. —

517. *Opusc. IV. disceptatio inter Regis advocatum et Romanae Eccl. defensorem.* — Cum beatitudo vestra, venerabiles patres, super *Apostolicae Sedis* negotio disputat, ad cunctas Ecclesias pertinere quod versatur in manibus, non ignorat. *Hac enim stante reliquae stant, sin autem haec, quae omnium fundamentum est, et basis, obruitur, ceterarum quoque status necesse est collabatur. — Romanam Ecclesiam solus ille fundavit, et super petram fidei mox nascentis erexit, qui beato vitae aeternae clavigero terreni simul et coelestis imperii iura commisit. — Qui Romanae Ecclesiae privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum Capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in haeresim labitur.* —

518. *Opusc. V. Actus Mediolani de privilegio Romanae Ecclesiae ad Hildebrandum S. R. E. Cardinalem ADiaconum. Privilegium Romanae Ecclesiae* quantas habeat vires ad servandam canonicae aequitatis et iustitiae regulam, quantumque vigorem ad disponendam ecclesiastici status contineat disciplinam, solus ille dilucide comprehendit, qui ecclesiasticis consvevit insudare negotiis. Quod utique privilegium qui inexpertus est parvipendit: exercitatus amplectitur. Quia sicut arma non curat, qui certamen ignorat, sic e diverso telis inhianter accingitur, qui ad reportandos ex more victoriarum titulos animatur. Armis autem privilegium Romanae Ecclesiae non incongrue comparaverim, quia dum *haec una per cathedram beati Petri totius Christianae religionis caput effecta, cunctis in orbe terrarum principetur Ecclesiis,* velut dux ante aciem fidelium cuneis fulta ac specialis praerogativae auctoritate munita, et evangelico mucrone veritati resistentium cervices obtruncat, et ad invictissime

dimicandum totam Christi militiam in unius caritatis ac fidei unanimitate conspirat. Hoc tu subtiliter, ut et alia multa perpendens, frequenter a me caritate, quae superat omnia, postulasti: ut Rom. Pontificum decreta vel gesta percurrens, quidquid Apost. Sedis auctoritati specialiter competere videretur, hinc inde curiosius excerperem, atque in parvi voluminis unionem novae compilationis arte conflarem. Hanc itaque tuae petitionis instantiam cum ego negligens floccipenderem, magisque superstitioni quam necessitati obnoxiam iudicarem: divinitus, ut reor, actum est, ut Mediolanensem urbem beatissimi Nicolai Papae legatione functus adirem. Erat enim inter clerum et populum propter duas haereses, Simoniacam videlicet, et Nicolaitarum, satis turbulenta seditio. — Nobis digna Sedis apostolicae veneratione receptis — factione clericorum repente in populo murmur exoritur, non debere Ambrosianam Ecclesiam Romanis legibus subiacere, nullumque iudicandi vel disponendi ius Romano Pontifici in illa Sede competere. — Ascendi ad pulpitum, ac sedato vix populo, huiusmodi sum verbis exorsus: Noverit caritas vestra, non me pro Romanae Ecclesiae huc honore venisse, sed vestram gloriam quaerere; — *quae autem provincia per omnia regna terrarum ab eius ditione extranea reperitur, cuius arbitrio ipsum quoque coelum et ligatur et solvitur? — Romanam Ecclesiam solus ipse fundavit, super petram fidei mox nascentis erexit, qui beato vitae aeternae clavigero terreni simul et coelestis imperii iura commisit.* — Illius certe privilegio fungitur, illius auctoritate fulcitur. Unde non dubium, quia quisquis cuilibet Ecclesiae ius suum detrahit, iniustitiam facit: qui autem Romanae Ecclesiae privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in haeresim labitur. — *Fidem* quippe *violat, qui adversus illam agit, quae mater est fidei, et illi contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesiis praetulisse cognoscitur.* — Cum vestrae salutis auctores ex Romanae Ecclesiae prodierint disciplina, consequens est iuxta aequitatis ordinem, ut Ecclesia Romana mater, Ambrosiana sit filia. Ut autem hic ordo inter utramque, Ambrosianam videlicet et Apostolicam Sedem non noviter oriri, sed antiquitus tenuisse non dubitetur, beatus Ambrosius cum hanc Nicolaitarum sordem ad multorum foetere perniciem in hac urbe doleret, eamque per se solus coercere non posset, Sedis Apo-

stolicae mox quaesivit auxilium. Unde et ipse *Ambrosius in omnibus sequi se magistram S. Romanam profitetur Ecclesiam.* —

519. *Opusc. 31. contra philargyriam et munerum cupiditatem.* C. 7. Nunc praeterea *Romana Ecclesia, quae sedes est Apostolorum,* antiquam debet imitari Curiam Romanorum. Sicut enim tunc terrenus ille senatus ad hoc communicabant omne consilium, in hoc dirigebant et subtiliter exercebant communis industriae studium, ut cunctarum gentium multitudo Romano subderetur imperio: ita nunc Apostolicae Sedis aeditui, qui spiritales sunt universalis Ecclesiae senatores, huic soli studio debent solerter insistere, ut humanum genus veri imperatoris Christi valeant legibus subiugare. Et sicut tunc Romanorum consules ex diversis mundi partibus reportabant peracta hostium caede victorias: sic isti nunc animas hominum de manu diaboli debent liberare captivas. —

520. *Opusc. 38. contra errorem Graecorum de process. Spir. S. — Cap. 1.* Laudabilis plane sanctitatis vestrae prudentia (dirigitur opus ad Patriarcham L.) et digni favoris est attollenda praeconiis, quae solvendam S. Spiritus quaestionem non ad alium quempiam, sed ad *Petrum* specialiter attulit, quem *coelestis sapientiae et potentiae claves* accepisse indubitanter agnoscit. Nec decebat tantae dignitatis et sapientiae virum ab alio mysterii coelestis arcana requirere, nisi ab illo potissimum, quem non caro potuit vel sangvis instruere, sed cui Deus ipse per se sua secreta dignatus est aperire: Beatus es, inquit, Simon BarIona etc. Hunc enim prae ceteris mortalibus de toto terrarum orbe conditor orbis elegit, cui *cathedram magisterii principaliter in Ecclesia tenere perpetuo privilegii iure concessit, ut quisquis divinum aliquid ac profundum nosse desiderat, ad huius praeceptoris oraculum doctrinamque recurrat,* nec illi humiliter offerre quod solvendum est erubescat, etiamsi et ipse quod quaeritur non ignorat. Numquid enim angelus de coelo veniens nesciebat docere Cornelium, quem videlicet ut quid sibi agendum esset addisceret, destinavit ad Petrum? ‚Mitte, inquit, viros Ioppen, et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus, hic dicet tibi quid te oporteat facere.' Poterat plane s. angelus hominem docere gentilem quid sibi competeret ad salutem, sed huius usurpare nolebat officium, cuius docendi noverat fuisse

commissum. Quid ergo mirum, si sacerdos licet sanctitate conspicuus, licet eloquiis divinis vehementer instructus, ad apostolorum principis magisterium misit, ad quem etiam angelus docendi gratia primitias gentium Cornelium destinavit? Pauli etiam ad Galatas haec verba sunt: Paulus apostolus neque ab hominibus etc. — Hic itaque — ad Petri magisterium venit, et non in transcursu, sed per plurimos dies apud eum in coelesti schola permansit. — Dignum ergo fuit, ut ad sedem illius vestra sancta prudentia solvendam dirigeret quaestionem, ad quem et ignarus fidei vir angelitus mittitur, et a quo apostolus etiam, qui iam a Deo instructus fuerat, plenius eruditur. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 144. 145.

521—530.

Gregorius VII PP. A. 1073—1085. et factis, et scriptis supremam auctoritatem Pontificalem firmiter tuitus, plures Praesules, datis ad eos literis, tum de iuribus Summi Pontificis edocuit, tum ad manutenendam Ecclesiae libertatem ac iurisdictionem animavit.

521. MON. *Eppo Cabilonensi pro canonica Epporum electione, A. 1073.* Inter ceteros nostri huius temporis principes, qui Ecclesiam Dei perversa cupiditate venumdando dissipaverunt, et matrem suam, cui ex Dominico praecepto honorem et reverentiam debuerant, ancillari subiectione penitus conculcarunt, Philippum Regem Francorum Gallicanas Ecclesias in tantum oppressisse certa relatione didicimus, ut ad summum tam detestandi huius facinoris cumulum pervenisse videatur. Quam rem de regno illo tanto profecto tulimus molestius, quanto et prudentia, et religione et viribus noscitur fuisse potentius, et erga Romanam Ecclesiam multo devotius. Et nos quidem tam generalis nostrae cura sollicitudinis, quam ipsarum destructio ecclesiarum vehementer accenderat, ut in tam audaces sanctae religionis excessus severius animadvertere deberemus. Sed quoniam anteactis diebus per familiarem suum cubicu-

larium, videlicet Albericum, ad nostri censuram iudicii et vitam corrigere et Ecclesias ordinare firmiter nobis respondit, rigorem canonicum interim exercere distulimus. Huius ergo promissionis fidem in Matisconensi Ecclesia pastoris regimine diu desolata et ad nihilum pene redacta inprimis volumus experiri, ut scilicet Augustodunensem Archidiaconum unanimi cleri et populi consensu, ipsius etiam, ut audivimus, regis assensu electum, episcopatus dono gratis, ut decet, concesso, Ecclesiae praefici patiatur. Quod si facere noluerit, indubitanter noverit nos hanc Ecclesiae ruinam nequaquam diutius toleraturos, et ex auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli duram inobedientiae contumaciam canonica austeritate coërcituros. Nam aut rex ipse repudiata turpi simoniacae haeresis mercimonia, idoneas ad sacrum regimen personas promoveri permittet, aut Franci pro certo, nisi fidem christianam abiicere maluerint, generalis anathematis mucrone percussi, illi ulterius obtemperare recusabunt. Haec ideo, frater carissime, vigilantiae tuae intimare curavimus, quatenus ea praedicto regi insinuare, et exhortando et rogando modisque omnibus inculcare studeat, ut et praefatam Matisconensem, aliasque Ecclesias canonice concedat ordinari. —

522. *Sigfrido Eppo Moguntino, A. 1074.* Pervenit ad aures nostras quaedam de te indigna relatio, cui nequaquam fidem adhibuissemus, nisi quod in literis tuis, quas de causa Ieromiri Bragensis et Ioannis Moravensis Epporum nobis direxisti, idem in animum tuum te induxisse intelleximus, videlicet ut negotium, quod ipsi habent ad invicem, iam toties ad apostolicam delatum audientiam, *a nostro iudicio ad examen tui arbitrii transferretur.* Qua in re quoniam evidenter apparet, quam parum consultores tui iura apostolicae auctoritatis intelligant vel attendant, fraternitatem tuam, ut nobiscum canonicas traditiones et decreta ss. patrum percurrat, invitamus, in quibus praesumtionis suae fastum denuo recognoscens culpam in seipsa negligentiae pariter deprehendat et ausus. — Quamquam igitur — merito in te commoveri deberemus, utentes tamen apostolica mansvetudine placido te admonemus affectu, ne ulterius tam inordinata, tam inconsulta praesumas, *ne apostolica iudicia non dico tibi, sed nec ulli patriarcharum aut primatum retractandi, licentiam fore existimes,* ne contra s. Romanam Ecclesiam quid-

quam tibi attribuere vel moliri cogites, sine cuius abundanti clementia nec in loco quidem tuo, ut tu ipse nosti, subsistere potes. —

523. *Eppis Francorum de obligatione admonendi Regem, dum scelera committit, A. 1074.* Longa iam temporum curricula transacta sunt, ex quo regnum Franciae olim famosum ac potentissimum a statu gloriae suae coepit inflecti, et succrescentibus malis moribus plerisque virtutum insignibus denudari. Verum his temporibus et culmen honoris, et tota facies decoris eius collapsa videtur, cum neglectis legibus omnique conculcata iustitia quidquid foedum, crudele, miserandum intolerandumque est, ibi et impune agitur, et adepta licentia iam in consvetudine habetur. Ante aliquot annos postquam tepente inter vos regia potestate nullis legibus nulloque imperio iniuriae prohibitae sunt vel punitae, inimici inter se quodam communi iure gentium quisque pro viribus conflixerunt, ad vindicandas iniurias suas arma copiasque paraverunt. — Nunc autem omnes malitia quasi quodam pestilentiae morbo repleti horrenda et multum execranda facinora multoties nemine impellente committunt, nihil humani, nihilque divini attendunt, periuria, sacrilegia etc. perpetrare — nihili ducunt; — peregrinos ad apostolorum limina euntes et redeuntes, uti cuique opportunum fit, capientes in carceres trudunt, et acrioribus quam paganus aliquis eos tormentis afficientes saepe ab illis plus quam habeant pro redemtione exigunt. Quarum rerum Rex vester, qui non rex sed tyrannus dicendus est, svadente diabolo causa et caput est, qui omnem aetatem suam flagitiis et facinoribus polluit, et suscepta regni gubernacula miser et infelix inutiliter gerens subiectum sibi populum non solum nimis soluto ad scelera imperio relaxavit, sed ad omnia, quae dici et agi nefas est, operum et studiorum suorum exemplis incitavit. — Quod quia iudicium superni Iudicis effugere nullatenus credendum est, rogamus vos et ex vera caritate monemus, *ut caveatis vobis, ne prophetica super vos maledictio veniat,* qua dicitur: ‚maledictus homo, qui prohibet gladium suum a sangvine,' Ier. 48. hoc est, sicut ipsi bene intelligitis, *qui verbum praedicationis a carnalium hominum retinet increpatione.* Vos etenim, fratres, etiam in culpa estis, qui dum perditissimis factis eius *sacerdotali vigore non resistitis,* procul dubio nequitiam illius consentiendo fovetis. Proinde quod inviti ac gemen-

tes dicimus, multum timemus, ut non pastorum, sed mercenariorum sententiam accipiatis, qui videntes lupum sub oculis vestris gregem Dominicum lacerantem fugitis, dum quasi canes non valentes latrare sub silentio vos absconditis. Atque equidem eo magis de vestro periculo metuimus, quanto nullas vobis in futuro examine excusandi rationes suppetere cognovimus. — Nam si prohibere eum a delictis contra ius ac reverentiam promissae sibi fidelitatis esse putatis, longe vos fallit opinio: quoniam hoc omni ratione confirmare possumus, multo fideliorem esse, qui alium de naufragio animae suae vel invitum retrahit, quam qui in peccatorum gurgite nocivo consensu eum deperire permittit. De timore vero vanum est dicere: quoniam vobis ad defendendam iustitiam coniunctis et constanter accinctis tanta virtus foret, ut et illum fideli correctione sine omni vestro periculo a consveta malefaciendi libidine possetis avertere, et vestras pariter animas liberare; quamquam *etsi timor ac periculum mortis immineret, vos tamen a libertate vestri sacerdotalis officii desistere non oporteret.* — Memores illius divinae dicti Sapientiae, ‚qui timet hominem, cito corruet, et qui sperat in Domino sublevabitur,‘ ita agite, ita vos habetote, ut quam sit vobis libera mens et lingva ostendatis, nec timentes hominem infirmitatis vestrae ruinam patiamini, sed confortati in Domino et in potentia virtutis eius, sicut strenui milites Christi, ad celsitudinem praesentis et futurae gloriae sublevemini. —

524. *Dictatus Gregorii Papae.* 1. Quod Romana Ecclesia a solo Domino sit fundata. 2. Quod solus Rom. Pontifex iure dicatur universalis. 3. Quod ille solus possit deponere Eppos vel reconciliare. 4. Quod legatus eius omnibus Eppis praesit in Concilio, etiam inferioris gradus, et adversus eos sententiam depositionis possit dare. 5. Quod absentes Papa possit deponere. 6. Quod cum excommunicatis ab illo inter cetera nec in eadem domo debemus manere. 7. Quod illi soli licet pro temporis necessitate novas leges condere, novas plebes congregare, de canonica abbatiam facere, et e contra divitem episcopatum dividere, et inopes unire. 8. Quod solus possit uti imperialibus insigniis. 9. Quod solius Papae pedes omnes Principes deosculentur. 10. Quod illius solius nomen in Ecclesiis recitetur. 11. Quod unicum est nomen in mundo. 12. Quod illi liceat Imperatores deponere. 13. Quod illi liceat de sede ad sedem ne-

cessitate cogente Eppos transmutare. 14. Quod de omni Ecclesia quemcunque voluerit clericum valeat ordinare. 15. Quod ab illo ordinatus alii Ecclesiae praeesse potest, sed non militare, et quod ab aliquo Eppo non debet superiorem gradum accipere. 16. Quod nulla Synodus absque praecepto eius debet generalis vocari. 17. Quod nullum capitulum, nullusque liber canonicus habeatur absque illius auctoritate. 18. Quod sententia illius a nullo debeat retractari, et ipse omnium solus retractare possit. 19. Quod a nemine ipse iudicari debeat. 20. Quod nullus audeat condemnare Apostolicam Sedem appellantem. 21. Quod maiores causae cuiuscunque Ecclesiae ad eam referri debeant. 22. Quod Romana Ecclesia numquam erravit, nec in perpetuum Scriptura testante errabit. 23. Quod Rom. Pontifex, si canonice fuerit ordinatus, meritis beati Petri indubitanter efficitur sanctus, testante S. Ennodio Papiensi Eppo, et multis SS. Patribus faventibus, sicut in decretis beati Symmachi Papae continetur. 24. Quod illius praecepto et licentia subiectis liceat accusare. 25. Quod absque synodali conventu possit Eppos deponere et reconciliare. 26. Quod catholicus non habeatur, qui non concordat Romanae Ecclesiae. 27. Quod a fidelitate iniquorum subiectos potest absolvere. *)

525. *Universis Christianis ex occasione diversarum iniuriarum Sedi Apostolicae illatarum, a. 1076.* Audistis, fratres, novam et inauditam praesumtionem, audistis sceleratam schismaticorum etnomen Domini in beato Petro blasphemantium garrulitatem et audaciam, audistis superbiam ad iniuriam et contumeliam sanctae et apost. sedis elatam, qualem vestri patres nec viderunt nec audierunt unquam, nec Scripturarum series aliquando a paganis vel haereticis docet emersam; cuius mali etsi aliquod unquam post fundatam et propagatam fidem Christi praecessisset exemplum, omnibus tamen fidelibus pro tanto contemtu et conculcatione apostolicae imo divinae auctoritatis dolendum foret et gemendum. Quapropter si beato Petro claves regni coelorum a Domino Deo nostro Iesu Christo traditas esse creditis, et vobis per manus ipsius ad aeternae vitae gaudia introitum patere cupitis, cogitandum vobis est, quantum nunc de irrogata sibi iniu-

*) Dictatus hos, inter epistolas libri II Regestorum 55 et 56 passim inseri solitos, non esse genuinum Gregorii Papae foetum, plures existimant eruditi.

ria dolere debeatis. Nisi enim hic, ubi per discrimina tentationum vestra fides et corda probantur, socii passionum efficiamini, procul dubio non estis digni, ut participes futurae consolationis et filii regni coelestem coronam et gloriam sortiamini. Rogamus igitur caritatem vestram, ut instanter divinam misericordiam implorare studeatis, quatenus aut corda impiorum ad poenitentiam vertat, aut reprimendo eorum nefanda consilia, *quam insipientes et stulti sunt, qui petram a Christo fundatam evertere, et divina privilegia violare conantur*, ostendat. Qualiter autem aut pro quibus causis beatus Petrus anathematis vinculo regem alligaverit, in chartula, quae huic inclusa est, plene potestis cognoscere. *)

526. *Universis fidelibus Germaniae de poenitentia et reconciliatione Henrici Imp. A. 1077.* Quoniam pro amore iustitiae communem nobiscum in agone christianae militiae causam et periculum suscepistis, qualiter Rex humiliatus ad poenitentiam absolutionis veniam inpetraverit, et quomodo tota causa post introitum eius in Italiam hucusque deducta sit, vestrae dilectioni sincera caritate indicare curavimus. Sicut constitutum fuit cum legatis, qui ad nos de vestris partibus missi sunt, in Longobardiam venimus; — interim vero regem adventare certe cognovimus; qui etiam priusquam intrasset Italiam, supplices ad nos legatos praemittens, per omnia se satisfacturum Deo et S. Petro ac nobis obtulit, et ad emendationem vitae suae omnem se servaturum obedientiam repromisit, dummodo apud nos absolutionis et apost. benedictionis gratiam impetrare mereretur; quod cum diu multis consultationibus differentes acriter eum de suis excessibus per omnes, qui intercurrebant, nuntios redargueremus, tandem ipse nihil hostile aut temerarium ostentans ad oppidum Canusii, in quo morati sumus, cum paucis advenit, ibique per triduum ante portam deposito omni regio cultu, miserabiliter, utpote discalceatus et laneis indutus, persistens, non prius cum multo fletu apostolicae miserationis auxilium et consolationem implorare destitit, quam omnes qui ibi aderant et ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem et compassionis misericordiam movit, ut pro eo multis precibus et lacrymis intercedentes, omnes

*) Plures literas, ipsumque decretum excommunicationis Monumentorum Catholicorum Tomo I. p. 67. et Tomo III. p. 4. ss. vulgavimus.

quidem insolitam nostrae mentis duritiam mirarentur, nonnulli vero in nobis non apostolicae severitatis gravitatem, sed quasi tyrannicae feritatis crudelitatem esse clamarent. Denique instantia compunctionis eius, et tanta omnium qui ibi aderant supplicatione devicti, tandem eum relaxato anathematis vinculo in communionis gratiam et sinum S. Matris Ecclesiae recepimus, acceptis ab eo securitatibus, quae inferius scriptae sunt, quarum etiam confirmationem per manus Abbatis Cluniacensis, et filiarum nostrarum Mathildis et comitissae Adelhaidae, et aliorum Principum, Epporum et laicorum, qui nobis ad hoc utiles visi sunt, recepimus. — *Iuramentum Henrici Imp.* ‚Ego Henricus rex de murmuratione et dissensione, quam nunc habent contra me AEppi et Eppi, duces, comites, ceterique principes regni Teutonicorum, et alii, qui eos in eadem dissensionis causa sequuntur, infra terminum, quem D. Papa Gregorius constituerit, aut iustitiam secundum iudicium eius, aut concordiam secundum consilium eius faciam, nisi certum impedimentum mihi vel sibi obstiterit, quo transacto ad peragendum idem paratus ero. Item si idem D. Papa ultra montes, seu ad alias partes terrarum ire voluerit, securus erit ex mei parte etc.‘ —

527. *AEppo Remensi de iure Papae legatos mittendi, a. 1078.* Cum vos ea a Sede Apostolica flagitetis, quae et honorem praesulatus vestri condeceant, et a praecedentium patrum auctoritatibus nequaquam dissentiant, fidentes petite, spe certissimi postulate, scientes omni ambiguitate remota nos petitionibus huiusmodi paratos annuere, cum quia vos fraterna dilectione in Christo amplectimur, tum etiam nihilominus quia ad haec quorumdam fidelium nostrorum, qui vos diligunt, precibus et interventionibus sedulis permovemur. Quocirca fraternitatem vestram rogatam atque commonitam volumus, ne debeat graviter ferre, si studeamus ad tempus pro communi honestate atque proficuo petita contra utilitatem Ecclesiae denegare. Haec autem omnia ad id praemissa noveritis, quia petitis in literis vestris, ne adversus privilegium, quod ab hac Apost. Sede vos habere fatemini, cogamini nisi soli mihi aut Romanis legatis super obiectis quibuslibet respondere. Quod si vos Romanos legatos intelligere videremini quoslibet cuiuslibet gentis, quibus Rom. Pontifex aliquam legationem iniungat, vel, quod maius est, vicem suam indulgeat, et laudaremus sane petita, et petitis libenter annuere-

mus. Sed quia praemittendo ‚Romanis' continuo subiungitis ‚Non ultramontanis', ostenditis vos tantum eos velle Romanos habere legatos, qui vel Romae nati, vel in Romana Ecclesia a parvulo educati, vel in eadem sint aliqua dignitate promoti; miramur nimium prudentiam vestram eousque perductam, *ut precaremini benevolentiam nostram iura Sedis Apost. debere imminuere, idque nobis in solius vestri negotiis non debere licere, quod in negotiis omnium praedecessores nostri sine omni contradictione et licitum et legitimum tenuere.* Nostis enim et Osium Eppum in Nicaeno, et Cyrillum in Ephesino Concilio Romanorum vice functos fuisse Pontificum. Syagrio quoque Augustodunensi Eppo Lugdunensis antistitis suffraganeo Papam Gregorium celebrandi generalis in Gallia concilii vicem suam legistis indulsisse. Sed quid haec de Eppis loquimur, cum idem S. Papa Monachum quemdam Hilarium nomine in Africae partibus literarum suarum auctoritate fultum usque adeo suum fecerit esse vicarium, ut per eum ibidem concilium generale celebraretur, et quidquid Synodus decerneret, ad finem eo exequente perduceretur. Ne igitur ad tantum velit culmen vestra fraternitas erigi, ut quae in causis omnium Romanis Pontificibus rata fuerunt et licita, in vestri solius causa irrita velitis et illicita reddi. Ad id autem, quod de privilegio dicitis, breviter interim respondemus, quod possunt quaedam in privilegiis pro re, pro persona, pro tempore, pro loco concedi, quae iterum pro eisdem, si necessitas vel utilitas maior exegerit, licenter valent commutari. Privilegia siquidem non debent s. patrum auctoritatem infringere, sed utilitati s. Ecclesiae prospicere. — Interim dilectionem vestram ex parte beati apostolorum principis Petri admonemus, ut, quemadmodum vobis Romae positis constituimus, coram Diensi Eppo et Cluniacensi Abbate, quibus in his vicem nostram commisimus, occasionibus cunctis obstaculisque remotis, semper obiectis omnibus sitis respondere parati, legaliter satisfacere, canonice purificari; ne si aliud a vobis, quod absit, agatur, tergiversationi et fugae et conscientiae scelerum, non exactioni iustitiae et aequitatis a pluribus adscribatur. —

528. *AEppo Synnadensi Armeno, a. 1080. de primatu Ecclesiae Romanae.* Summae Sedis specula, cui Deo auctore licet indigni praesidemus, ac universalis Ecclesiae sollicitudo, quam ipsius disponente providentia gerimus, compellit nos sicut de

illorum, qui se a Christi corpore separant, perditione vehementer dolere, ita quoque de eorum, qui recta sentiunt, et unitatem fidei servare noscuntur, salutari consensu ineffabili laetitia congratulari. Proinde quoniam vestram, scilicet Armenorum Ecclesiam, a rectitudine fidei, quam ab apostolis et s. patribus traditam universalis Ecclesia tenet, in quasdam pravas exorbitasse sententias nobis relatum est, profecto nimium paterni affectus compassione doluimus. — Volumus, caritatem tuam literis suis significare, utrum vestra recipiat, quod Ecclesia universalis amplectitur, fidem scilicet quatuor Conciliorum, quae a s. patribus comprobata, a Romanis Pontificibus Silvestro, Leone, aliisque apostolica sunt auctoritate firmata. — De reliquo quia cognovimus Ecclesiam vestram *azyma* sacrificare, et ob hoc a *Graecis* duntaxat imperitis quasi de haeresi reprehendi, volumus vos de temeraria garrulitate illorum multum mirari, sed nec ab instituto desistere, scientes eorum procacitatem non modo vobis hanc calumniam obiicere, verum etiam de simili causa, graviori vero iniuria, hucusque contra *S. Romanam Ecclesiam* insurgere, *quae per beatum Petrum quasi quodam privilegio ab ipsis fidei primordiis a sanctis patribus omnium mater Ecclesiarum adstruitur, et ita usque in finem semper habebitur: in qua nullus unquam haereticus praefuisse dignoscitur, nec unquam praeficiendum, praesertim Domino promittente, confidimus. Ait enim Dominus Iesus: Ego pro te rogavi etc.* —

529. *Omnibus fidelibus de malis, quae pati cogatur propterea, quod Ecclesiam in servitutem redigi haud sinat, a. 1084.* *) Pervenit, fratres carissimi, ut aestimamus, ad notitiam vestram, quia nostro tempore innovatum est, quod in Psalmista inquirendo dicitur: ‚Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania? adstiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius.‘ Principes enim gentium, et principes sacerdotum cum magna multitudine convenerunt in unum adversus Christum Omnipotentis Dei Filium, et adversus apostolum eius Petrum, ut christianam religionem exstingverent, et haereticam pravitatem propagarent. Sed Deo miserante illos, qui confidunt in Domino, nullo terrore,

*) Anno 1080 in Synodo Romana denuo excommunicavit Henricum, (super quo conferendus Tom. III. nostrorum Monum. Cathol. p. 10.) hancve excommunicationem in subsequis Synodis iteravit Gregorius Papa.

nullaque credulitate vel mundanae gloriae promissione ad suam potuerunt deflectere impietatem. *Pro nulla quippe alia qualibet actione contra nos iniqua conspirantes manus erexerunt, nisi quia periculum S. Ecclesiae noluimus silentio praeterire, et his restitimus, qui eandem sponsam Dei non erubescunt in servitutem redigere.* In omnibus enim terris licet etiam pauperculis mulieribus suae patriae lege suaque voluntate virum accipere legitime: sanctae vero Ecclesiae, quae est sponsa Dei et mater nostra, non licet secundum impiorum votum et detestabilem consvetudinem divina lege propriaque voluntate suo sponso legaliter in terris adhaerere. Non enim pati debemus, ut filii S. Ecclesiae haereticis, adulteris et invasoribus quasi patribus subiiciantur atque ab eis velut adulterina infamia notentur. Hinc multa diversa pericula et inaudita crudelitatis scelera qualiter sint exorta, a nostris legatis luce clarius veraque relatione potestis addiscere, et, si revera doletis et contristamini de ruina christianae religionis et confusione, eique vultis manum praebere adiutorii, intrinsecus certo tacti dolore ab eisdem instrui satis potestis. — Sed quia, sicut novit vestra fraternitas, licet indigno et peccatori divinitus per prophetam dicitur: Super montem excelsum etc. et iterum: Clama, ne cesses (Isai. 57, 7. 58, 1.): velim, nolim, omni postposita verecundia, timore quoque vel alicuius terreno amore, evangeliso, clamo et iterum clamo, et annuncio vobis, quia christiana religio et vera fides, quam Filius Dei de coelo veniens per patres nostros nos docuit, *in secularem versa pravam consvetudinem,* heu, proh dolor! ad nihilum pene devenit, et immutato antiquo colore cecidit non solum in diaboli, verum etiam in Iudaeorum, Saracenorum atque paganorum derisionem. Illi enim leges suas, licet hoc tempore ad nullam animarum salutem utiles, nullisque miraculis sicut lex nostra aeterni Regis frequenti attestatione clarificatas et corroboratas, prout credunt, observant. Nos autem seculi inebriati amore et vana decepti ambitione, omni religione et honestate cupiditati atque superbiae postpositis, exleges et quasi fatui videmur, quia praesentis vitae et futurae salutem et honorem sicut patres nostri non habemus, nec etiam sicut oportet speramus. — Rogamus et obsecramus in Domino Iesu, qui nos sua morte redemit, ut tribulationes et angustias, quas patimur ab inimicis christianae religionis, cur et qualiter patiamur, diligen-

ter investigando intelligatis. *Ex quo enim dispositione divina mater Ecclesia in throno apostolico me valde indignum, et Deo teste invitum collocavit, summopere procuravi, ut S. Ecclesia, sponsa Dei, domina et mater nostra, ad proprium rediens decus libera et casta et catholica permaneret.* Sed quia hosti antiquo haec omnino displicent, armavit contra nos membra sua, ut omnia in contrarium verteret. Ideo in nos, imo in apost. sedem tanta fecit, quanta facere a tempore Constantini M. imperatoris nequivit. Nec valde mirum: quia quanto plus tempus appropinquat, tanto amplius christianam religionem extingvere decertat. Nunc autem, fratres carissimi, diligenter quae vobis dico, audite. *Omnes, qui in toto orbe christiano censentur nomine et christianam fidem vere cognoscunt, sciunt et credunt, beatum Petrum apostolorum principem esse omnium christianorum patrem, et primum post Christum pastorem, sanctamque Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram.* Si ergo hoc creditis et indubitanter tenetis, rogo vos et praecipio ego, qualiscunque frater et indignus magister vester, per omnipotentem Deum, adiuvate et succurrite praedicto patri vestro et matri, si per eos absolutionem omnium peccatorum, et benedictionem atque gratiam in hoc seculo et in futuro habere desideratis. Omnipotens Deus, a quo bona cuncta procedunt, mentem vestram semper illuminet, eamque sua dilectione ac proximi foecundet, ut mereamini praefatum patrem vestrum et matrem certa devotione debitores vobis facere et ad eorum societatem sine verecundia pervenire. —

530. *In Apologetico super decretis Concilii Romani a Gregorio VII PP. editis, de suprema potestate S. Sedis Apostolicae sequentia continentur:* — III. decreta sanctissimorum Romanorum Pontificum, si possemus, etiam studiosius quam illa quatuor Concilia venerari et observare deberemus, cum et *ipsa Concilia omni firmitate carerent, si non apostolicae sedis Pontifices eadem per apostolicam auctoritatem congregare et corroborare decrevissent.* Unde et beatus Papa *Marcellus*, qui ante Nicaenum Concilium sua decreta martyrio consecravit, ipse vir apostolicus in decretis suis cap. XI testatur ita: ‚Ipsi apostoli eorumque successores Domino inspirante constituerunt, ut nulla fieret synodus praeter Romanae Sedis auctoritatem.‘ *S. Athanasius* praesul Alexandrinus, qui non minima pars Nicaeni Concilii

fuit, in epist. ad Felicem PP. cap 2. ita dicit: ‚Scimus in Nicaena magna synodo 318 Epporum ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani Pontificis sententia Concilia celebrari.‘ Sed et beatae memoriae *Iulius* PP. id ipsum cap. 5. profitetur, dicens: ‚Ipsi vero primae sedis Ecclesiae convocandarum generalium synodorum iura et iudicia Epporum singulari privilegio evangelicis et apostolicis atque canonicis concessa sunt institutis.‘ Beatus quoque *Damasus* Papa in decretis suis cap. 9. hanc intulit sententiam: ‚Nulla unquam concilia rata leguntur, quae non sunt fulta apostolica auctoritate. His autem sententiis b. *Isidorus*, rimator Scripturarum sagacissimus, fideliter adstipulatur, dicens:‚Synodorum congregandarum auctoritas Apostolicae Sedi privata est commissa potestate, nec ullam ratam esse legimus, quae eius non fuerit auctoritate congregata et fulta.‘ Haec canonica testatur auctoritas, haec ecclesiastica historia roborat, haec S. Patres confirmant. Si ergo illa IV Concilia omni auctoritate carerent, nisi principaliter ex decretis Rom. Pontificum firmitatem obtinerent, quis inficiari poterit, quanto decreta per ipsos apostolicos viros promulgata maiori veneratione digna merito censeantur quam ipsa concilia, quae non per ipsorum apostolicorum praesentiam sed tantum per eorum legationem authentica fieri merebantur? — XXIII. *Forsitan aliquis adeo delirat, ut subditos cuiuslibet episcopi per ipsum tantum, non per Romanum Pontificem damnari posse dicat? Sed illi ipsa Veritas in evangelio contradicit, quae beato Petro principaliter inter reliquos apostolos hoc privilegium concessit: Quodcunque ligaveris etc.* Qui enim generaliter omnes apostolicae potestati subiecit, nullo modo alicuius episcopi subditum excepit. Unde idem apostolus et a senioribus sui temporis, id est, presbyteris, sive episcopis, et ab eorum subditis obedientiam generaliter exegit, cum tam subditis quam praelatis, tam feminis quam viris specialia vivendi praecepta in epistolis suis tradiderit: quod incassum ipse faceret, si non generaliter omnes eius institutioni obedire deberent. Beatus quoque *Anacletus* ab ipso principe apostolorum presbyter ordinatus, in decretis suis c. 3. testatur: ‚Sacrosancta Romana et apostolica Ecclesia non ab Apostolis sed ab ipso Domino nostro primatum obtinuit, sicut ipse b. Petro dixit: Tu es Petrus. Ergo haec apost. sedes cardo et caput omnium Ecclesiarum a Domino, non ab alio, est constituta, et sicut cardine ostium regi-

tur, sic huius S. Sedis auctoritate omnes Ecclesiae Domino disponente reguntur.' Item b. *Gelasius* doctor apostolicus cap. XI: ‚Cuncta per mundum novit Ecclesia, quod s. Romana Ecclesia de omni Ecclesia fas habeat iudicare, nec cuiquam de eius liceat iudicare iudicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem nemini appellare licitum est.' Sed nec illa praeterimus, *quod apost. Sedes sine ulla synodo praecedente, exsolvendi quos synodus iniqua damnaverat, et damnandi nulla existente synodo quos oportuit, habuerit facultatem.* Et hoc nimirum pro suo principatu, quem b. Petrus apostolus Domini voce et tenuit, et semper retinebit. His autem ss. patres Callistus, Fabianus, Sixtus, Silvester, Iulius, et reliqui innumerabiles adstipulantur, qui adeo amplexati sunt veritatem, ut potius mori quam mentiri desiderarent. — Quapropter apertissime desipiunt, seque reos apostolicae auctoritatis efficiunt, quicunque eius potestati temere praeiudicant, cum cuiuslibet Eppi subditos non per Romanum Pontificem, sed per proprium tantummodo antistitem ligari vel solvi posse confingant. Praeterea b. Leo Papa, qui quartam universalem synodum Chalcedone congregavit, item Vigilius Papa, sub quo quinta universalis synodus CPli convenit, item b. Pater Gregorius, hi, inquam, singuli eadem auctoritate praecipui, pene eadem voce in decretis suis verissime testantur hoc modo: ‚S. Romana Ecclesia vices suas ita aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem vocatae sint sollicitudinis non in plenitudinem potestatis.' Unde liquido demonstratur, quod quilibet eppus nec super gregem sibi commissum tantam potestatem habeat, quantam praesul apostolicus: qui licet curam suam in singulos eppos diviserit, nullo modo tamen seipsum sua universali et principali potestate privavit, sicut nec Rex suam regalem potentiam diminuit, licet regnum suum, in diversos duces, comites, iudices diviserit. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 148. p. 317. 336. 362. 407. 434. 465. 510. 571. 708. 753.

531.

C. Quintilineburgense de primatu R. P. Sec. XI.

MON. — Cum omnes iuxta ordinem suum consedissent, prolata sunt in medium *decreta SS. Patrum de Primatu Sedis Apostolicae, quod nulli unquam liceat eius iudicium retractare, et de eius iudicio iudicare.* Quod de totius Synodi publica professione laudatum et confirmatum est. — Quidam autem Babenbergensis Clericus nomine *Gunibertus* Romani Pontificis primatui derogare volens, in mediam Synodum se contulit, asserens Romanos Pontifices hunc sibi primatum adscripsisse, non aliunde concessum hacreditasse, videlicet ut nullus de eorum iudicio iudicare debeat, nec illi alicuius iudicio subiaceant. Qui cum *aperte a tota Synodo confutaretur*, praecipue tamen a quodam laico convictus est per illud evangelicum: non est discipulus supra magistrum. Cum enim hoc generaliter in omnibus ecclesiasticis ordinibus observandum deputetur, ne maior a minore iudicetur: quis hoc Vicario S. Petri denegare potuit, quem omnes catholici pro domino et magistro venerantur? — **Sev. Binii** *Concil.* t. III. part. 2. p. 1290.

---

532. 533.

Bonizo, Eppus Placentinus, circa finem Sec. XI. in celebri suo „Decreto" Primatum Rom. Sedis cum specifica designatione iurium ac praerogativarum insigniter evolvit.

532. MON. *Decreti lib. IV. de excellentia Romanae Ecclesiae.* Scripturus de excellentia Romanae Ecclesiae, et de privilegiis ad eiusdem Ecclesiae Eppum pertinentibus, et de consti-

tutionibus eiusdem, solerter rogo lectorem, ne citissime in meam prorumpat sugillationem, dum viderit me in tam profuso opere succinctum pauca dixisse de magnis. — Mihi multa volenti ac cogitanti nil melius occurrit, quam quod *haec sacrosancta Ecclesia nullis synodicis constituta, sed ipsius est Domini voce fundata* dicentis ad beatum Petrum: Tu es Petrus etc. Cui addita est societas beati Pauli magistri gentium, ut quae erat electa caput gentium, sedes esset Apostolorum principis et magistri gentium. *Ipsa est vertex et firmamentum omnium ecclesiarum*, dicente Domino ad beatum *Petrum:* Ego pro te rogavi etc. Quid dicam, quod *omnis christiana religio, omniaque ecclesiae sacramenta,* praeter unum, quod in ultima coena discipulis a Domino traditum est, *ab ipso sumsere exordium?* (ordinatione et praxi Petri, sed institutione divina.) Nam Iudaeis in die Pentecostes mentientibus, lingvis loquentes variis ebrios esse et meribibulos, Petrus magna auctoritate Ioelis prophetia falsa profari perfidos declaravit. Et Davidica prophetia evangelisans illis Iesum, usque ad tria millia eo die baptisavit, etc. *(percurrit omnia facta Petri in SS. Libris relata.)* — Hic idem Clementem ordinavit Romanum Pontificem, et adhuc vivens eum collocavit in cathedra, Linum vero et Cletum adiutores habuit. *(Sequitur brevis historia successionis Rom. Pontificum.)* —

533. In eodem libro citat Bonizo plurimas auctoritates pro primatu Romani Pontificis, signanter canones sacros priorum temporum, iuxta sequentes titulos:

1. Quod ubi aliquid incerti oritur, recurrendum est ad S. Romanae Ecclesiae auctoritatem.

2. Quod difficiles quaestiones ad Petri sedem referantur.

3. Quod sacerdotalis ordo a Petro sumsit exordium.

4. Quod Romana Ecclesia a Domino sit fundata.

5. Quod nullus Eppus apud iudicem secularem diiudicetur.

6. Quod pulsatus Romanam sedem appellet.

7. Quod Romana Ecclesia caput sit omnium Ecclesiarum.

8. Quod Epporum causa non possit sine Romano Pontifice determinari.

9. Quod Epporum iudicia ad Romanam Sedem deferantur.

10. Quod ad Romanam Ecclesiam ab omnibus oppressis sit confugiendum.

11. Quod Romana Ecclesia a tramite veritatis non erraverit.

12. Quod ad Romanam Ecclesiam semper sit fugiendum.

13. Quod Romana Ecclesia possit corrigere quod novum est.

14. Quod maiora negotia ad Romanam Ecclesiam deferantur.

15. (Idem quod num. 2.)

16. Quod Romana Ecclesia semper sine macula fuerit.

17. Quod Eppus non sit condemnandus inconsulto Papa.

18. Quod Summus Praesul a nemine iudicetur.

19. Quod omnes Synodi Romana sint auctoritate convocandae.

20. Quod Romana Ecclesia aperire possit regnum coelorum vel claudere.

21. Quod Synodus non possit sine auctoritate Romanae Sedis celebrari.

22. Quod beati Petri Apostoli Sedes magistra sit sacri ordinis.

23. Quod nulli fas sit apostolica decreta temerare.

24. Quod Romana Ecclesia possit solvere, quod iniqua synodus damnavit.

25. Quod in Papa si desint bona per meritum, sufficiunt quae apud decessorem testantur.

26. Quod inter Apostolos fuit quaedam discretio potestatis.

27. Quod sententia Romani Pontificis a nullo possit retractari.

28. Quod Papa possit Eppum contra voluntatem AEppi consecrare.

29. Quod sic Papa vices suas contulit AEppo, ut in partem sit vocatus sollicitudinis.

30. Quod qui Romanae Ecclesiae conatur minuere dignitatem, haereticus sit.

31. Quod nulli fas sit apostolica praecepta cassare.

32. Quod Petri non tenens unitatem, fidem non tenet.

33. Quod qui potestatem Romanae Ecclesiae minuere cupit, in haeresim labitur.

34. Quod nullus incolumi Papa ambiat papatum.

35. Quod qui navem Petri non ascendit, diluvio inundante peribit.

36. Quod omnis *Bulgaria* et *Pannonia* Romanae sint subditae ditioni.

37. Quod omnis *Sclavonia* Pannoniensi sit data dioecesi.

38. Quod omne *Illyricum* Romanae sit subiectum ditioni.

39. Quod tentantes Papam e Sede pellere excommunicentur.

40. Quod vivente Papa nullus in eius locum possit ordinari. — **Maii** *Nova Patr. Bibl.* Tom. VII. Romae 1854. Part. 3. p. 29. ss.

534—535.

Deusdedit Cardinalis, Bonizoni coaevus, aeque ac Bonizo praecipuas Primatus praerogativas recenset.

534. MON. *In libello contra invasores et simoniacos et reliquos schismaticos.* Venerabilibus in Christo fratribus S. Rom. Eccl. Clericis! Opitulante Domini Dei nostri clementia, qui nos et sermones nostros suo mirabili nutu regit atque disponit, accingimur respondere simoniacis et schismaticis, qui dicunt regali potestati Christi Ecclesiam subiacere, ut ei pro suo libito vel prece vel pretio vel gratis liceat pastores imponere, eiusque possessiones vel in sua, vel in cuius libuerit iura transferre. Quatuor itaque sunt, de quibus Deo auctore scribere proponimus. Primum, quod regi non liceat sacrosanctis ecclesiis Episcopos constituere. Secundum de simoniacis et schismaticis. — Tertium, quod clerus a sacerdotibus pasci debet atque honorari, non infamari vel iudicari aut persequi. Quartum, quod seculari potestati non liceat in ecclesiam clericos introducere, vel expellere, nec res ecclesiasticas regere, vel in sua iura transferre. — *Lib. I.* Ne autem ulterius exordium protelemus, inprimis dicendum videtur, quoniam certum est, quod beatissimus *Petrus* apostolus *primus Ecclesiae Pontifex, prius patriarchalibus sedibus Orientis, postmodum vero primos ordinavit pontifices in civitatibus occidentis. Ipsi enim haec ordinatio maxime compe-*

tebat, cui principaliter Christus Dei Filius coelestis regni clavibus traditis suas oves pascere iusserat, et pro cuius fide, ne deficeret, specialiter oraverat, cuique fratres suos in eadem fide confirmare praeceperat. — Lib. III. Sect. 3. — Et quoniam secundum haec, quae praemisimus, omnes fideles suis quisque praelatis propter Deum *obedientiam* debent, maxime autem super omnes ecclesiae praelatos *Romano Pontifici propter principatum sibi a Deo in beato Petro collatum,* nonnullas huius rei gratia Sedis Apostolicae constitutiones subiicimus. *Pius* Papa: ‚Qui iussa Apost. Sedis licenter transgressus fuerit, infamis efficitur.' *Stephanus:* ‚Infames eas personas dicimus, quae statuta eccles. contemnunt.' — *Gregorius:* ‚Sit alienus a divinis et pontificalibus officiis, qui nolit praeceptis obedire apostolicis.' *Agatho* in Syn. VI: ‚Sic omnes Apost. Sedis sanctiones accipiendae sunt, tamquam ipsius divini Petri voce firmatae.' — *Ambrosius* super Lucam: ‚Tollit Petrus aurem. Quare Petrus? quia ipse est, qui claves regni coelorum accepit, et ligandi et solvendi adeptus est potestatem. Tollit aurem male audientis, tollit gladio spirituali aurem interiorem male intelligentis. Caveamus ne cui tollatur auricula.' —

535. *In collect. Canonum.* Beatissimo atque apostolico viro Pontifici domno papae Victori III. Novit Beatitudo vestra, quod S. Romana Ecclesia idcirco omnium Ecclesiarum mater scribitur et creditur, quoniam beatus Petrus ipsius institutor prius patriarchalibus sedibus in Oriente etc. *ut in superiori opere.* — Cuius tam excellentissimi privilegii insignia munera diligenter attendentes 318 patres, qui in Nicaeno consederunt Concilio, statuerunt (ut Athanasius Eppus Alexandrinus scribit beato Felici Papae) *non debere absque Romani Pontificis sententia Concilia celebrari, nec Episcopos damnari, et omnia maiora negotia ad eiusdem iudicium debere deferri.* Sed et Sardicense Concilium, quod 300 Eppos habuit teste universali synodo, quae a suis conditoribus octava dicitur, cap. 3. et 4. 6. et 9. eadem statuit, et ita inter cetera beato Papae Iulio scripsit: ‚Optimum et valde congruentissimum esse videbitur, si ad Caput, id est, ad beati Petri Sedem de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes.' Huic etiam ante illam Synodum tantum reverentiae ab antiquis patribus legitur impensum fuisse, ut ille insignis martyr Cyprianus, Africanae provinciae primas, legatur in suis

epistolis, presbyterorum et diaconorum Romanam Ecclesiam post martyrium Fabiani gubernantium statutis humiliter paruisse, et eorum, quae apud suam provinciam gerebantur, directis ad eos epistolis rationem reddidisse. Quin etiam idem Clerus legitur in epistolis ad eundem Cyprianum missis et ad Siciliam et ad diversas partes epistolas direxisse, et nondum praesidente Cornelio pro imminentibus tunc negotiis etiam ad celebrandam Romae synodum Eppos convocasse. Quae cum ita sint, satis impium videtur, quemlibet, qui christiano nomine glorietur, christianis temporibus Romanae Ecclesiae monitis non acquiescere, cum sub persecutionis crudelitate Deo digni Pontifices tam devote paruerint, etiam dum careret Pontifice. Arbitrati quippe sunt patres Spiritu Dei pleni, beatos apostolos Petrum et Paulum in ea magnificis meritis vivere et praeesse, fidemque, quam ab eisdem suscepit, quae in toto mundo, eodem b. Paulo attestante, annunciata est et laudata, in eadem usque in secula non deficere, sed, ut eidem b. Petro imperatum fuerat, usquequaque positos fratres in eadem fide confirmare. Haec etsi interdum adversis mundi flatibus opprimitur, meritis tamen principum Apostolorum, qui in ea et vivunt et praesident, non obruitur. Quoniam etsi aliquando ad probationem portae inferi adversus eam valent, tamen Iesu Domino orante pro fide Petri ne deficiat, nullatenus praevalent. Itaque ego auctoritatis ipsius privilegium, quo omni christiano orbi praeeminet, ignorantibus patefacere cupiens, Domino mihi opem ferente, ex variis SS. Patrum et christianorum Principum auctoritatibus, potioribus quibusque in unum congestis, praesens defloravi opusculum quadrifaria dispertitum partitione. Nam primus liber continet privilegium auctoritatis eiusdem Romanae Ecclesiae. — Huic subiunxi secundum et tertium de clero et rebus eiusdem Ecclesiae. Quia vero seculi potestas Dei Ecclesiam sibi subiugare nititur, libertas ipsius et cleri et rerum eius tertio et maxime quarto libro evidenter ostenditur. — **Maii** *Nova PP. Bibl.* T. VII. part. 3. p. 77. et **Migne** *Patr. Lat.* t. 150. p. 1565.

536.

Urbanus II. PP. Eppis Galliae de potestate suprema Sedis Apostolicae in universa Ecclesia, 1099.

MON. Auditum est apud nos, quosdam confratres nostros in tantam audaciam prorupisse, ut asserant se nequaquam a Regis societate abstenturos, imo etiam regem ipsum ab excommunicationis vinculo soluturos, quamquam feminam illam, pro qua per nos excommunicatus fuerat, non dereliquit. Sed qui hoc loquuntur, aut profecto Scripturas nesciunt, aut pertinaciter excedere nequaquam pertimescunt. Sanctorum quippe canonum sanxit auctoritas, et ea passim Ecclesiae consvetudo servat, ut a quolibet iuste excommunicatum Eppus alius absolvere non praesumat. Ipsa etiam suffraganeorum ligamenta Metropolitani, qui videlicet eorum maiores sunt, ss. patrum institutionibus prohibentur absolvere. Quodsi a quibuscunque id servatur Eppis, *videant venerabiles fratres nostri, quemadmodum Apost. Sedis valeant acta dissolvere: cum profecto luce iam clarius constet, Ap. Sedis Pontifici non solum Eppos et Primates, sed ipsos etiam Patriarchas divina institutione subiectos, cum noverint, ab omnibus ad ipsum, ab ipso autem ad neminem appellandum; cum sciant, ei soli fas esse de omni Ecclesia iudicandi, ipsum vero nullorum subiacere iudicio; nec eos illud credimus ignorare, quod sola, nulla synodo praecedente, Sedes Apostolica valeat suo statui restituere, quos synodus inique damnaverit, ipsius vero nemini liceat retrahere iudicia.* — Sed neque illud ven. fratribus arbitramur ignotum, quia Deus superbis resistit, prope est autem obtritis corde. Super quem enim respiciam, ait Dominus, nisi super humilem, et quietum, et trementem verba mea? Viderint ergo, quo pacto peccatorem conentur absolvere praeter illius vel praesentiam vel praeceptum, cuius est iudicio in generali synodo compeditus. *Nobis* sane *et omnibus, qui Turonis nobiscum Deo propitiante convenerunt, liquido patuit, et legis et evangelii et ss. canonum documentis, nullam solvendi, quem nos*

ligavimus, fraternitati vestrae suppetere potestatem. Unde et filium nostrum Francorum regem, donec Deo in nobis et S. Romanae Ecclesiae satisfaciat, excommunicatum, et tam Eppos quam alios quoslibet ei pertinaciter communicantes excommunicatos esse sancimus et privilegium potestatis amittere, si quis in eius absolutione inconcessa abuti praesumserit potestate. — **Bullarium** *edit. Taurin. II.* 202.

537.

Argumenta pro Primatu Romani Pontificis ex ‚Tractatu de Primatu Romanae Ecclesiae' Sec. XI. vel XII. elucubrato, atque in collectionibus Conciliorum passim occurrente.

MON. Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sangvinem et sangvinem, et causam et causam, et iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad iudicem qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem, et facies quodcunque dixerint, qui praesunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te iuxta legem eius: sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, et auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. Deuteron. XVII. — *(Post hunc prologum sequuntur decreta: Anacleti, Zephyrini, Callisti, Fabiani, Sixti, Sylvestri, Gelasii, Symmachi, Vigilii, Gregorii, Nicolai RR. Pontificum, item Cypriani sententia pro suprema Sedis Apostolicae auctoritate, quae iam suis locis a nobis adducta sunt.)* — (Tractatus hic e MSS. Cod. Vatic. 3832. Moguntiae 1525. typis vulgatus fuit.)

SECULUM DUODECIMUM.

538—542.

Anselmus Cantuariensis, A. 1109. mortuus, luculentas facit in suis libris de Ecclesia Romana tamquam suprema rectrice Ecclesiae totius professiones.

538. MON. *Lib. de fide Trinit. et de Incarn. Verbi.* In Praefatione, Urbanum II. Papam, cui opus suum dedicat, sic alloquitur: Quoniam divina providentia vestram elegit sanctitatem, *cui vitam et fidem christianam custodiendam, et Ecclesiam suam regendam committeret: ad nullum alium rectius refertur, si quid contra catholicam fidem oritur in Ecclesia, ut eius auctoritate corrigatur;* nec ulli alii tutius, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut eius prudentia examinetur. Quapropter sicut nulli dignius possum, ita nulli libentius praesentem epistolam quam vestrae destino sapientiae: quatenus siquid in ea corrigendum est, vestra censura castigetur, et quod regulam veritatis tenet, vestra auctoritate roboretur. —

539. *Epist. 40. ad Paschalem PP.* Quod ad vestram celsitudinem tantum moratus sum nuntium mittere, postquam de certa notitia vestrae sublimationis Deo gratias agentes gavisi sumus, haec fuit causa — ut scirem quid vobis de regis voluntate notificare possem. — Videbam in Anglia multa mala, quorum ad me pertinebat correctio, quae nec corrigere, nec sine peccato meo tolerare poteram. Exigebat enim a me rex, ut voluntatibus suis, *quae contra legem et voluntatem Dei erant*, sub nomine rectitudinis assensum praeberem. Nam sine sua iussione Apostolicum nolebat recipi, aut appellari in Anglia, nec ut epistolam ei mitterem, aut ab eo missam reciperem, vel decretis eius obedirem. — Haec et multa alia, quae contra voluntatem

et legem Dei sunt, videns, petii licentiam ab eo adeundi sedem Apostolicam, ut inde consilium de anima mea et de officio mihi iniuncto acciperem. Respondit rex, me in se peccasse pro sola postulatione huius licentiae, et proposuit mihi, ut aut de hac re sicut de culpa satisfacerem, et securum illum redderem ne amplius peterem hanc licentiam, nec aliquando Apostolicum appellarem, aut de terra eius cito exirem. Elegi potius exire, quam *nefandae rei consentire.* — Precor igitur et obsecro quanto possum affectu, ut nullo modo me in Angliam redire iubeatis, nisi ita, *ut legem et voluntatem Dei et decreta apostolica voluntati hominis liceat mihi praeferre*: et nisi rex terras Ecclesiae mihi reddiderit, et quidquid de archiepíscopatu propter hoc, quia sedem apostolicam petii, accepit. — Aliter enim ostenderem, me hominem Deo debere praeponere, et iuste spoliatum esse, quia Sedem apostolicam volui requirere. Quod satis patet, quam noxium exemplum sit posteris, et execrabile. —

540. *Ep. 47. ad eundem.* Postquam revocatus ad eppatum redii in Angliam, ostendi decreta apostolica, quae in Romano Concilio praesens audivi: de qua re dominus meus rex vestram requisivit sanctitatem per legatum suum, et ego per epistolam meam vestrum inquisivi, secundum quod rem cognosceretis, consilium. Regi per literas vestras respondistis, mihi vero minime; — ego nostros mitto legatos responsi vestri mihi relaturos sententiam. — *Sicut enim non pertinet ad me absolvere quod ligatis, ita non est meum ligare quod absolvitis.*

541. *Ep. 152. ad eundem.* Quoniam *fortitudo et directio Ecclesiarum Dei maxime post Deum pendet ex auctoritate paternitatis vestrae,* quando ratio exigit, ad eius libenter recurrimus auxilium et consilium. *(Sequuntur preces pro tuendo primatu Ecclesiae Cantuariensis contra Eboracensem AEppum.)*

542. *Ep. ad Robertum Comitem Flandriae.* Audivi quia quosdam de vestris abbatibus concessistis regulari electione ordinari, ut investituram de manu vestra non acciperent. Unde gratias ago Deo, cuius gratia cor vestrum ad hoc, quod sibi placet, direxerit, et gaudeo pro vobis, quia eccles. institutis ad christianae religionis profectum valentibus sine contradictione favetis. Cum enim hoc facitis, non homini, sed Deo obeditis, et vos verum et fidelem filium Ecclesiae Dei et verum christianum ostenditis, et vos esse de ovibus beato *Petro* apostolo commen-

datis, *cui Deus claves dedit regni coelorum,* monstratis. *Certum* quippe *est, quoniam qui non obedit Romani Pontificis ordinationibus, quae fiunt propter Religionis Christianae custodiam, inobediens est apostolo Petro, cuius vicarius est, nec est de grege illo, qui ei a Deo commissus est.* Quaerat igitur ille alias regni coelorum portas, quia per illas non intrabit, quarum claves Petrus apostolus portat. Gaudens itaque gratias ago vobis, et oro, ut Deus retribuat vobis, quia bonum exemplum aliis principibus datis, etc. **Migne** *Patr. Lat.* t. 158. —

543—546.

Ivo Carnotensis, A. 1115. mortuus, tam in ‚Decreto' suo attributa Primatus diligenter complectitur, quam in literis ad Paschalem PP. enunciat: iudicia Romanae Ecclesiae a nemine foris retractari posse.

543. MON. *Decreti* Ivonis pars quinta fere tota versatur in collectione canonum de Primatu Romanae Ecclesiae. Signanter sequentia attributa auctoritatis supremae Rom. Pontificis evolvit Ivo:

Cap. 8. non posse primam sedem a quoquam iudicari, *ex Nicolai I PP. rescripto ad Michaelem Imper.;*

Cap. 15. in potestate R. Pontificis esse, iniuste damnatos vel excommunicatos absolvere ac dignitati restituere, *ex Anastasii Patr. epistola ad Felicem I PP.;*

Cap. 19. iudicium Papae a nemine retractari posse, *ex Nicolai I PP. ep. ad Mich. Imp.;*

Cap. 23. nulli mortalium praesumendum esse, Romanum Pontificem redarguere, *ex Bonifacio Eppo et Martyre ac legato Sedis Ap.;*

Cap. 29. Epporum sententias auctoritate Sedis Apostolicae roborare debere, *ex Conc. Carthagin. 6.;*

Cap. 37. Constitutiones contra decreta Pontificum nullius esse momenti, *ex Hilario PP. in Syn. Rom.;*

Cap. 40. Sedem beati Petri Romanam caput esse omnium

Ecclesiarum, omnesque eius decretis assentiri debere, *ex Hadriano PP.;*

Cap. 44. sicut cardine totum regitur ostium, ita a Petro eiusque successoribus totius Ecclesiae disponi emolumentum, *ex Leone IX PP.;*

Part. VI. cap. 305. nomen Papae in Ecclesiis recitandum esse, *ex Conc. Vasensi II.;* etc. (cuiusmodi canones ac sententias suis locis omnes per extensum exhibuimus.)

544. *Panormiae* Ivonis liber quartus pariter plenus est decretorum de primatu Romanae Ecclesiae. Signanter

Cap. 2. non ab apostolis, sed ab ipso Domino accepisse primatum Romanam Ecclesiam, *ex Anacleto PP.;*

Cap. 3. primatum Romanum non a Synodo quapiam, sed a Christo Domino institutum haberi, *ex Gelasio I PP.;*

Cap. 9. primam Sedem a nemine iudicari, *ex Symmacho PP.;*

Cap. 10. ss. nemini esse permissum de eo, quod Papa statuit, iudicare, aut illius sententiam retractare, *ex Nicolao I PP.* (Haec decreta similiter proposuimus suis locis.)

545. *Epist. 103. ad Paschalem PP.* Filius vester et confrater noster Silvanectensis Eppus pro Romana Ecclesia contra Romanam Ecclesiam absque audientia et iudicio de propria sede pulsus — quamvis hoc anno redierit a Sede Apostolica munitus literis apostolicis, tamen nec apud Regem tribulationis suae aliquod invenit remedium, nec apud Metropolitanum suum paternum suffragium, nec apud comprovinciales suos fraternum solatium. — Condolens itaque non tantum eius miseriae, quantum ingemiscens apostolicae Sedis iniuriae, — supplicando moneo et monendo supplico, ut tam pro vestra quam pro destituti filii iniuria iam non desistatis arcum intendere, sed cervici eorum, qui contemtores extiterunt praeceptorum apostolicorum, nitamini gladium fortiter imprimere. — Sicut *Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum mater est et magistra,* sic eam decet filiorum iniurias propulsare, et contemtorum inobedientiam vindicare, ut et filius fuisse se subditum gaudeat, et contemtores inobedientes se fuisse poeniteant. —

546. *Ep. 159. ad eundem.* Quoniam *iudicia Romanae Ecclesiae a nemine foris retractari posse,* eadem Romana Ecclesia docente didicimus: (c. Patet; c. Nemo; c. Ipsi; c. Cuncta; caus. 9. qu. 3.) si qui aliquando se praegravatos ipsius Ecclesiae au-

ctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Aegyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugiant, et inde expetant levamen, unde se conqueruntur accepisse gravamen, quia quae aliquando corripit paterna severitate, eadem frequenter colligit materna pietate. Quod ideo praelibavimus beatitudini vestrae, ut causam Fossatensium monachorum patienter audiatis, et quantum salva apostolica reverentia fieri potest, anxietatem eorum misericorditer relevetis. Conqueruntur enim se in Concilio Turonensi fuisse praegravatos, quoniam ad suggestionem Comitis Andegavensis dicunt fuisse subreptum D. Urbano Papae, ut monasterium S. Mauri situm in patria Andegavensi, quod sub iure Fossatensis monasterii antea per 300 aut eo amplius annos extiterat, de eiusdem monasterii iure auferret, et ordinato ibi abbate liberum esse constitueret. — Adhibitis ergo multorum intercessionibus supplicant praedicti monachi, ut eorum negotium a maiestate vestra legitima discussione retractetur, et vel misericordia flectente, vel iustitia dictante terminetur. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 161. s.

547—563.

Paschalis II PP. A. 1099—1118. magnus iurium Sanctae suae Sedis defensor.

INTR. Quae Paschalis II. Papa pro tuitione Primatialis suae potestatis egit, prorsus conspicua sunt. In eorum censum veniunt primo literae ad Praesules Galliae et Angliae adversus illos, qui Apost. Sedis decreta spernunt; tum epistolae a pluribus Praesulibus, etiam conciliariter congregatis, ad Papam scriptae, luculentamve supremae Pontificiae auctoritatis confessionem exprimentes; demum ea, quae in obiecto controversiae de Investituris acta fuerant: qualiter videlicet Paschalis ius Investiturarum Imperatori primo tribuerit, sed mox velut ab se violenter extortum retractaverit. Memorabilis quoque est ex Paschalis Pontificatu epistola de Pallio AEppali et iuramento fidelitatis ad quemdam AEppum dimissa, et quemadmodum significationem Pallii, ita necessitatem iuramenti

evolvens. De inscriptione huius epistolae plura diximus in opere nostro De Primatu R. P. Ed. 2. Agriae. 1841. p. 450. ss.

547. MON. *Ivoni Carnotensi et Rannulpho Santonensi Eppis. A. 1100.* Iuxta ss. canonum sanctiones non ignotum vobis esse credimus, quid ultionis maneat ecclesiastici ordinis viros *Apostolicae Sedis decreta spernentes.* Ipsi enim Arvernensi Concilio adfuistis, in quo praesidente praedecessore nostro bonae memoriae Papa Urbano, considentibus Galliarum Eppis, decretum est: ut altaria, quae ab annis 30 et sub vicariorum redemtione Monasteria possedisse noscuntur, quiete deinceps et sine molestia qualibet monasteriis ipsis firma permaneant. Vos autem huic simplicitati incongruas duplicitates innectitis, et personarum redemtionem mutatis nominibus extorquere conamini. Verum oportet nos huiusmodi versutiis sinceritate veritatis apostolicae obviare. Praecipimus ergo, ut decretum illud omnino teneatur integre, nec super illud quidquam ulterius pro eisdem altaribus exigatis. Sane quod vobis dicimus, ceteris quoque Galliarum Eppis erga suarum dioecesum monasteria praecipimus observandum.

548. *Anselmo Cantuariensi, a. 1102.* Non ignoras divinae voluntatis consilium, ut religio tua in Anglici regni regione praesideat. Cum enim perversi Regis (Guilelmi Rufi) odio declinans secessum elegisses, et procul ab Anglicis tumultibus tecum habitans Deo viveres, de perverso rege sua omnipotens Dominus iudicia terribiliter perpetravit, te autem totius populi postulatione vehementi, et novi regis (Henrici I) devotione mirabili ad cathedram, quam pro Deo dimiseras, revocavit. Deo autem gratias, quia in te semper eppalis auctoritas perseverat, et inter barbaros positus non tyrannorum violentia, non potentum gratia, non incensione ignis, non effusione manus, a veritatis annunciatione desistis. Rogamus itaque, ut quod agis agas, quod loqueris loquaris. Non enim deficiet sermonum nostrorum operumque principium, qui in principio erat Verbum, nec nos in ipso deficiemus, qui est Dei virtus et Dei sapientia. — Nuper in synodo apud Lateranense consistorium celebrata patrum nostrorum decreta renovavimus, sancientes et interdicentes, ne quis omnino clericus hominium faciat laico, aut de manu laici ecclesias aut eccles. bona suscipiat. Hoc est enim si-

moniacae pravitatis radix, dum ad percipiendos honores Ecclesiae secularibus personis insipientes homines placere desiderant. Idcirco s. conciliorum reverenda maiestas secularium principum potestatem ab eccles. electionibus decrevit arcendam, ut sicut per solum Christum prima in baptismo ianua, ultima in morte vitae aperitur aeternae, ita per solum Christum ovilis Christi ostiarius statuatur, per quem Christi ovibus non pro mercedibus ovium, sed pro Christo ingressus et egressus ad vitam procuretur aeternam. Haec, frater carissime, prolixiore possent et oratione et ratione tractari, sed sapientiae tuae pauca suggessisse satis est, quae et orationibus abundat, et ecclesiasticis est rationibus assveta. —

549. *Ivoni Eppo et Canonicis Carnotensibus, a. 1102.* Audivimus in regionum vestrarum ecclesiis quasdam pravas consvetudines emersisse, et in ecclesia vestra praecipue vigere, super haec etiam quaedam contra canonum statuta praesumi. Nos vero ss. patrum statuta sequentes, et ab omnibus ea intemerata servari volentes, easdem consvetudines penitus abdicamus, et S. Spiritus auctoritate prohibemus, ut pro praebendis vel eccles. beneficiis munus aliquod exigatur. Praecipimus etiam, ut clerici, qui negotia eccl. ad seculares potestates deferentes ecclesiam gravant, infames habeantur, donec condigne satisfaciant, etc. —

550. *Henrico Regi Anglorum, a. 1115.* Cum de manu Domini largius honorem, divitias, pacemque susceperis, miramur vehementius et gravamur, quod in regno potestateque tua beatus Petrus et in beato Petro Dominus honorem suum iustitiamque perdiderit. Sedis enim apostolicae nuntii vel literae praeter iussum regiae maiestatis nullam in potestate tua susceptionem aut aditum promerentur. Nullus inde clamor, nullum inde iudicium ad Sedem Apost. destinatur. Quamobrem multae apud vos ordinationes illicitae praesumuntur, et licenter delinquunt, qui delictorum deberent licentiam cohibere. Nos tamen usque adhuc in his omnibus ampliori patientia usi sumus, sperantes per tuae probitatis industriam omnia corrigenda. Quid enim honoris, quid opulentiae, quid tibi dignitatis imminuitur, cum beato Petro debita in regno tuo reverentia conservatur? Haec nimirum tanto nobis indigniora sunt, quanto familiarius regnum vestrum veterum regum temporibus Sedi Apostolicae adhaesisse cogno-

scimus. Legimus quippe Reges ipsos apostolorum limina visitasse, et illic usque ad obitum commoratos. Legimus nonnullos ecclesiarum praepositos et magistros ultro illuc a Romanis Pontificibus destinatos. Pro his igitur apud vos pertractandis et corrigendis cariss. filium Anselmum familiarem tuum nunc S. Sabae abbatem ad tuam excellentiam destinavimus. —

551. *Eidem et Eppis Angliae.* Qualiter Ecclesia Dei fundata sit, non est a nobis nunc temporis disserendum. Hoc enim plenius Evangelii textus et apostolorum literae profitentur. Qualiter vero Ecclesiae status praestante Domino perseveret, et referendum nobis est et agendum. A sancto siquidem Spiritu Ecclesiae dictum est : ‚Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.‘ Super qua constitutione Paulus apost. praecipit, dicens : ‚Manum cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.‘ Quam eiusdem apostoli sententiam beatus Leo doctor exponens, ait : ‚Quid est cito manum imponere, nisi ante aetatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinae, sacerdotalem honorem tribuere non probatis?‘ Qua igitur ratione Angliae regni eppis sacerdotalis honoris confirmationem tribuere possumus, quorum vitam, quorum scientiam nulla probatione cognoscimus? Ipse caput Ecclesiae D. I. C. cum pastori primo apostolo Petro Ecclesiam commendaret, dixit : Pasce oves meas, pasce agnos meos. Oves quippe in Ecclesia Ecclesiarum praepositi sunt, qui Deo filios generare ipso donante consveverunt. Quomodo ergo vel agnos, vel oves pascere possumus, quos neque novimus, neque vidimus, quos neque audimus, neque ab ipsis audimur? Quomodo super eos illud Domini praeceptum implebimus, quo Petrum instruit, dicens : Confirma fratres tuos? Universum siquidem terrarum orbem Dominus et magister noster suis discipulis dispertivit, sed Europae fines Petro singulariter commisit et Paulo. Nec per eorum tantum, sed per successorum discipulos ac legatos Europae universitas conversa est et confirmata. Unde usque ad nos, licet indignos eorum vicarios, haec consvetudo pervenit, *ut per nostrae Sedis vicarios graviora Ecclesiarum per provincias negotia pertractarentur seu retractarentur. Vos autem inconsultis nobis, etiam Epporum negotia definitis; — vos oppressis apostolicae sedis appellationem subtrahitis,* cum ss. patrum conciliis decretisque san-

citum sit, ab omnibus oppressis ad Romanam Ecclesiam appellandum. *Vos praeter conscientiam nostram decreta synodalia celebratis*, cum S. Athanasius Alexandricae Ecclesiae scribat: ‚Scimus in Nicaena magna synodo 318 Epporum ab omnibus concorditer esse corroboratum, non debere absque Romani Pontificis scientia concilia celebrari;' quod ipsum scriptis suis sancti pontifices firmaverunt, et aliter acta concilia irrita statuerunt. — *Vos praeter auctoritatem nostram Epporum quoque mutationes praesumitis*, quod sine sacrosanctae Romanae Sedis auctoritate ac licentia fieri novimus omnino prohibitum. Si ergo in his omnibus apost. sedi dignitatem ac reverentiam servare consentitis, nos vobis ut fratribus et filiis caritatem debitam conservamus, et quae vobis ab apostolica Ecclesia concedenda sunt, benigne et dulciter Domino praestante concedimus. Si vero adhuc in vestra decernitis obstinacia permanere, nos iuxta evangelicum dictum et apostolicum exemplum pedum in vos pulverem excutiemus, et tamquam ab Ecclesia Catholica resilientes divino iudicio trademus, dicente Domino: Qui non colligit mecum, dispergit, et qui non est mecum, adversum me est. —

552. *Otto Eppus Bambergensis Papae Paschali, a. 1111.* Quia *totius ecclesiasticae dignitatis ac religionis firmamentum in Christo petra est, et in Petro eius discipulo, et eius successoribus:* idcirco ab hac linea, ab hac virga directionis, virga regnorum, pontificatuum et omnium potestatum in Ecclesia insanum duxi aberrare. Vobis igitur, pater sanctissime, et sanctae matri nostrae Romanae Ecclesiae collum devote submittens, auxilium et consilium de rebus meis flagito. In obsequio enim domini mei imperatoris per annos aliquot degens, et gratiam in oculis eius inveniens, suspectam habens in manu principis investituram, semel et iterum, cum dare vellet, renui eppatum. Nunc vero iam tertio in Bambergensi eppatu me ordinavit: in quo tamen minime permanebo, nisi vestrae permaneat sanctitati per vos me investire et consecrare. —

553. *Concilii Viennensis synodica ad Papam pro actorum confirmatione, A. 1112.* Sanctae paternitatis vestrae mandata sequentes, apud Viennam convenimus, ibique cooperante gratia Spiritus S. de investituris, de captione vestra et vestrorum, de periuriis regiis, de pessimo illo pacto et privilegio, quod a vestra maiestate violenter extorsit, tractare diligenter curavimus.

Adfuerunt legati regis, literas bullatas, quasi de parte vestra ad eum missas, audacter praetendentes, in quibus erga eum vester bonus affectus pacis et concordiae et perfectae amicitiae significabatur. Quas nimirum post Concilium, quod in praeterita ultima quadragesima Romae celebrastis, se recepisse et sibi missas idem rex testabatur. Cumque super his multa nobis incuteretur admiratio, memores tamen literarum illarum, quas humilitati nostrae, illarum etiam, quas Gerardo Engolismensi Eppo et vestrae Sedis legato de bona iustitiae perseverantia miseratis, totius S. Ecclesiae et nostrae fidei ruinam evitare cupientes ad Dei honorem et vestrum animati canonicam viam adgressi sumus. Igitur dictante S. Spiritu, *investituram omnem rei ecclesiasticae de manu laica haeresim esse iudicavimus. Scriptum illud, quod Rex a vestra simplicitate extorsit, damnavimus. In ipsum etiam regem nominatim et solemniter et unanimiter sententiam anathematis iniecimus.* Et nunc, domne Pater, vestram, sicut dignum est, maiestatem suppliciter exoramus, ut quod pro S. Ecclesiae fidei robore, pro Dei et vestro honore fecimus, *auctoritate apostolica solemniter confirmetis.* Cuius confirmationis argumentum per apertas nobis literas significare dignemini, quas etiam, ut gaudium nostrum sit plenum, alter alteri destinare possimus. Et quoniam principum terrae pars maxima, et universi fere populi multitudo in hac re nobiscum sentit, in remissionem peccatorum suorum omnibus iniungatis, ut, si necesse fuerit, auxilium nobis et patriae unanimiter ferant. Illud etiam cum debita reverentia vestrae suggerimus pietati, quod si nobiscum in his steteritis, si hoc, sicut rogamus, confirmaveritis, si deinceps ab ipsius crudelissimi tyranni et nuntiorum eius literis, locutione, muneribus abstinueritis, unanimiter nos, sicut decet, habebitis filios et fideles. Si vero quod minime credimus, aliam viam adgredi coeperitis, et vestrae paternitatis assertiones praedictas roborare nolueritis, propitius sit nobis Deus, quia nos a vestra subiectione et obedientia repelletis. —

Pro uberiore eorum, quae in literis synodi Viennensis continentur, intellectu congruum censuimus, acta memorabilia de extorto per Henricum Imperatorem a Paschale Papa privilegio investiturali, item de eodem privilegio per ipsummet Papam mox retractato, subnectere:

554. a) *Anni 1111 mense Februario* dimisit Paschalis Papa

ad Imper. Henricum literas *contra investituras*, quas in *Monumentis nostris Catholicis* Tom. I. p. 72. per extensum exhibuimus.

555. b) *Paschalis PP. Henrico Imp. tribuit privilegium de investituris, 12. April. 1111.* Regnum vestrum S. Romanae Ecclesiae singulariter cohaerere dispositio divina constituit. Praedecessores vestri probitatis et prudentiae amplioris gratia Romanae urbis coronam et imperium consecuti sunt. Ad cuius videlicet coronae et imperii dignitatem tuam quoque personam, fili carissime, per nostri sacerdotii ministerium maiestas divina provexit. Illam igitur dignitatis praerogativam, quam praedecessores nostri tuis catholicis imperatoribus concesserunt, et privilegiorum paginis confirmaverunt, nos quoque dilectioni tuae concedimus, et praesentis privilegii pagina confirmamus: *ut regni tui episcopis vel abbatibus libere praeter simoniam et violentiam electis investituram virgae et annuli conferas.* Post investitionem vero, canonicam consecrationem accipiant ab eppo, ad quem pertinuerint. Si quis autem a clero et populo praeter tuum assensum electus fuerit, nisi a te investiatur, a nemine consecretur. Sane eppi et archieppi libertatem habeant, a te investitos eppos vel abbates canonice consecrandi. Praedecessores enim vestri ecclesias regni sui tantis regalium suorum beneficiis ampliarunt, ut regnum ipsum maxime epporum praesidiis vel abbatum oporteat communiri, populares dissensiones, quae in electionibus saepe contingunt, regali oporteat maiestate compesci. Quamobrem prudentiae et potestatis tuae cura debet sollicitius imminere, ut Romanae Ecclesiae magnitudo, et ceterarum salus praestante Domino beneficiis potioribus conservetur. Si qua igitur ecclesiastica secularisve persona hanc nostrae concessionis paginam sciens contra eam temerario ausu venire tentaverit, anathematis vinculo, nisi resipuerit, innodetur, honorisque ac dignitatis periculum patiatur. Observantes autem misericordia divina custodiat, et personam potestatemque tuam ad honorem et gloriam suam feliciter imperare concedat. —

556. c) *Idem Tusculano et Vercellensi Eppis promittit: concessionem praeviam investiturarum se cassaturum, mense Iulio 1111.* Id, quod in personam nostram, imo in patrem vestrum praeter ipsius Ecclesiae iudicium atque praesentiam vos egistis, etsi vobis ex Dei zelo visum sit, non tamen, ut mihi vi-

detur, canonico tramite incessistis. — Quocunque tamen modo factum sit, nos tamen confisi de misericordia divina, pro animae nostrae salute cogitamus, et *commissum, quod pro fratribus atque filiis, pro excidio urbis et universae provinciae fecimus, emendare curabimus, ut quod terreni, in me quoque correxisse ostendatur Ecclesiae.* —

557. d) *Eppo Viennensi declarat: irrita a se censeri ea, quae Henrico Imp. concessit, 1111.* — Quae cognoscere postulasti, haec sunt: Scripta, quae in tentoriis, in quibus cum multitudine clericorum et civium urbis et totius provinciae custodiebamur, pro libertate Ecclesiae et pro absolutione captivorum omnium, et pro excidio, quod Ecclesiae, urbi et universae provinciae superincumbente undique gladio imminere videbatur, de electione seu de investituris personarum facta sunt, videlicet ut electione libera facta sine vi et simonia, consensu regis, facultatem habeat rex investiendi per virgam et annulum, et electus a clero et populo non consecretur, nisi a rege investiatur: *ego canonica censura cassa omnino et irrita iudico,* et sub damnatione perpetua permanere decerno, ut nullius unquam auctoritatis sint, et nullius bonae memoriae. Ea vero, quae sacri apostolorum canones, et Antiochenum ac universa Concilia, et praedecessores nostri, et praecipue felicis memoriae Gregorius et Urbanus de his prohibuerunt, damnaverunt, statuerunt et firmaverunt, ego prohibeo, damno, constituo et confirmo, et me illorum sanctiones profiteor servaturum.

558. e) *Ex epistola 233. Ivonis Carnotensis constat: hoc ipsum Ivoni, quod Viennensi, Papam declarasse.* De investituris Ecclesiarum, quas laici faciunt, sententiam praecedentium Patrum Gregorii et Urbani, quantum in me est, laudo atque confirmo. Quocunque autem nomine talis pervasio proprie vocetur, eorum sententiam, qui investituras laicorum defendere volunt, *schismaticam* iudico. *Nec ista contra domnum Papam* (Paschalem) *dico, quia quibusdam literis mihi scripsit: se coactum fecisse quod fecit, et adhuc se prohibere quod prohibuit, quamvis quaedam nefanda quibusdam nefandis scripta permiserit.* *) Et quia verenda patris debemus potius velare quam nudare, fami-

*) Nec literae Paschalis PP. ad Ivonem, quas Ivo hic memorat, nec illae ad Gerardum Engolismensem, ad quas Conc. Viennense provocat, extant.

liaribus et caritatem redolentibus literis admonendus mihi videtur, *ut se iudicet, aut factum suum retractet.* Quod si fecerit, referamus Deo gratias, et gaudeat nobiscum omnis Ecclesia, quae graviter langvet, dum Caput eius laborat tanta debilitatum molestia. Si autem in hoc langvore insanabiliter aegrotaverit, *non est nostrum iudicare de summo Pontifice.* Habemus enim evangelicam sententiam, quae securos hos facit: ‚Super cathedram Moysis etc.' Vult enim haec sententia, praecepta praesidentium ad cathedram pertinentia obedienter impleri, etiamsi tales sint, quales erant Pharisaei, non eos factiosa conspiratione a suis sedibus removeri. Si vero ea praecipiant, quae sint contra doctrinam evangelicam vel apostolicam, ibi eis non esse obediendum exemplo docemur Pauli apostoli, qui Petro sibi praelato non recte incedenti ad veritatem Evangelii in faciem restitit, non tamen eum abiecit. Ubi enim succumbunt humana iudicia, divina est expetenda misericordia, quatenus insitorum conservata pace ramorum et ipsi, qui praecisi sunt, unitati Ecclesiae studeant reformari, et insitorum ramorum societate laetari. —

559. f) *Idem Ivo Carnotensis de eodem obiecto in literis ad AEppos Lugdunensem, et Senonensem. 1. Ad Lugdunensem.* Iure primatus vestri invitastis nos ad Concilium apud Ansam celebrandum, in quo tractare disposuistis de fide et investituris laicorum, ad quod venire minime contemnimus, sed terminos, quos posuerunt patres nostri, terminos antiquos transgredi formidamus. Nusquam enim reverenda patrum sanxit auctoritas, nusquam hoc servare consvevit antiquitas, ut primae sedis eppus eppos extra provinciam propriam positos invitaret ad concilium, *nisi hoc aut Apostolica Sedes imperaret,* aut una de provincialibus ecclesiis pro causis, quas intra provinciam terminare non poterat, primae sedis audientiam appellaret. Quod non de corde nostro prophetamus, sed *apostolica auctoritate muniti irrefragabilibus sententiis approbamus.* — Praeterea quia in hoc concilio de investituris laicorum, quas quidam inter haereses computant, tractare disponitis, potius pudenda patris nostri nudabitis, quae publicanda non essent in Geth, nec in compitis Ascalonis, (II Reg. 1.) deridenda exponetis, quam post dorsum ea velando benedictionem paternam vobis acquiratis. *Quod* enim *propter vitandam populi stragem paterne in se admisit summus Pontifex, coegit necessitas, non approbavit voluntas.* Quod inde

constat, quia postquam evasit periculum, sicut ipse quibusdam nostrum scripsit, quod iusserat, iussit, quod prohibuerat, prohibuit, quamvis quibusdam nefandis urgente periculo quaedam nefanda scripta permiserit. Sic Petrus trinam negationem trina confessione purgavit et apostolus mansit. Sic Marcellinus Papa deceptus a profanis coram profano thurificavit, et tamen a fratribus minime iudicatus post paucos dies martyrio coronari promeruit. — Sic doctor gentium, qui in synagogis publice clamabat: ‚Circumcisio nihil est, — propter scandalum Iudaeorum circumcidi permisit Timotheum, ut hac condescensione Iudaeos lucrifaceret. Haec infirma probabili necessitate vel provida dispensatione passi sunt summi et sancti viri, Deo bene utente malis nostris, ut per hoc doceret eos seipsos agnoscere, quatenus discerent infirma sua sibi adscribere, et bona sibi collata ad Dei gratiam referre. — Quodsi Papa adhuc in Theuthonicum Regem debitam severitatem non exercet, credimus quia consulte differt secundum quorumdam doctorum iudicia, qui consulunt quaedam admittenda pericula, ut possint vitari maiora. — *Ad hoc non videtur nobis utile consilium, ad illa concilia convenire, in quibus non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare vel iudicare, quia nec nostro, nec alicuius hominum probantur subiacere iudicio.* Unde nos constat esse immunes, si facta eorum oris gladio ferire formidamus, cum ipse Mediator obedire eis praecipiat, etiamsi tales sint, quales erant Pharisaei, si ea quae ad cathedram pertinent, recta praecipiant, ea vero minime faciant. Ex quibus omnibus hoc constare videtur, quatenus femoralia sacerdotalia pudendis superponamus, ne verecunda nostra deridenda insidiatoribus nostris exponamus, et unde quaerimus reformare Ecclesiae fortitudinem, in maiorem incurramus debilitatem. Haec dicentes non instruimus prudentiam vestram, sed excusamus innocentiam nostram, quia et *principales Ecclesiae claves nolumus potestate sua privare, quaecunque persona vices Petri habeat, nisi manifeste ab evangelica veritate discedat.* Haec dicentes non tollimus, quin possint quique metropolitani episcopos secundum ius antiquum convocare in provincialem synodum, *salva reverentia Romanae Ecclesiae.* — His verbis excusatos nos credimus, quod a laceratione domni Papae lingvas nostras reprimimus, et si quid contra sententiam suam suorumque praedecessorum Gregorii VII et Urbani II de remissis Ger-

manico regi investituris fecisse videtur, filiali caritate excusamus. — Postremo quod quidam investituram *haeresim* vocant, — si investitura haeresis esset, ei renuncians sine vulnere ad eam redire non posset. Videmus autem, in partibus Germaniarum et Galliarum multas honestas personas purgato isto naevo per quamlibet satisfactionem, pastorales virgas reddidisse, et per manum apostolicam refutatas investituras recepisse. Quod summi Pontifices minime fecissent, si in tali investitura haeresim et peccatum in Spiritum S. latere cognovissent. — Si congrua volumus rebus nomina dare, possumus dicere, quod manualis illa investitura per laicos facta alieni iuris est pervasio et sacrilega praesumtio, quae pro libertate Ecclesiae et honestate, salvo pacis vinculo, si fieri potest, funditus abscindenda est. — 2. *Ad Senonensem.* — Dicitis etiam me sedem invasisse Gaufridi Coëppi vestri; in quo manifeste contra *Sedem Apostolicam* caput erigitis dum quod illa aedificat, vos, quantum in vobis est, destruitis, et quod illa destruxit, vos aedificare contenditis. *Huius iudiciis et constitutionibus obviare plane est haereticae pravitatis notam incurrere,* cum Scriptura dicat: haereticum esse constat, qui Romanae Ecclesiae non concordat. —

560. g) *Paschalis PP. Henrico Imp. innuit mense Octobri 1111: privilegium ei concessum ab omnibus impugnari.* In literis, quas a tua dilectione suscepimus, diu te graviter infirmatum fuisse cognovimus, sed sicut nos infirmitatis rumor affecerat, ita rursus sospitatis exhilaravit auditio. — Quod de Eppis conquereris, cor nostrum vehementer angustat. *Ex quo* enim *vobiscum illam, quam nostis, pactionem fecimus, non solum longius positi, sed ipsi etiam, qui circa nos sunt, cervicem adversus nos erexerunt, et intestinis bellis viscera nostra collacerant, et multo faciem nostram rubore perfundunt.* De quibus quia iudicium consequi non possumus, de iudicio relinquimus, ne Dei Ecclesiam gravius perturbemus. —

561. h) *Idem Papa privilegium Henrico datum retractat in Synodo Lateranensi, mense Martio 1112.* „Anno ab incarn. Dom. 1112, indict. 5, anno 13 pontificatus dicti Pontificis, mense Martio XV Calendas Apriles celebratum est Concilium Romae Lateranis in basilica Constantiniana: in quo cum *D. Paschalis Papa* resedisset cum AEppis et Eppis et Cardinalibus (Patr. Venetus, AEppi Beneventanus, Capuanus, Amalfitanus, Regita-

nus, Hidruntinus, Brundisinus, Compsanus, Giruntinus, Rossanus, S. Severinae — cum suis suffraganeis; Card. Sabinensis, Portuensis, Ostiensis, Praenestinus etc.), et Abbatibus, et varia multitudine clericorum et laicorum, ultima die Concilii facta coram omnibus professione catholicae fidei, ne quis de fide ipsius dubitaret, dixit: *Amplector omnem divinam scripturam, scilicet Vet. et Nov. Testamenti, legem a Moyse scriptam, et a S. Prophetis. Amplector IV Evangelia, VII canonicas epistolas, epistolas gloriosi doctoris beati Pauli apostoli, s. canones ss. apostolorum, IV universalia Concilia sicut IV Evangelia: Nicaenum, Ephesinum, CPnum, Chalcedonense, et Antiochenum concilium, et decreta s. patrum, Romanorum Pontificum, et praecipue Domini mei Papae Gregorii VII, et beatae memoriae Papae Urbani II. Quae ipsi laudaverunt, laudo; quae tenuerunt, teneo; quae confirmaverunt, confirmo; quae damnaverunt, damno; quae repulerunt, repello; quae interdixerunt, interdico; quae prohibuerunt, prohibeo; in omnibus et per omnia, et in his semper perseverabo.* Quibus expletis surrexit pro omnibus Girardus Ingolismensis Eppus, Legatus in Aquitania, et communi assensu D. Paschalis Papae totiusque concilii coram omnibus legit hanc scripturam: *Privigelium illud, quod non est privilegium, sed vere debet dici pravilegium, pro liberatione captivorum et ecclesiae a Domino Papa per violentiam Heinrici regis extortum, nos omnes in hoc s. Concilio cum D. Paschali Papa congregati canonica censura et ecclesiastica auctoritate iudicio S. Spiritus damnamus et irritum esse iudicamus, atque omnino cassamus, et ne quid auctoritatis et efficacitatis habeat, penitus excommunicamus. Et hoc ideo damnatum est, quia in eo pravilegio continetur, quod electus canonice a clero et populo a nemine consecretur, nisi prius a rege investiatur: quod est contra Spiritum S. et canonicam institutionem.* Perlecta vero hac charta, acclamatum est ab universo concilio: *Amen, amen, fiat, fiat!* —

562. i) *Papa confirmat acta concilii Viennensis, 20. Oct. 1112.* Cum alicuius morbi detentione caput afficitur, membris omnibus communiter ac summopere laborandum est, ut ab eo penitus expellatur. Fratrum siquidem relatione comperimus, vos in unum convenisse, ac per Dei gratiam Viennae concilium celebrasse. In quo nimirum de augenda religione, de dispositione

ecclesiastica, seu eccles. rerum, et de correctione pravorum hominum adversus S. Ecclesiam insurgentium disseruistis. Unde Deo gratias referimus, et quae statuta sunt ibi, rata suscipimus et confirmamus, et cooperante Domino Deo illibata permanere censemus. —

563. k) *Idem ad AEppum Poloniae de Pallio AEppali et iuramento, quod Papae nuncupandum est.* Significasti, frater carissime, Regem et Regni maiores admiratione permotos, quod Pallium tibi ab apocrisiariis nostris tali conditione oblatum fuerit, si sacramentum, quod a nobis scriptum detulerant, iurares. In Pallio, frater, plenitudo conceditur pontificalis officii; quia iuxta Sedis Apostolicae et totius Ecclesiae consvetudinem ante acceptum pallium Metropolitanis minime licet aut Eppos consecrare, aut Synodum celebrare. Mirentur et in hac causa et Dominum Iesum Christum. Cum enim Dominus I. C. ut omnium ovium suarum curam Simoni Petro committeret, conditionem posuit dicens: Diligis me Simon Petre? pasce oves meas: si conscientiarum factor et conditor conditione hac usus est, nec semel tantum, sed et secundo, et usque ad contristationem: qua nos sollicitudine, qua provisione oportet tantam Ecclesiae praelationem, tantam Christi ovium curam fratribus imponere, quorum conscientias non videmus, illis maxime, quos nullo usu novimus, quorum dilectionem penitus ignoramus? Aiunt, omne iusiurandum a Christo Deo in Evangelio esse prohibitum, nec ab ipsis Apostolis post Dominum, nec in Conciliis inveniri posse statutum. Quid est ergo, quod idem Dominus subsecutus ait: quod amplius est, a malo est? hoc enim amplius ut exigamus, malum nos illo permittente compellit. Nonne malum est, ab Ecclesiae unitate, a Sedis Apost. obedientia resilire? nonne malum est, contra sacrorum canonum statuta prorumpere? quam multi hoc etiam post sacramentum praesumserunt! nonne praedecessor tuus praeter Romani Pontificis conscientiam damnavit Eppum? quibus hoc canonibus, quibus conciliis hoc legitur permissum? Quid super Epporum translationibus loquar, quae apud vos non auctoritate Apostolica, sed nutu Regis praesumuntur? Propter haec mala et alia evitanda huiusmodi iuramentum exigitur. Cur autem iuramentum Dominus prohibuerit, Apostolus Iacobus manifeste adiiciens docet: ut non sub iudicium incidatis; ne quisque, sicut S. Augustinus exponit, assidui-

tate iurandi ad periurium per consvetudinem delabatur. Qua[illegible] propter iuratione quis non utatur, nisi necessitate, cum viderit pigros esse homines ad credendum, quod utile est eis credere, nisi iuratione firmetur. Hoc nimirum malo ac necessitate com[illegible] pellimur, iuramentum pro fide, pro obedientia, pro unitate re[illegible] quirere. Porro Apostolum Paulum pro auditorum diffidentia iu[illegible] rasse eius epistolae testantur. Aiunt, in Conciliis statutum no[illegible] inveniri! Quasi Romanae Ecclesiae legem Concilia ulla praefi[illegible] xerint: cum omnia Concilia per Ecclesiae Romanae auctoritatem et facta sint, et robur acceperint, et in eorum statutis Romana patenter excipiatur auctoritas. Nonne in Concilii Chalcedonensis Actione XVI. statutum est: ante omnia quidem Primatus honorem praecipuum secundum canones antiquae Romae reverendissimo AEppo conservari? Itaque quod censuerunt Rex et Magnates a supradicta sacramenti conditione te quiescere, videtur vobis iudicium evangelicum? videturne Primatus nostri honor praecipuus? numquid animo cecidit illa sententia Domini: non est discipulus super magistrum? numquid Hungarico Principi dictum est: et tu conversus confirma fratres tuos? numquid haec nos commodi nostri profectione requirimus, et non unitatis catholicae statuimus firmamentum? Possunt Apost. Sedem contemnere, possunt adversum nos calcaneum elevare: datum a Deo privilegium evertere vel auferre non possunt, quo Petro dictum est: Tu es Petrus etc. et: tibi dabo claves etc. Quibus tamen quatuor Conciliorum decretis dandi pallii modus praescriptus est, et professionis, vel obedientiae ordo sancitus est. Cum igitur a Sede Apostolica vestrae insignia dignitatis exigitis, quae a beati tantum Petri corpore assumuntur; iustum est, ut vos quoque Sedi Apostolicae subiectionis debitae signa solvatis, quae vos cum beato Petro tamquam membra de membro haerere et catholici capitis unitatem servare declarent. In quibus a praedecessoribus nostris ea est adhibita moderatio, ut nihil iniuriosum, nihil difficile sit appositum, quod non etiam praeter exactionem nostram ab omnibus debeat Eppis observari, qui sub Apostolorum Principum Petri et Pauli obedientia decreverunt et unitate persistere. Numquid non ultra vos Saxones Danique consistunt? Et tamen eorum Metropolitani et idem iuramentum asserunt, et Legatos ap. Sedis honorifice tractant, et in suis necessitatibus adiuvant, et Apostolorum limina per legatos suos

non tantum per triennium, sed annis singulis visitant. Ita te, frater carissime, fruamur in Domino, ut non per te in Ecclesiis subtractionis et dissidii, quod absit, oriatur occasio. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 162. p. 235. et t. 163. p. 36. 90. 100. 284. 290. 305. 376. 464. 471. Item: **Abr. Bzovii** *de praestantia — et praeclare gestis Summ. Pontif. commentarius.* Cap. 33.

564.

Gelasius II PP. Eppos et fideles Galliarum praemonet de factiosa per Imperatorem Henricum electione antipapae Eppi Bracarensis, A. 1118.

MON. Quia vos *Romanae Ecclesiae* membra estis, quae in ea nuper acta sunt, dilectioni vestrae significare curamus. Siquidem post electionem nostram D. Imperator furtive et inopinata velocitate Romam veniens, nos egredi compulit. Pacem postea et minis et terroribus postulavit, dicens quae posset se facturum, nisi nos ei iuramento pacis certitudinem faceremus. Ad quae nos ista respondimus: ‚De controversia, quae inter ecclesiam et regnum est, vel conventioni vel iustitiae libenter acquiescimus loco et tempore competenti, videlicet Mediolani, vel Cremonae in proxima beati Lucae festivitate fratrum nostrorum iudicio, quia a Deo sunt iudices constituti in Ecclesia, et sine quibus haec causa tractari non potest. Et quoniam D. Imperator a nobis securitatem quaerit, nos verbo et scripto eam promittimus, nisi ipse eam interim impediat. Alias enim securitatem facere nec honestas Ecclesiae nec consvetudo est. Ille statim, die videlicet post electionem nostram 44, Mauritium Bracarensem Eppum, anno praeterito a praedecessore nostro Paschali Papa in Concilio Beneventi excommunicatum, in matris Ecclesiae invasionem ingessit: qui etiam cum per nostras olim manus pallium accepisset, eidem domino nostro et catholicis successoribus, quorum primus ego sum, fidelitatem iuravit. In hoc autem tanto facinore nullum de Romanis D. Imperator, Deo gratias, socium habuit: sed Guibertini soli — tam infamen gloriam celebrarunt. Vestrae igitur experientiae literarum praesentium perceptione mandamus, ut super his per Dei gratiam communi deliberatione tra-

ctantes, ad matris Ecclesiae ultionem communibus praestante Domino auxiliis, sicut oportere cognoscitis, accingamini. Datum Caietae XVII Cal. Febr. 1118. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 163. p. 489.

565—566.

Calixtus II PP. A. 1119. ss. Eppis Hispaniae, et Imperatori congrua impertitur monita de relatione Ecclesiae ad Civilem Potestatem.

565. MON. *Eppis et fidelibus Hispaniae, A. 1120.* Egregiae memoriae Ildephonsus rex defuncto genero nobilis record. Raymundo comite, fratre nostro, filium eius Regem instituit, et regnum ei per *iuramenta* potentium stabilivit, prout vos ipsi certius cognovistis: postea vero ipsius pueri regis mater, praedicti regis filia, cum eum coronari fecissent, *alia iuramenta* prioribus contraria violenter extorsit, et ad filii sui destructionem maternae pietatis oblita conatus sui molimine intendit. Quod profecto quam impium sit, et omni rationi contrarium, omnis ratione utens facile potest advertere. Nec puer enim avi sui beneficio tam irrationabiliter defraudari, nec mater adversus filium tanta debuit nequitia animari, ut per eam quod filio iuraverant ad aliud cogerentur. Apostolica igitur auctoritate praecipimus, ut pro sequentis iuramenti extorsione, quae a praedicta regina facta est, nullus omnino dimittat, quin filio eius *primum* observet inviolabiliter *iuramentum.* Cum enim post iusiurandum legitime factum aliud fieri non debuerit, quod postea contra illud extortum est, minime observandum est.

566. *Henrico V. Imperatori. A. 1122.* — Dolemus valde, quia visitare te apost. salutationis alloquio secundum cordis nostri desiderium non audemus. Praesentes tamen literas et nuntium ven. fr. nostrum Azzonem Aquensem Eppum — ad tuam duximus praesentiam dirigendum, et ut voluntatem nostram plenius recognoscas, et a nimietate duritiae per Dei gratiam resipiscas. Siquidem et tu nobis et nos tibi longe sumus amplius de-

bitores, quam sibi ad invicem praedecessores nostri extiterunt. Praeter illud enim commune paternitatis debitum, quo ex Ap. Sedis administratione tenemur, et praeter illam Imperii dignitatem, quam per solius Rom. Pontificis ministerium Reges Alemannici consequuntur, proxima carnis consangvinitas nos compellit, ut audire nos mutuo et diligere debeamus. Nemo quippe carnem suam odio habuit, sed fovet et nutrit. Te sicut consangvineum nostrum, quem gemina in Christo dilectione diligere, honorare, et super omnes exaltare cupimus, commonemus, ut Ecclesiae pacem ulterius non recuses, pravorum suggestiones, qui in nostris placere sibi capitibus gloriantur, ad cor tuum ascendere non permittas, nec servus omnium velis esse, qui debes omnibus imperare. Nihil, Henrice, de tuo iure vindicare sibi quaerit Ecclesia, quae sicut mater sua omnibus gratuito administrat. *Nec regni nec imperii gloriam affectamus, sed soli Deo in Ecclesiae suae iustitia deservire optamus.* Redi ergo ad te ipsum; — non confidas in superbiis iniquorum, quoniam Deus superbis resistit. Habes milites adiutores tuos: habet Ecclesia Regem regum omnium defensorem suum, qui et sangvine suo eam mercatus est. Habet et SS. Apostolos Petrum et Paulum, dominos et patronos suos. *Dimitte, quod tuae ministrationis non est,* ut digne valeas ministrare quod tuum est. *Obtineat Ecclesia quod Christi est, habeat imperator quod suum est.* Sit pars utraque contenta suo officio, nec sibi ad invicem ambitione aliqua sua usurpent, qui debent omnibus iustitiam observare. Si nos audire, et religiosorum et sapientum consilio nostris volueris monitis obedire, et Deo et seculo magnum gaudium dabis, et cum temporalis regni et imperii fastigio etiam aeterni regni gloriam consequeris. Praeterea nos et totam Ecclesiam ita tibi nexibus dilectionis devincies, ut vere princeps, vere rex, et vere imperator per Omnipotentis Dei gratiam videaris. Quodsi stultorum et imperare tibi volentium adulationibus et pravitatis suggestionibus praecipitanter adhaeseris, nec honorem Deo et Ecclesiae debitum reddideris, per religiosos et sapientes viros Ecclesiae Dei non sine laesione tua curabimus providere, quoniam sic esse diutius non valemus. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 163. p. 1171. 1232.

567—568.

Hildebertus Cenomanensis, A. 1097—1134. acta Synodi per Summum Pontificem confirmari petit.

567. MON. *Acta Synodi Nannetensis confirmari petit, a. 1127.* Honorio II Summo Pontifici. Beatitudini vestrae, reverendissime Pater, decrevimus exarandum, quod ex suggestione venerabilis Britannorum comitis pariterque provincialium consilio epporum in Britanniam descenderimus, ubi praeter alias multiformes et abhorrendas enormitates, matrimonia quidem incestus, sanctuarium autem Domini haereditaria successio polluebat. Quapropter convocatis eisdem eppis et abbatibus, multisque religiosis et sapientibus viris, in urbe Nannetensi triduo sedimus in ea synodum celebrantes, ex qua largiente Domino et Ecclesiae honorem, et populo magnum constat emersisse fructum. — Haec igitur vobis, sancte pater, significanda censuimus, *quatenus acta canonice vestra confirmare dignetur auctoritas*, et datis ad Eppos literis communiter exhortari omnes, ut quae cum eis facienda sanximus in Christo, et docenda, ipsi quoque cum Christo facere studeant et docere. —

568. *Honorius II PP. acta Synodi confirmat.* Ven. fratribus Turonensis metropolis suffraganeis Eppis. Carissimi fratres, Hildebertus Turonensis AEppus, sicut bonus pastor pro grege suo vigilans, — in Nannetensi civitate de more metropolico concilium celebravit, ibique de incestuosis nuptiis et spuriis sacerdotum filiis, et de his qui quasi haereditaria successione ecclesiastica peterent beneficia, pertractans, corrigenda correxit, et statuenda constituit. Universitati ergo vestrae mandamus, quatenus ea, quae ab ipso iuxta ss. patrum decreta ibi ad honorem Dei et salutem populi statuta esse noscuntur, irrefragabiliter observetis. Sicut enim in humani compage corporis membra famulantur capiti, et obediunt tamquam supremo et provisori, ut sic persona servetur incolumis, ita fidelium mentes unius volun-

tatis pro custodienda unitate fidei et statu Ecclesiae suis debent humiliter parere praelatis. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 171. p. 253.

569.

Innocentius II PP. A. 1135. Eppis Germaniae inculcat: causas maiores et appellationes ad Sedem Apost. esse referendas.

MON. Tunc pax et caritas vice se mutua complectuntur, et manet indissolubilis in altera dilectione sinceritas, si iuxta divinae dispensationis ordinem et Ecclesiae gradus distinctos minores maioribus reverentiam exhibeant et inferioribus diligentiam potiores impendant. Verum ecclesiasticus ordo confunditur, si minores illicita sua temeritate praesumant, vel praesidentes non concessa sub remissione impunitatis attentant. Compago namque humani corporis et divini collegii conservatur incolumis, si pastores super gregem invigilent, et magis appetant pascere, quam dominari in clero, et subditi potius humiliter obedire, quam a subiectione procaciter resilire. Ne igitur pars alterutra dispensationis ordinationem pervertat, *beatus Petrus apostolorum princeps est in capite Ecclesiae a Domino constitutus, ut per se et successores suos fratres confirmet, errata corrigat, et iura sua unicuique tribuat.* Inde etiam *generali lege* Ecclesiae promulgatum, *ut maiores causae ad examinationem Sedis Apost. devolvantur, et oppressi omnes intrepide ad eam appellent.* Privilegium enim sibi in hoc appellandi s. Romana reservavit Ecclesia. Quam sit namque necessarius appellandi usus, nemo est qui nesciat, quippe cum iudicantium iniquitatem et imperitiam corrigat. Appellatione autem interposita omnia in statu suo permaneant, et tamdiu nihil erit innovandum, quamdiu de appellatione ab eo, ad quem provocatum, fuerit pronunciatum. Ceterum quod in laicis culpabile videtur, in clericis criminosum. At vero iuxta imperiales sanctiones, si iudices ordinarii provocationes aestimaverint respuendas, 30 pondo auri mulctantur, et assessores et officiales eorum totidem nisi publice restiterint et actis evidentibus contradixerint. Quanta igitur animadversione

sit plèctendus iudex ecclesiasticus, qui doctrinam matris suae S. Romanae Ecclesiae abiicit, et privilegium beati Petri infringere nititur, parem se faciens Iesu Christo et super apostolorum sedem ascendens, vigor iustitiae in promtu habens ulcisci omnem inobedientiam non ignorat. Exhortamur igitur fraternitatem vestram in Domino, ut, quemadmodum dignitatem vestram desideratis illibatam a Sede Apostolica custodiri, ita erga subditos mites sitis et praerogativam audientiae in nullo imminuere aut infringere de cetero attentetis. Alioquin de tanti excessus impunitate non iudicabimur apud Dominum negligentes, tepidi, sive rei. Ex officio siquidem apostolatus iniuncta est nobis a Deo necessitas, ut maioribus honorifice providentes minora salubriter sine laesione curemus. *) — **Migne** *Patr. Lat.* t. 179. p. 226.

570.

Theophanes Cerameus AEppus Tauromenius Gr. R. in Sicilia. 1140. pro Primatu R. P.

MON. *Homil. 55. in illa verba: Venit Iesus etc. Matth. XVI.* — Petrus autem *discipulorum apex*, communis lingva condiscipulorum existit. — *Tu*, inquit, *qui petra es, petra fies fidei Verbi, et constituendae Ecclesiae fundamentum*, et spiritualis aedificii primus aditus. — Et tibi dabo claves regni coelorum, — tempus scilicet illud post resurrectionem futurum praedicens, quando et S. Spiritus gratiam illi impertitus est, et potestatem ligandi atque solvendi permisit, et *rationalibus ovibus pastorem praefecit.* Verum quae claves hae, quarum portarum claviger constituitur Petrus? Porta haec Christus est ipse, qui dixit: Ego sum ostium; eius vero clavis est fides, quam Dominus *discipulorum corypheo* committit. — *Dat Petro et successoribus eius* claves, ut haereticis quidem impervia et impenetrabilis sit ianua regni coelestis, fidelibus vero ad eam pateat aditus. — *Quoniam Petrus ovibus ratione praeditis praeficiendus erat, et solvendi ligandique potestatem accepturus*, ne in peccantes vehemens et

*) Eiusdem tenoris literas dimisit Pontifex a. 1138. ad AEppos Remensem, Senonensem, et Turonensem.

implacabilis esset, et duriter atque immisericorditer poenas infligeret, meliore providentia atque consilio permittitur cadere etc. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 67, p. 472.

---

571. 572.

Eppi Galliae ex Concilio Senonensi ad Innocentium II PP. in negotio Petri Abälardi, a. 1140.

571. MON. Auribus occupatis ad plurima verbum facimus breve de prolixo negotio, pro eo maxime, quod idipsum plenius et diffusius continetur in literis Domini Senonensis. Petrus Abälardus christianae fidei meritum evacuare nititur, dum totum quod Deus est, humana ratione arbitratur se posse comprehendere, ascendit usque ad coelos et descendit usque ad abyssos. Nihil est quod lateat cum, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra. Homo est magnus in oculis suis, disputans de fide contra fidem, ambulans in magnis et mirabilibus super se, scrutator maiestatis, haeresum fabricator. Iamdudum fecerat librum de S. Trinitate, sed sub legato Romanae Ecclesiae igne examinatus est, quia inventa est in eo iniquitas. Maledictus qui reaedificat ruinas Iericho. Surrexit a mortuis liber ille, et cum eo multorum haereses, quae dormierant, surrexerunt et apparuerunt multis. Denique iam extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad Romam propagines eius. Haec gloriatio hominis illius, quod liber suus in Curia Romana habet ubi caput suum reclinet: hinc confortatus et confirmatus est error illius. Proinde cum fiducia praedicat verbum iniquitatis usquequaque. Propterea cum in conspectu Epporum super his eum argueret Abbas Claraevallensis, zelo iustitiae et fidei armatus, ille nec confessus est, nec negavit, sed a die, a loco, et iudice, quem ipse sibi elegerat, sine laesione, sine gravamine, ut prolongaret iniquitatem, *Sedem Apostolicam appellavit. Episcopi, qui propter hoc in unum convenerant, vestrae reverentiae deferentes, nihil in personam eius egerunt,* sed tantummodo capitula a sanctis olim patribus condemnata medicinali necessitate, ne morbus serperet, abiudicaverunt. Quia ergo homo

ille multitudinem trahit post se, et populum, qui sibi credat, habet, necesse est ut huic morbo celeri medicina occurratis: sero enim medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras. *Processimus nos in hoc negotio quousque ausi sumus. Tuum, benignissime Pater, est de cetero providere, ne aliqua haereticae pravitatis macula decor ecclesiae contaminetur. Tibi commissa est sponsa Christi, o amice sponsi. Tuum est eandem uni viro virginem castam exhibere Christo.*

572. *Rescriptum Innocentii II PP.* Testante Apostolo, sicut unus Deus, una fides esse dignoscitur : in qua tamquam immobili fundamento, praeter quam nemo aliud potest ponere, firmitas catholicae ecclesiae inviolata consistit. Inde est quod beatus Petrus Apostolorum princeps pro eximia huius fidei confessione audire meruit: ‚Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam;' petram utique firmitatem fidei et catholicae unitatis soliditatem manifeste designans. Haec siquidem est inconsutilis tunica Redemtoris nostri, super quam milites sortiti sunt, sed eam dividere minime potuerunt. Contra quam in initio fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania, adstiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum. Verum Apostoli duces Dominici gregis, et eorum successores Apostolici viri, ardore caritatis et zelo rectitudinis succensi, fidem defendere et eam in cordibus populorum proprii sangvinis effusione plantare non dubitaverunt. — Dolemus autem, quoniam sicut literarum vestrarum inspectione et missis a fraternitate vestra nobis errorum capitulis cognovimus, in novissimis diebus, quando instant periculosa tempora, magistri Petri Abälardi perniciosa doctrina, et praedictorum haereses et alia perversa dogmata catholicae fidei obviantia pullulare coeperunt. Verum in hoc maxime consolamur et omnipotenti Deo gratias agimus, quod in partibus vestris pro patribus tales filios suscitavit: et in tempore Apostolatus nostri in ecclesia sua tam praeclaros voluit esse pastores, qui novi haeretici studeant calumniis obviare et immaculatam sponsam uni viro virginem castam exhibere Christo. *Nos itaque, qui in Cathedra P. Petri, cui a Domino dictum est ‚Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos', licet indigni residere conspicimur, communicato fratrum nostrorum Epporum Cardinalium consilio, destinata nobis a vestra discretione capitula et universa ipsius Petri dogmata sanctorum Canonum auctoritate*

cum suo auctore damnavimus, eique tamquam haeretico perpetuum silentium imposuimus. Universos quoque erroris sui sectatores et defensores a fidelium consortio sequestrandos, et excomm. vinculo innodandos esse censemus. — **Harduini** *Conc.* t. 6. part. 2. p. 1222.

573.

Leodiensis Ecclesia ad Lucium II Papam de nova haeresi damnanda. A. 1145.

MON. Ut arbitramur, et res ipsa declarat, *idcirco divina dispositio in arce Catholicae Ecclesiae Sedem Romanam posuit, ut ipsius providentia suis membris tutela procuretur,* et ad eam refugium habeant, quibus surgentia bella exitium minitantur. Igitur *veterum hostium deprehensas noviter insidias ad vestram paternitatem, cui credita est sollicitudo omnium ecclesiarum, deferimus,* ut eorum conatus vestra relidantur industria, qui sub specie religionis animas simplicium in errorem ducunt, et unius integritate fidei, quae multis in locis vulnerata est, sicut apud nos compertum nunc esse constat, sancta Dei convalescat Ecclesia. A monte Guimari (Limarii in Delphinatu), quo nomine quidam vicus in Francia dicitur, quaedam haeresis per diversas terrarum partes defluxisse cognoscitur. — Huius haeresis nefandae blasphemiae sunt, quod in baptismo peccata remitti negat, quod sacramentum corporis et sangvinis Christi inane reputat, etc. Horum adhuc auditor erat hic Americus, *quem ideo ad vos direximus, ut vestro iudicio Deo et sanctae ipsius Ecclesiae satisfaciat,* et sponsionem, quam fecit beatis apostolis, cum in discrimine vitae positus esset, adimpleat. — Alios vero huius erroris participes per religiosa loca divisimus, *quid super eis ad correctionem agendum sit, a vobis expectantes.* — Provideat itaque vestrae paternitatis solertia, ne virus hoc altius serpat, sed cauterio diligentiae salutaris aduratur, ut deficiat. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 179. p. 937.

574.

Anselmus Eppus Havelbergensis ad Eugenium III PP. A. 1145. de dialogo suo cum **Nechite AEppo Graecorum Nicomediensi** habito quoad primatum Eccl. Romanae.

MON. Cum in praesentia beatitudinis vestrae essem mense Martio apud urbem Tusculanam, inter multa, quae sanctitati vestrae mecum conferre placuit, dixistis mihi, quod quidam Eppus legationem CPni Imperatoris et epistolam Graecis apicibus conscriptam perferens, ad Sedem Apostolicam nuper venerit. Dixistis etiam, quod idem Eppus Graecorum literis plurimum instructus, et decenti sermonum facundia ornatus et confisus, multa de doctrina et ecclesiastico Graecorum ritu proposuit, quae doctrinae Romanae Ecclesiae minime concordant. — Quoniam ego aliquando Magni Lotharii Romanorum Imperatoris augusti legatus fui in CPlim, et ibidem aliquam moram faciens, multas super huiusmodi doctrina et ritu collationes et quaestiones modo in privatis modo in publicis tam Latinorum quam Graecorum conventibus habui, placuit sanctitati vestrae et praecipiendo rogare, et rogando praecipere, quatenus ea, quae vel ego ibi dixerim, vel ab illis dicta audierim et exceperim, in unum colligerem, et quasi ‚antikeimenon', id est, librum contrapositorum, sub dialogo conscriberem. — Feci itaque quod iussit apostolica auctoritas, cui semper obtemperandum est. — Conservavi autem, quantum memoria subministrabat, tenorem dialogi, quem cum venerabili ac doctissimo AEppo Nicomediae *Nechite* in publico conventu apud urbem CPnam habui. —

Dial. Lib. III. cap. 5. Anselmus Havelb. Ep. dixit: Quodsi eorum, qui hic (apud Ecclesias Orientales) praefuerunt, auctoritas tanta est apud vos, ut eorum qualiacunque statuta inviolabilia existimetis, et attenditis tantum eorum, qui illa statuerunt, nudam auctoritatem, et non potius eorum, quae statuta sunt, veritatem: quare non potius suscipitis statuta sacrosanctae *Romanae Ecclesiae, quae per Deum et a Deo et post Deum proxi-*

mo loco auctoritatis primatum obtinuit in universa, quae per totum mundum sparsa est, Ecclesia? Ita enim de illa in Nicaeno Concilio I. a 318 Patribus statutum legitur: Sciendum sane est, et nulli catholico ignorandum, quoniam S. Romana Ecclesia nullis synodicis decretis praelata est, sed evangelica voce Domini ac Salvatoris nostri primatum obtinuit, ubi dixit beato Petro apostolo: Tu es Petrus etc. — Prima ergo sedes est coelesti beneficio Romanae Ecclesiae, quam beatissimi apostoli Petrus et Paulus suo martyrio dedicaverunt. — Ad hoc etiam S. Romana Ecclesia, prae ceteris a Domino praeelecta, speciali privilegio ab ipso donata est et beatificata, et quasi quadam praerogativa omnibus Ecclesiis praeeminet, et iure divino antecellit. Aliis enim diversis in temporibus variis haeresibus occupatis et in fide catholica nutantibus, *illa supra petram fundata et solidata semper mansit inconcussa,* nullis falsis et sophisticis haereticorum argumentis a simplicitate fidei, quam Simon Bar-Iona, quod est filius columbae, tenuerat, avelli potuit, quia scuto divinae sapientiae, Domino largiente, contra dolosas quaestiones semper munita fuit; nullis etiam terroribus vel minis imperatorum seu potentum huius seculi conquassari valuit, quia scuto fortissimae patientiae, confortante Domino, contra omnes impetus secura fuit. Unde et Dominus sciens alias Ecclesias haeretica impulsione nimium vexandas, et Romanam Ecclesiam, quam ipse supra petram fundaverat, numquam in fide debilitandam, dixit Petro: Ego pro te rogavi etc. — *Cap. 6.* At vero *CPna Ecclesia,* ut salva pace tua et omnium assidentium dixerim, non enim veritatem debetis negare, — *quam innumeris haeresibus saepe fermentata, postposita sinceritate fidei, contra Deum et apostolicam Ecclesiam cavernosis adinventionibus inflata intumuit, et, quantum potuit, contra fidem Petri et sanam eius doctrinam se contumaciter erexit!* — Omnes sordes haereticae pravitatis semper hic domicilium et quasi proprium nidum habuerunt, et hic fermentum malitiae et nequitiae suae miscuerunt, et illud communicandum quacunque potuerunt per orbem terrarum non solum verbis sed etiam fallacibus scriptis distribuerunt, et calicem mortiferum ab hac civitate sicut prima et ingens Babylon imperatoribus, regibus et principibus propinaverunt. — CPna Ecclesia, et Alexandrina, et Antiochena, nec non et aliis fere omnibus Ecclesiis per Orientem constitutis in fide catholica laborantibus, et nau-

fragium patientibus, *sola navicula Petri,* licet multis persecutionum fluctibus tunderetur, et quantumlibet validus esset ventus, *nullum* tamen *haereticae subversionis passa est naufragium,* sed ut expurgaretur fermentum malitiae et nequitiae, quo haeretici corrumpebant Ecclesiam Dei, tam per se, quam per legatos suos semper laboravit et hodie laborat. Ita quippe beatus Petrus apostolorum princeps mandatum accepit a Domino: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Quia ergo S. Romana Ecclesia conservata virginitate rectae fidei, opitulante Domino, Ecclesiarum omnium mater esse meruit, merito omnes, qui filii Dei et Ecclesiae dici et esse volunt, illam in omnibus eccles. sacramentis debita humilitate imitantur; et licet pro diversitate cuiusque gentis diversi mores et eccles. consvetudines habeantur, et in his minime conformari possint omnes Romanae Ecclesiae: tamen in ecclesiasticis, sicut dixi, sacramentis nulla unquam debet esse discordia a sacratissima matre omnium Romana Ecclesia. —

Cap. 7. Nechites AEppus Nicomediae dixit: — *Primatum Romanae Ecclesiae,* quem tam excellentem mihi proponis, *ego non nego, neque abnuo,* siquidem in antiquis nostrorum historiis hoc legitur, quod tres Patriarchales Sedes sorores fuerant, videlicet Romana, Alexandrina, Antiochena, inter quas Roma eminentissima sedes imperii primatum obtinuit, ita, *ut prima sedes appellaretur, et ad eam de dubiis causis eccles. a ceteris omnibus appellatio fieret, et eius iudicio ea, quae sub certis regulis non comprehenduntur, diiudicanda subiacerent: ipse tamen Romanus Pontifex nec princeps sacerdotum, nec summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primae sedis Eppus vocaretur.* Nam et Bonifacius III natione Romanus, urbis Romanae Eppus, obtinuit apud Phocam Principem, ut sedes apostolica beati Petri apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, quia CPna tunc temporis se primam omnium scribebat propter translatum imperium. — Quia vero divina voluntate in hanc regiam urbem (CPlim) translatum est imperium, et factum est caput in Oriente, et *nova Roma* propter auctoritatem imperii nuncupata est, statutum est etiam a 150 Eppis, — quod sicut antiqua Roma propter honorem imperii primatum in causis eccles. a s. patribus antiquitus obtinuit, ita quoque haec iunior et nova Roma propter dignitatem imperii haberet primatum eccles. post illam. — Ita, frater carissime, in antiquis historiis nostrorum scriptum inve-

nitur. Verum *Romana Ecclesia*, cui nos quidem inter has sorores primatum non negamus, et cui in Concilio generali praesidenti primum honoris locum recognoscimus, ipsa se propter sui sublimitatem a nobis sequestravit, quando monarchiam, quod sui officii non erat, invasit, et Eppos et Ecclesias Occidentis et Orientis diviso imperio divisit. Et ob hoc si aliquando cum occidentalibus eppis concilium sine nobis celebrat, illi decreta eius suscipiant, et debita veneratione observent, quorum consilio dictat ea quae dictanda iudicaverit, et quorum conniventia statuuntur, quae statuenda decreverit. Nos quoque quamvis in eadem catholica fide a Romana Ecclesia non discordemus, tamen quia concilia his temporibus cum illa non celebramus, quomodo decreta illius susciperemus, quae utique sine consilio nostro, imo nobis ignorantibus scribuntur? Si Romanus Pontifex in excelso throno gloriae suae residens nobis tonare, et quasi proiicere mandata sua de sublimi voluerit, et non nostro consilio sed proprio arbitrio pro beneplacito suo de nobis et de ecclesiis nostris iudicare, imo imperare voluerit, — quis hoc unquam aequo animo sustinere queat? — Quod si sic necesse esset, et ita grave iugum cervicibus nostris portandum immineret, nihil aliud restaret, nisi quod sola Romana Ecclesia libertate, qua vellet, frueretur, et aliis quidem omnibus ipsa leges conderet, ipsa vero sine lege esset, et iam non pia mater filiorum, sed dura et imperiosa domina servorum videretur et esset. Quid igitur nobis Scripturarum scientia? quid nobis literarum studia? quid magistrorum doctrinalis disciplina? quid sapientum Graecorum nobilissima ingenia? Sola Romani Pontificis auctoritas, quae, sicut tu dicis, super omnes est, universa haec evacuat. Solus ipse sit episcopus, solus magister, solus praeceptor, solus de omnibus sibi soli commissis soli Deo sicut solus bonus pastor respondeat. Quodsi in vinea Domini Dei voluerit habere cooperatores, ipse quidem conservato primatu suo exaltatus glorietur in humilitate sua, et non contemnat fratres suos, quos veritas Christi non in servitutem, sed in libertatem in utero matris Ecclesiae generavit. — In nullo symbolo hoc reperitur, quod Romanam Ecclesiam confiteri specialiter iubeamur, quinimo unam sanctam Ecclesiam catholicam et apostolicam confiteri ubique docemur. —

Cap. 9. Anselmus dixit: Non gravetur caritas tua, si ego cursum verborum tuorum intercipio: multa enim et valde ni-

mia et inepta ironia videris mihi uti adversus Romanam Ecclesiam, ideoque subsannationem tuam sustinere non valens, sermonem tuum praeoccupavi, ne inutilibus magis inutilia adhuc adderes. Quodsi nosses Romanae Ecclesiae religionem, sinceritatem, aequitatem, mansvetudinem, etc. — et super omnia in examinandis eccles. causis diligentissimam eius investigationem, et liberrimam in danda sententia veritatem, — nequaquam talia dixisses vel etiam cogitasses, quin potius nullo invitante in omnem eius communionem sine mora sponte transires, et ad obedientiam tantae sanctitatis, qua in se nitet, et aequitatis, qua ad alios se extendit, festinando curreres, nec quemquam te retardare volentem audires, si tamen vis esse tam alienae sanctitatis amator, quam tuae consuetudinis defensor. Scimus quidem a 150 Eppis in hac urbe sub Theodosio collectis praesumtuose statutum, quod *CPna Ecclesia* tamquam secunda Roma secunda quoque sedes appellaretur et esset. — Scimus etiam quod omnes Eppi Chalcedonensis Concilii numero 230 scripserunt Leoni Papae, rogantes, ut — CPnae Ecclesiae prae ceteris metropolitanis hoc praestaret, quatenus liceret ei ordinare metropolitanos provinciarum Asiae, et Ponti et Thraciae. Sed Leo papa reverentissimus rescripsit, omnia quidem gesta S. Chalcedonensis Synodi confirmans, sola vero illa infringens et omnino evacuans, quae per praesumtuosam ambitionem CPnorum gesta sunt, eo quod essent contra statuta Nicaeni Concilii. Unde miranda est tanti viri prudentia, quod tu statutum imo praesumtionem a 150 Eppis in hac urbe factam pro auctoritate inducere voluisti, praesertim cum ecclesiastica regula iubeat, *nullum ea debere habere vigorem, quae praeter Romani Pontificis sententiam praesumuntur, et quae ab eo apostolica auctoritate ac subscriptione non firmantur,* nisi forte tu illud quidem statutum legisti, apostolicas vero epistolas a beatissimo papa Leone contra idem statutum conscriptas non legisti, in quibus prorsus evacuatur et tamquam Nicaeno concilio contrarium in irritum ducitur.

Nechites dixit: An videtur tibi, soli Petro, et non potius omnibus apostolis dictum a Domino: Quorum remiseritis etc. et iterum: Quaecunque ligaveritis etc. Quinimo *non soli Petro, sed omnibus cum Petro, et cum omnibus Petro indifferenter* dictum a Domino creditur. Nec super solum Petrum descendit Spiritus S. in Pentecoste a Domino missus, qui omnibus aequaliter Apo-

stolis ante fuerat promissus, sed omnes simul inflammavit, et non impari dono nec impariter, sed pari dono omnes pariter donavit. Sic ergo recognoscamus Petro acceptam a Domino potestatem, ut non putemus imminuendam ceterorum apostolorum auctoritatem. —

Cap. 10. Anselmus dixit: Fateor, quoniam non super solum Petrum, verum etiam super omnes Apostolos Spiritus S. descendit, nec soli Petro, sed et aliis omnibus dictum est: Accipite Spiritum S. etc. *Verum tamen specialiter ad Petrum sermonem hunc dirigens, et eum tamquam ianitorem coeli constituens*, ait: Et tibi dabo claves regni coelorum. Et iterum: Pasce oves meas. Cui etiam ante omnes confitenti et dicenti: Tu es Christus etc. dixit: Beatus es etc. manifeste docens, Petrum primo coelesti inspiratione edoctum veritatem fidei, quam postea per eius manifestam confessionem ceteri didicerunt apostoli. Nam et *Dominus Iesus* non Andreae, non Ioannis, non Iacobi, nec alicuius alterius, sed *solius Petri naviculam ascendit, et sedens docebat turbas*, figuraliter ostendens, *a S. Romana Ecclesia, cui praeficiendus erat Petrus princeps apostolorum, evangelicam et apostolicam doctrinam in turbas populorum per omnem mundum profluxuram.* Ipsi quoque apostoli recognoverunt principatum beato Petro personaliter collatum: quod satis patenter ostenditur in libro Lucae, qui inscribitur ‚Actus Apostolorum.' —

Cap. 11. Nechites dixit: Potest esse quod dicis. Ceterum paulo ante dixisti, Ecclesiam CPnam, imo fere totum Orientem variis haeresibus contaminatum: — sed dic, quaeso, ubi sunt damnatae illae haereses? quis eas damnavit? si hic a pravis et iniquis sunt exortae, hic etiam a bonis et catholicis viris sunt damnatae; — videturque quod Ecclesia Dei occasione haeresum magis ac magis in scientia Scripturarum creverit, et maius robur fidei post extinctas haereses acceperit, adeo ut fide catholica iam distincta, et iam ad plenum consummata, iuste a s. patribus inhibitum sit, quod nemo amplius de fide publice disputare audeat. — Et fortasse in Romana civitate idcirco non surrexerunt haereses, quia non adeo sapientes, et subtiles, et Scripturarum investigatores ibi fuerunt, quemadmodum apud nos; et sicut haereticorum, qui apud nos fuerunt vana sapientia, qua seducti sunt, culpanda est: ita nimirum laudanda est Romana imperitia,

qua ipsi nec hoc nec illud de fide dixerunt, sed alios inde dicentes et docentes simplicitate quasi minus docta audierunt. Quod contigisse videtur vel ex nimia negligentia investigandae fidei, vel ex grossa tarditate hebetis ingenii, vel ex occupatione ac mole secularis impedimenti. —

Cap. 12. Anselmus dixit: Apostolus dicit: ‚Caput Ecclesiae Christus, caput autem Christi Deus.' Sed caput Ecclesiae Christus ascendens in altum, vicem suam in terris Petro apost. principi commisit. Petrus ad martyrium vestigia Christi sequens, Clementem sibi vicarium subrogavit, et sic *Romani Pontifices*, per ordinem consequenter vice Christi substituti, *caput Ecclesiae sunt in terris*, *cuius Ecclesiae caput Christus est in coelis*. Noli itaque in uno corpore Ecclesiae duo vel plurima capita facere. — Cum enim dicis, quod a 150 patribus in hac urbe congregatis statutum sit, quod CPlis tamquam iunior et nova Roma primatum in Oriente super omnes Ecclesias habere debeat, et propria auctoritate causas eccles. diffinere valeat, quid aliud facis, nisi duo capita in uno corpore unius Ecclesiae erigis, et altare contra altare exstruis, et quasi aliud Manichaeorum bema aedificas et innovas. — Quodsi iure translati imperii existimas debere fieri, iam non divino sed humano iudicio probaris inniti. Proinde si ab auctoritate Urbis, eo quod in illa sedem regni esse dicatis, caput etiam Ecclesiarum hic constitutum putatis, eadem ratione in Antiochia, quae non minus sedes regni fuisse dignoscitur, tertium caput Ecclesiarum statuere potestis, etc. — et iam non unus Petrus, non unus princeps apostolorum, sed multi Petri, et multi principes apostolorum invenirentur. Quod quam sit absurdum, tu videris. — Certum est igitur, et nulli, qui sani sit capitis, dubium, quod sicut una est Ecclesia, ita et *unius Ecclesiae unum caput est in terris*, *et hic est Romanus Pontifex*, *quem non solum auctoritas humani imperii*, *sed maiestas divini iudicii principaliter omnibus praeesse voluit*, cuius quidem formam et institutionem maxime in eccles. sacramentis oportet omnes imitari, qui sub obedientia illius in fide Petri cupiunt salvari. Ita enim dicit beatus Ambrosius Mediolanensis AEppus: ‚Qui a Romana Ecclesia discordat, hunc procul dubio haereticum esse constat.' Quod autem dixisti, haereses hic exortas hic esse mortuas, et hoc dixisti factum esse auctoritate s. patrum qui fuerunt in Oriente: — miror tuam prudentiam,

quod adscribas membris, quod erat Capitis. — Qui videlicet s. patres, si hodie omnes viverent, nullus eorum, nec omnes quidem simul aliquam auctoritatem alicuius concilii sibi usurparent, quin potius *omnem conciliorum auctoritatem Romano Pontifici recognoscerent, aut in propria persona praesidenti, aut per legatos suos universa confirmanti.* Ecclesiastica namque regula, quam ipsi non ignoraverunt, ita iubet : ‚Non oportere praeter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari.' Sciendum est ergo, quod haereses hic exortae Graecorum quidem errore, sed et hic quidem destructae sunt non Graecorum, sed Rom. Pontificum auctoritate. (‚Enarrat, qualiter omnia Concilia inde a Nicaeno I per Rom. Pontifices vel congregata, vel ratihabita, et haereses omnes per eosdem damnatae fuerint, dein infert':) — Ecce vides quaslibet haereses hic et ubique exortas *a petra fidei per Petrum apostolum* collisas et destructas. Itaque non solum ex praedictis, verum etiam ex aliis multis conciliis per Orientem celebratis, nec non etiam ex plurimis Africanorum conciliis, in quibus variae haereses damnatae sunt, constat : *Romanam Ecclesiam duo divina privilegia divinitus habere, videlicet prae omnibus incorruptam puritatem fidei, et super omnes potestatem iudicandi.* Quae ergo praecelsa est in potestate, quis adeo imprudens, ut illius auctoritatem et decretales sanctiones suscipere, et eius ritum in eccles. sacramentis non eligat imitari? Quamobrem sufficiat tibi tandem auctoritas tanta, ut deposito ritu fermenti azymo pane utaris in sacrificio altaris, et tam in hoc quam in aliis sacramentis conformem te exhibeas sanctae et immaculatae Romanae Ecclesiae tamquam devotus filius obediens matri suae. *(Reliqua pertinent ad controversam de azymo et fermentato pane quaestionem.)* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 188. p. 1139. 1213.

575—584.

Bernardus, A. 1135. ss. egregia reliquit in perdoctis suis operibus pro Primatu Romano testimonia.

INTR. Solent complures Primatus adversarii patrocinio S. Bernardi Doctoris sese munire: quasi is tam in libris suis, quam in sua erga Eugenium III Papam agendi ratione, ac cumprimis in opere ‚Considerationum' Primatus Rom. Sedis inimicum semet exhibuisset. Verum inanes esse hos nisus, D. Bernardum e serie propugnatorum Primatus eripiendi, tum erudita opera, in Literatura nostra recurrentia, quae de hoc argumento lucem adspexere publicam, commonstrant, tum quamplurima operum ipsius Bernardi loca: e quibus nonnulla seligimus.

575. MON. *Ad Mediolanenses pro constanter retinenda subiectione ac obedientia erga Romanam Ecclesiam, A. 1135.* Bene vobiscum facit Deus: bene vobiscum facit Romana Ecclesia. Facit ille quod pater: facit illa quod mater. Et revera quid vobis, debuit facere, et non fecit? *(Enumeratis pluribus beneficiis a Romana Ecclesia acceptis, sic continuat:)* — Nunc vero audi me, inclyta plebs, gens nobilis, civitas gloriosa. Audi, inquam, me (veritatem dico, non mentior) dilectorem tui, zelatorem salutis tuae. *Romana Ecclesia* valde clemens est, sed nihilominus *potens*. Fidele consilium: — noli abuti clementia, ne potentia opprimaris. Sed dicit aliquis: debitam ei reverentiam exhibebo, et nihil amplius. Esto, fac quod dicis: quia si exhibeas debitam, et *omnimodam. Plenitudo siquidem potestatis super universas orbis Ecclesias singulari praerogativa Apostolicae Sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Potest, si utile iudicaverit, novos ordinare eppatus, ubi hactenus non fueruut. Potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de eppis creare archieppos liceat, et e converso, si necesse visum fuerit. Potest a finibus terrae sublimes quascunque personas ecclesiasticas evocare, et cogere ad suam praesentiam, non semel

aut bis, sed quoties expedire videbit. Porro in promtu est ei ulcisci omnem inobedientiam, si quis forte reluctari conatus fuerit. Denique probasti et tu. Quid enim contulit tibi vetus tua rebellio et recalcitratio male svasa a pseudoprophetis tuis? *) quem fructum habuisti, in quibus nunc erubescis? Agnosce potius, in qua potestate, gloria et honore suffraganeorum tuorum tamdiu privata extitisti? **) Quis pro te valuit obviare apostolicae auctoritatis iustissimae severitati, cum provocata tuis excessibus decrevit te tuis illis antiquis ac praeclaris ornamentis nudare, mutilare membris! Et hodie confusa, et truncata iaceres, si non benignius quam potentius tecum actum fuisset. Quis eam prohibere valebit etiam a gravioribus, si rursum, quod absit, adieceris provocare? Vide ne patiaris recidivum: quia pro certo, nisi fallor, non tam facile denuo poterit inveniri remedium. Si quis itaque dixerit tibi: partim oportet obedire, partim non oportet: cum tu in te experta sis plenitudinem Apostolicae potestatis, auctoritatis integritatem, nonne huiusmodi aut seductus est, aut seducere vult? Sed fac quod dico, nam ego te non seduco. —

576. *Ad Innocentium II PP. de erroribus Abaelardi, A. 1140.* Necesse est, ut veniant scandala: necesse est, sed non svave. — Procedit Golias procero corpore, nobili illo suo bellico apparatu circummunitus, antecedente quoque ipsum eius armigero Arnaldo de Brixia. Squama squamae coniungitur, et nec spiraculum incedit per eas. Siquidem sibilavit apis, quae erat in Francia, api de Italia, et venerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius. — (‚Enarrando condemnationem Abaelardi in Synodo Senonensi, a qua ad Papam appellaverat Abaelardus, prosequitur‘:) Verum tu, *o successor Petri, iudicabis, an debeat habere refugium Sedem Petri, qui Petri fidem impugnat.* Tu, inquam, amice Sponsi, providebis, quomodo liberes sponsam a labiis iniquis, et a lingva dolosa. Sed ut paulo audacius loquar cum domino meo, attende etiam tibi ipsi, amantissime pater, et gratiae Dei, quae in te est. Nonne cum

*) Intelligit tempora AEppi Anselmi de Pusterla contra Lotharium legitimum Imperatorem rebellantis, ac eapropter ab Honorio Papa excommunicati.

**) In poenam reluctantiae Eppus Genuensis, et medietas epporum Corsicae subtracti fuere iurisdictioni AEppi Mediolanensis.

esses parvulus in oculis tuis, *ipse te constituit super gentes et regna?* Ad quid, nisi ut evellas, et destruas, et aedifices, et plantes? — Itaque ad consummationem virtutum, et ne quid minus fecisse inveniamini a magnis Eppis antecessoribus vestris, capite nobis, pater amantissime, vulpes quae demoliuntur vineam Domini, donec parvulae sunt, ne si crescant et multiplicentur, quidquid talium per vos non fuerit exterminatum, a posteris desperetur. Quamquam non iam parvulae nec pauculae, sed certe grandiusculae et multae sint, *nec nisi in manu forti vel a vobis exterminabuntur.* —

577. *Ad eundem in eodem merito.* Oportet ad vestrum referri apostolatum pericula quaeque et scandala emergentia in regno Dei, ea praesertim quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror *ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Haec quippe huius praerogativa Sedis.* Cui enim alteri aliquando dictum est: Ego pro te rogavi etc.? Ergo quod sequitur, a Petri successore exigitur: Et tu aliquando conversus etc. Id quidem modo necessarium. Tempus est, ut vestrum agnoscatis principatum, probetis zelum, ministerium honoretis. In eo plane Petri impletis vicem, cuius tenetis et sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores. (Sequuntur Capitula erronea Abälardi.)

578. *Ad Eppos et Cardinales Curiae in eodem merito.* Nulli dubium, quin ad vos specialiter spectet tollere scandala de regno Dei, surgentes succidere spinas, sedare querelas. Sic enim praecepit Moyses cum montem subiit: ‚Habetis Aaron et Hur vobiscum, si quid natum fuerit quaestionis, referetis ad ipsos.‘ Illum loquor Moysen, qui venit per aquam, et non in aqua solum, sed in aqua et sangvine. Et ideo plusquam Moyses, quia et in sangvine venit. Et quoniam pro Hur et Aaron *stat zelus et auctoritas Romanae Ecclesiae super populum Dei*, ad ipsam merito referimus non quaestiones sed laesiones fidei, et iniurias Christi, patrum probra atque contemtus, praesentium scandala, pericula posterorum. — Legite, si placet, librum Petri Abälardi, quem dicit Theologiae, — et videte, qualia ibi de S. Trinitate dicantur, de genitura Filii etc. — Et siquidem iudicatis me iuste moveri, movemini et vos, ac ne frustra moveamini, *agite pro loco quem tenetis, pro dignitate qua polletis, pro po-*

testate quam accepistis: quomodo qui ascendit ad coelos, descendat usque ad inferos; — comprimant sese etiam alii ponentes tenebras lucem, disputantes in triviis de divinis, — et sic obstruatur os loquentium iniqua.

579. *Ad Innoc. Papam super eo, quod summum Ecclesiae Praesulem maxime deceat zelus iustitiae in vindicandis oppressorum iniuriis, A. 1141.* In causae actione, quae per cariss. fratrem nostrum Guidonem Chari-Loci Abbatem vestro conspectui praesentatur, puto, satis apparet et lacessentis iniuria, et innocentia patientis, et incuria iudicis. Denique violentia calumniantis et inopia iustitiae compulsus est pauper confugere ad vestram praesentiam. — Clementer, quaeso, respicite super egenum et pauperem. — A vobis id omnimodis flagitamus, quod aliunde frustra tentatum est. Ventum est ad commune refugium: illo confugimus, ibi confidimus liberari. Tantum adsit pietas, nam facultas non deest. Et quidem *ex privilegio Sedis Apostolicae constat, summam rerum ad vestram potissimum respicere summam auctoritatem et plenariam potestatem. Verum hoc inter cetera vestri singularis primatus insignia specialius nobiliusque nobilitat vestrum et inclytum reddit Apostolatum, si eripitis pauperem de manu fortiorum eius.* Nulla meo iudicio in corona vestra pretiosior gemma zelo illo vestro, quo aemulari consvevistis oppressos, nec relinquitis virgam peccatorum super sortem iustorum. —

580. *Ad eundem.* Quis mihi faciet iustitiam de vobis? *Si haberem iudicem, ad quem vos trahere possem*, iam nunc ostenderem vobis, (ut parturiens loquor) quid meremini. *Extat quidem tribunal Christi:* sed absit, ut ad illud appellem vos, qui illic, si vobis necessarium et mihi possibile esset, vellem magis totis viribus stare, et respondere pro vobis! Itaque *recurro ad eum, cui in praesenti datum est iudicare de universis*, hoc est, ad vos. *Vos appello ad vos: vos iudicate inter me et vos.* In quo, quaeso, puer vester tam male meruit de vestra paternitate, ut eum inurere et insignire placeret nota et nomine proditoris? Numquid non me vestrum vicarium dignatio vestra constituit in reconciliatione Petri Pisani, si forte illum Deus per me revocare a faece schismatis dignaretur? — Quisnam constantiae vestrae suo consilio vel magis suo dolo subripuit indulta repetere, et quae processere de labiis vestris, facere irrita? Et ego hoc di-

xerim, non ut apostolicum reprehendam vigorem, et zelum igne Dei succensum contra schismaticos, qui in spiritu vehementi conterat naves Tharsis: sed ubi non est par culpa, par plane non debet procedere poena, nec convenit eadem involvi sententia eum, qui peccatum, cum his, quos magis peccatum deseruit. —

581. *Ad Eugenium III PP. de deponendo Eppo Eboracensi, A. 1145.* — Contra idolum illud Eboracense*) iterato stilus dirigitur: ea scilicet necessitate, quod saepenumero hoc telo impetitum a nobis, necdum confossum est. Cur hoc? quia nil forte a nobis tale directum est, qualis fuit gladius Ionathae, qui numquam rediit retrorsum. Nec sane fuit culpa iaculi, sed dirigentis iaculum. Patet enim, quod non in ea, qua oportuit, fortitudine missum est. Nec mirum. Quis enim in manu forti sagittas mittere potest, nisi filius excussorum? *Qui locum Petri tenet, potest uno ictu extingvere Ananiam, uno Simonem Magum:* et ut planius quod loquimur fiat, *peremtoriam dare sententiam ad depositionem Epporum solius Romani Pontificis noscitur esse* pro eo nimirum, quod etsi alii multi vocati sunt in partem sollicitudinis, *solus ipse plenitudinem habeat potestatis.* Solus proinde, si dicere audeam, in culpa est, si culpa non feritur quae ferienda est, et eo impetu, quo fuerit ferienda. Quo autem impetu non dico ferienda, sed fulminanda fuerit praedicti Eboracensis culpa, vestrae conscientiae derelinquo. Ceterum quod factum non est, vobis credimus reservatum, ut in eo experiatur Ecclesia Dei, cui ipso auctore praeestis, fervorem zeli vestri potentiam brachii vestri, et animi sapientiam, et timeat omnis populus sacerdotem Domini, audiens sapientiam Dei esse in illo ad faciendum iudicium.

582. *Ex libris quinque de Consideratione ad Eug. III PP. — Lib. II. cap. 8.* — Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex. Tu *princeps Epporum,* tu haeres apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. *Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt.* Sunt quidem et alii coeli ianitores et gregum pastores: sed tu tanto gloriosius, quanto differentius utrumque prae ceteris nomen haereditasti. Habe

*) Eboracensis fraudulenter, et quasi intrusus, occupavit Ecclesiam.

illi sibi assignatos greges, singuli singulos: *tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor.* Unde id probem quaeris? *Ex verbo Domini.* Cui enim non dico Epporum, sed etiam Apostolorum sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves? ‚Si me amas Petre, pasce oves meas.' — Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distingvitur nihil. — Ubi unitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed divisionem, recedentes ab unitate. Inde est, quod alii singuli singulas sortiti sunt plebes, scientes sacramentum. Denique Iacobus, qui videbatur columna Ecclesiae, una contentus est Hierosolyma, Petro universitatem cedens. — Porro cedente Domini fratre, quis se alter ingerat Petri praerogativae? Ergo iuxta canones tuos *alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur et in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt.* Nonne si causa extiterit, *tu Eppo coelum claudere, tu ipsum ab eppatu deponere etiam et tradere satanae potes?* Stat ergo inconcussum privilegium tuum tibi tam in datis clavibus, quam in ovibus commendatis. — Cum quisque ceterorum habeat suam, tibi una commissa est grandissima navis, facta ex omnibus ipsa universalis Ecclesia, toto orbe diffusa. — *Lib. III. cap. 1.* — Consideranda, quae sub te sunt. Quaenam sint illa, non est quod a me quaerendum putes, sacerdotum optime Eugeni: rectius fortasse quae non sint quaeras. *Orbe exeundum ei, qui forte volet explorare, quae non ad tuam pertinent curam.* — Cap. 2. *Appellatur de toto mundo ad te. Id quidem in testimonium singularis primatus tui.* — *Lib. IV. cap. 7.* — Consideres ante omnia: S. Romanam Ecclesiam, cui Deo auctore praees, Ecclesiarum matrem esse, non dominam: te vero non dominum Epporum, sed unum ex ipsis; porro fratrem diligentium Deum et participem timentium eum. De cetero oportere te esse considera formam iustitiae, sanctimoniae speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem gentium, christianorum ducem, amicum sponsi, sponsae paranymphum, cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum coecorum, lingvam mutorum, baculum senum, ultorem scelerum, malorum

metum, bonorum gloriam, virgam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sal terrae, orbis lumen, sacerdotem altissimi, vicarium Christi, christum Domini, postremo deum Pharaonis. —

583. *Ex Sermonibus de App. Petro et Paulo.* Serm. 1. — *Peccavit* peccatum grande Petrus apostolus, et fortassis quo grandius nullum est: et tam velocissime quam facillime veniam consecutus est, et sic: *ut nihil de singularitate sui primatus amitteret. — Quid illo potentius*, cui et terra obedivit, cum mortuos reddidit, et mare sub pedibus eius se calcabile praebuit; qui Simonem magum spiritu oris sui in aëre attigit, *qui claves regni coelorum tam singulariter accepit, ut praecedat sententia Petri sententiam coeli? —* **Migne** *Patr. Lat.* t. 182. ss.

584. *Eiusdem melliflui Doctoris sententias de Primatu Romani Pontificis, ex Epistolis eiusdem et libris Considerationum contextas, sequenti ratione proposuit* **Iosephus Maria a S. Stephano** *Ord. Cisterc. in opere suo:* ‚Alvearium Claravallense dogmaticarum veritatum de Romano Pontifice et Ecclesia. 1686.'

1. Beatissimo Patri	1. *Epist. 191 et 370 ad Innoc. II.*
2. Successori Petri	2. Ep. 189. ad eundem.
3. Orbis Episcopo	3. Ep. 240. ad Eugen. III.
4. Principi Episcoporum . . .	4. L. 2. de consid. c. 8.
5. Amico Sponsi	5. Ep. 189. ad Innoc. II.
6. Sacerdoti Magno	6. L. 2. de Consid. c. 8.
7. Haeredi Apostolorum . . .	7. Ibid.
8. Fidei defensori	8. L. 4. de Consid. c. 7.
9. Doctori Gentium	9. Ibid.
10. Custodi Sponsae Christi . .	10. Ep. 161. ad Innoc. II.
11. Speculatori super omnia constituto	11. L. 2. de Consid. c. 6.
12. Pastori ovium Christi . . .	12. Ep. 161. ad Innoc. II,
13. Pietatis exemplari	13. L. 4. de Consid. c. 11.
14. Sali terrae	14. Ibid.
15. Christianorum duci . . .	15. L. 4. de Consid. c. 7.
16. In summo posito apice . .	16. L. 2. de Consid. c. 7.
17. Assertori veritatis	17. L. 4. d. Consid. c. 7.

18. Universorum gregum custodi	18. Ibid. c. 8.
19. Cleri Ordinatori	19. Ibid. c. 7.
20. Sponsae Paranympho . . .	20. Ibid.
21. In plenitudinem potestatis vocato	21. Ibid. c. 8.
22. Orbis lumini	22. Ibid. c. 7.
23. Regum Patri	23. Ibid.
24. Orbis haereditati	24. Ibid. c. 1.
25. Rectori omnium totum tenenti	25. Ibid. c. 4.
26. Non modo ovium sed et pastorum uni omnium Pastori .	26. Ibid c. 8.
27. Refugio oppressorum . . .	27. Ibid. c. 7.
28. Ultori scelerum	28. Ibid.
29. Bonorum gloriae	29. Ibid.
30. Legum moderatori	30. Ibid.
31. Canonum dispensatori . .	31. Ibid.
32. Non habenti parem super terram	32. Ibid. c. 1.
33. Virgae potentium	33. Ibid. c. 7.
34. Tyrannorum malleo . . .	34. Ibid.
35. Deo Pharaonis	35. Ibid.
36. Primatu Abel	36. Ibid. c. 7.
37. Gubernatu Noe	37. Ibid.
38. Patriarchatu Abraham . .	38. Ibid.
39. Ordine Melchisedech . . .	39. Ibid.
40. Dignitate Aaron	40. Ibid.
41. Auctoritate Moysi	41. Ibid.
42. Iudicatu Samueli	42. Ibid.
43. Potestate Petro	43. Ibid.
44. Unctione Christo	44. Ibid.
45. Sanctae Romanae Ecclesiae .	45. Epist. 192.
46. Matris et Magistrae omnium Ecclesiarum	46. Serm. de priv. B. I. Bapt.
47. Mundi universitati constitutae vindicis in iram, iudicis in misericordiam	47. Epist. 168.

48. Cui potestati qui resistit, Dei ordinationi resistit	48. Epist. 131.
49. Columnae fidei	49. Epist. 124.
50. Petrae fidei catholicae . .	50. Ep. 41 ad Innoc. II. edit. 1672.
51. Firmamenti veritatis . . .	51. Epist. 124.
52. Et gremii apostolicae pietatis	52. Ep. 411 ad Innoc. II.
53. Cui supra petram fundatae portae inferi non praevalebunt	53. Ep. 377 ad Innoc. II.
54. Communis refugii	54. Ep. 198 ad Innoc. II.
55. Ubi sedula urget sollicitudo omnium Ecclesiarum . . .	55. L. 2. de Consid. c. 6.
56. Ut omnes sub illa, et in illa uniantur	56. Ep. 374 ad Coelest. II.
57. Arcis apostolici culminis . .	57. Ep. 166 ad Innoc. II.
58. Divinis regalibusque privilegiis singulariter sublimatae .	58. Epist. 243.
59. Domini sangvine redemtae .	59. Ibid.
60. Eius spiritu donatae . . .	60. Ibid.
61. Donis coelestibus exornatae .	61. Ibid.
62. Ditatae nihilominus et terrenis	62. Ibid.
63. Cui si debita reverentia exhibenda sit, exhibebitur omnimoda	63. Epist. 151.
64. Ubi potissimum resarcienda sunt damna fidei	64. Ep. 190 ad Innoc. II.
65. Cum ibi non possit fides sentire defectum	65. Ibid.
66. Haec quippe huius praerogativa Sedis	66. Ibid.
67. Cui enim alteri aliquando dictum est:	67. Ibid.
68. Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua? . .	68. Ibid.
69. 70. Summi gradus, summae aequitatis Sedis	69. 70. L. 2. de Consid. c. 7. — Ep. 158. ad Innoc. II.

71. Summo Pontifici	71. Epist. 188 ad Innoc. II.
72. Amantissimo Patri	72. Epist. 178.
73. 74. Aequissimo Rectori . .	73. 74. Ep. 330 ad Inn. II. — L. 3. de Cons. c. 4.
75. Piissimo, clementissimo . .	75. Epist. 179.
76. 77. Tuae maiestati commissa est Sponsa Christi, amice Sponsi	76. 77. Ep. 399. — Ep. 191 ad Innoc. II.
78. 79. Tuae Serenitatis est uni viro virginem castam exhibere Christo	78. 79. Ep. 399. — Ep. 191.
80. Infragabiliter tenendum est quidquid praecipis	80. Epist. 50.
81. Et sperandum indubitanter bonum de omni re, quam decernis	81. Ibid.
82. Constituit te Dominus dominum domus suae	82. Epist. 238.
83. Et principem omnis possessionis suae	83. Ibid.
84. 85. Ut omnis plantatio, quam non plantavit Pater coelestis, tuis manibus eradicetur . .	84. 85. Ibid.
86. 87. Ad hoc constitutus es super gentes et regna, ut evellas, et destruas, et aedifices, et plantes	86. 87. Ibid. — Epist. 388 ad Innoc. II.
88. Accingere gladio tuo Pater ad exaltationem fidei . . .	88. Ibid.
89. Ad depressionem inimici, ad conservandam Ecclesiae libertatem	89. Ibid.
90. Non enim sumus ancillae filii sed liberae	90. Ibid.

91. Qua libertate liberavit nos Christus . . . . . 91. Epist. 237.

92—94. Assume gladium ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis . . . . 92—94. Ibid.

95. Manus tuae in cervicibus inimicorum tuorum. . . . . 95. Epist. 258.

96. Qui persequitur (Innocentium) persequitur et cum eo omnem innocentiam . . . . . 96. Epist. 124.

97. Quanta fecit Deus animae tuae, quanta per te Ecclesiae suae? 97. Epist. 189 ad Innoc. II.

98—100. Quanta in agro dominico, coelo et terra testibus, tam potenter quam salubriter evulsa sunt et destructa, quanta rursum bene aedificata, plantata, propagata? . . . 98—100. Ibid.

101. Tyrannus extulerat in altum cor suum . . . . . 101. Ep. 388 ad Innoc. II.

102. Sed iam humiliatur sub potenti manu Dei . . . . . 102. Ibid.

103. Iam superborum et sublimium colla calcantur . . . . . 103. Ibid.

104. Visus est stultus firma radice, et maledictum est pulchritudini eius . . . . . 104. Ep. 189 ad Innoc. II.

105. 106. Suscitavit Deus furorem schismaticorum in tuo tempore, ut tuo opere conterererentur . . . . . 105. 106. Ibid.

107. 108. In haeresi multorum redivivi pullulabant errores, sed obstructum est os loquentium iniqua . . . . . 107. 108. Ep. 388 ad Innoc. II.

109. 110. Multa bona opera ostendisti seculo nostro ex gratia, quae data est tibi . . . . 109. 110. Epist. 280.

111. Salus facta hoc tempore per te transfunditur ad posteros 111. Ep. 158 ad Innoc. II.

112. Assumtus es ad praesidendum principibus . . . . . 112. Epist. 237.

113. Ad regna et imperia disponenda . . . . . 113. Ibid.

114. Ad imperandum Episcopis . 114. Ibid.

115. Qui honoris sui officiique plenitudinem a te consequuntur 115. Epist. 172.

116. In ruinam, et resurrectionem multorum ascendisti hanc Cathedram . . . . . 116. Ep. 240 et 124.

117. Nam qui Dei sunt, libenter iunguntur tibi . . . . . 117. Ibid.

118. Qui autem ex adverso stat, aut Antichristi est, aut Antichristus . . . . . 118. Ibid.

119. 120. Ad Petrum dictum est: converte gladium tuum in vaginam; ergo suus erat et ille. 119. 120. Epist. 256.

121—125. Petri uterque gladius est, materialis, et spiritualis; alter tuo nutu, alter tua manu evaginandus; alioquin si nullo modo ad te pertineret gladius materialis, dicentibus Apostolis ‚ecce gladii duo hic' non respondisset Dominus: ‚Satis est', sed ‚nimis est' . . . 121—125. Ibid. et l. 4. de Consid. c. 3.

126—128. In eo plane Petri imples vicem, cuius tenes et sedem, dum tua auctoritate conteris fidei corruptores, dum tua admonitione corda in fide fluctuantia confirmas . . 126—128. Ep. 190 ad Innoc. II.

129. 130. Tuae Sanctitati commissa est Ecclesia a solis ortu usque ad occasum . . . . 129. 130. L. 4. de Consid. c. 2. et Ep. 388.

131. Tu ei debes esse murus et antemurale a facie inimici et persequentis . . . . . 131. Epist. 388.

132. Tu debes fovere filios eius sub umbra alarum tuarum . 132. Ibid.

133. Tibi, Christo Domini, in praesenti datum est iudicare de universis . . . . . 133. Epist. 913.

134—136. Qui tenes gladium et locum Petri, tu solus potes peremtoriam dare sententiam ad depositionem Epporum . . 134—136. Ep. 176. et 239.

137. Si causa extiterit, tu potes Eppo coelum claudere . . 137. L. 2. de Consid. c. 8.

138. Tu ipsum satanae tradere potes . . . . . 138. Ibid.

139—141. Et a finibus terrae evocare et cogere ad tuam praesentiam sublimes quascunque personas ecclesiasticas, non semel aut bis, sed quoties expedire videbis . . . . . 139—141. Epist. 131.

142—144. Novos ordinare Eppatus, ubi hactenus non fuerunt, de Eppis creare AEppos tibi licet, et e converso, si necesse tibi visum fuerit . . . . 142—144. Ibid.

145—147. Ex privilegio Sedis Ap. constat, summam rerum ad tuam potissimum respicere summam auctoritatem et plenariam potestatem . . . . 145—147. Epist. 198 ad Innoc. II.

148. Ager enim est mundus, isque creditus tibi . . . . . 148. L. 2. de Consid. c. 6.

149. Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt . . 149. Ibid. c. 8.
150. Sunt quidem et alii coeli ianitores, et gregum pastores . 150. Ibid.
151. 152. Sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae ceteris nomen haereditasti . . . . . 151. 152. Ibid.
153. Habent illi assignatos greges, singuli singulos . . . . 153. Ibid.
154. Tibi universi crediti sunt, uni unus . . . . . 154. Ibid.
155. 156. Cui enim non dico Epporum, sed etiam Apostolorum sic absolute, et indiscrete totae commissae sunt oves? . 155. 156. Ibid.
157. Si me amas, Petre, pasce oves meas . . . . . 157. Ibid.
158—160. Quas? illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? oves, inquit, meas . . . . . 158—160. Ibid.
161. 162. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? nihil excipitur, ubi distingvitur nihil . . . 161. 162. Ibid.
163—165. Iacobus, qui videbatur columna Ecclesiae, una contentus est Hierosolyma, Petro universitatem cedens . . . 163—165. Ibid.
166. 167. Porro cedente Domini fratre, quis se alter ingerat Petri praerogativae? . . . 166. 167. Ibid.
168. 169. Alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es . . . . 168. 169. Ibid.
170—172. Aliorum potestas certis coarctatur limitibus; tua ex-

tenditur et in illos, qui potestatem super alios acceperunt 170—172. Ibid. et Ep. 183.

173. Omnis quidem anima sublimioribus potestatibus subdita est . . . . . 173. Epist. 183.

174. Et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit . . . . 174. Ibid.

175—178. Quae tamen sententia debet a Rege omnimode custodiri in exhibenda reverentia Summae et Apost. Sedi et beati Petri Vicario, sicut ipsam sibi vult Imperator ab universo servari imperio . . . . 175—178. Ibid. et Ep. 255.

179—181. Regna namque terrae et iura regnorum tunc sane sana suis dominis atque illaesa persistunt, si divinis ordinationibus ac dispositionibus non resistunt . . . . . 179—181. Ibid. et L. 2. de Consid. c. 8.

182. 183. Cum quisque ceterorum Domini discipulorum habeat suam navem, tibi una commissa est grandissima navis . 182. 183. Ibid.

184. Ipsa universalis Ecclesia toto orbe diffusa . . . . . 184. Epist. 140.

185. Deus ipse est unici huius tui primatus auctor. . . . . 185. Epist. 247.

186. Potestatem habes non solum percutiendi, sed etiam sanandi . . . . . 186. Epist. 50.

187. 188. Confugere ad viscera patris oppresso nemini hactenus negatum est, si ad vultum forte potentis, ut assolet, quis senserit praegravari . . . . 187. 188. Ibid. et Ep. 156 ad Innoc. II.

189. Manus tua nulli hactenus vel

negata oppressis, vel remissa praesumtoribus . . . . . 189. Epist. 251.

190. Tibi pro hoc ipso laus et gratiarum actio ab universa debetur Ecclesia . . . . . 190. Ibid.

191. 192. Quia non siluisti, non dissimulasti, non quievisti, efferbuisti ut debuisti . . . 191. 192. Ibid. et Ep. 198 ad Innoc. II.

193. 194. Hoc inter cetera tui singularis Primatus insignia specialius illustriusque nobilitat tuum, et inclytum reddit apostolatum . . . . . 193. 194. Ibid. et L. 3. de Cons. c. 1. 4. 8.

195. Non est ad quem appelleris, appellatur de toto mundo ad te 195. Ibid.

196. Id quidem in testimonium singularis Primatus tui . . . 196. Ep. 213 ad Innoc. II.

197. Quis autem faciet alicui iustitiam de te? . . . . . 197. Ibid.

198. Non datur Iudex, ad quem trahi possis . . . . . 198. Ibid.

199. 200. Recurrendum ergo ad eum, cui in praesenti datum est iudicare de universis, id est, ad te . . . . . 199. 200. Ibid.

201. Tu appellandus ad te, tu iudica inter illum, et te . . . 201. Ibid.

202. Etiam quaedam minutiae et exiguae portiones tibi creditae universitatis sunt tuae . 202. L. 3. de Consid. c. 4.

203. 204. Orbe exeundum ei, qui forte volet explorare, quae non ad tuam pertinent curam 203. 204. Ibid c. 1.

205. Omnia diiudicas, ut ipse a nemine iudiceris . . . . . 205. Ibid.

206. 207. Ad tuum apostolatum referri oportet pericula quaeque

et scandala emergentia in regno Dei . . . . . 206. 207. Epist. 190 ad Innoc. II.

208. Ea praesertim, quae de fide contingunt . . . . . 208. Ibid.

209—211. Ad tuam gloriam specialiter spectat surgentes succidere spinas, sedare querelas 209—211. Epist. 210. 288.

212. Quae autem apostolica firmantur auctoritate, rata semper existunt . . . . . 212. Ep. 370 ad Innoc. II.

213. 214. Nec alicuius possunt deinceps mutilari cavillatione, et hoc nulli dubium est . . 213. 214. Ibid.

215. 216. Eapropter ad hanc Apost. Sedem, Beatissime Pater, referenda sunt, quae in Conciliis tractantur . . . . . 215. 216. Ibid.

217. 218. Nam tuae serenitatis expectant ea comprobari iudicio, simul et auctoritate perpetuo roborari . . . . . 217. 218. Ibid.

219. 220. Sententiae pravi dogmatis tua auctoritate debent perpetua damnatione notari . . 219. 220. Ibid.

221—223. Et avulsis spinis et tribulis ab Ecclesia Dei, praevaleat adhuc laeta Christi seges succrescere, florere, fructificare . . . . . 221—223. Ibid.

224. Usquequo autem a tanta impudentia innocentia tanta vexabatur, et hoc vivo Innocentio? . . . . . 224. Epist. 199.

225. 226. Stat ergo inconcussum privilegium tuum tibi, tam in datis clavibus, quam in ovibus commendatis . . . . 225. 226. L. 2. de Consid. c. 8.

227—230. Nullus gradus praetermissus est, de quo non acceperit victoriam per te Ecclesia Dei in manu potenti et brachio excelso . . . . . 227—230. Epist. 383. ad Innoc. II.

231. 232. Merito Ecclesia Innocentio concedit ipsius vicem, quem per eadem vestigia gradientem cernit . . . . . 231. 232. Epist. 124.

233. Domini Papae Innocentii et innocentem vitam, et integram famam nec hostes diffitentur . . . . . 233. Epist. 127.

His sententiis laudatus auctor sequentia subiecit ad Summum Pontificem sui temporis: „Haec Bernardi Claravallensis Protoabbatis, inclyti non Galliae modo, sed etiam universalis Ecclesiae luminis elogio, (Ep. Innocentii XI ad Clerum Gall. a. 1682.) a tuo apostolico oraculo nuper confirmati, quo evangelicae libertatis et hierarchici ordinis studiosioris et amantioris, eo palpatoriae artis et partium studii ignorantioris et inferioris, praeclarissima orthodoxae veritatis testimonia ad sanctissimos antecessores tuos Innocentium II et Eugenium II potissimum conscripta, suisque pro hac S. Sede compluribus immortalibus ac maximis gestis, **Iosephus Maria a S. Stephano,** Ord. Cisterciensis monachus reformatus, theologica dogmata, ex argumentoso eiusdem melliflui doctoris Alveario depromta, ac augustissimo Sanctitatis tuae nomini in demississimae devotionis anathema sacrata, in literaria palaestra publice propugnaturus non alio titulo quam sui dulcissimi parentis re et nomine Tuae Beatitudini obsecuturus ad tuos sanctissimos pedes humillime provolutus D. D. D. 1686. — (Ex opere cit. denuo vulgatum in **Analectis Iuris Pontificii.** Romae. 1859. p. 1688. ss.)

---

585. 586.

Hadrianus IV PP. de Ecclesia Graecorum cum Romana reconcilianda. Circ. A. 1158.

585. MON. *AEppo Thessalonicensi.* Ex quo per invidiam hostis antiqui *CPna Sedes* a sacrosancta Romana et Apostolica, quod sine lacrymarum inundatione vix famur, Ecclesia seipsam separavit, et hominis inimicus proprium malitiae venenum effudit, et a matris obedientia liberi secesserunt, unitatisque locum binarius subiit: laborem multum et studium qui nos praecesserunt beati Petri successores adhibuerunt, ut schisma de medio tolleretur, et unitati Ecclesiae qui se ab ea separarunt redderentur. Quamobrem et nos, qui hoc tempore Apost. Sedis curam suscepimus, ut Deo placet, pro omnibus Ecclesiis, quae sunt intra terrarum orbem constitutae, quamvis beati Petri virtutibus par nihil habeamus, ministerio tamen fungi cogimur. Ad id credidimus attendendum, ne connumeremur, quod absit, iis, quos per Prophetam Dominus reprehendit: ‚Quod eiectum est, non introduxistis, quod infirmum, non sanavistis, et quod periit, non quaesivistis, et quod confractum, non obligastis.‘ Ideoque ad introductionem liberorum in locum Ecclesiae et unitatis, inventionemque amissae drachmae properemus, et apostolico praecepto incitati in eos, qui doctrinae sermones aspernantur, ut persvasum habeamus, fidelium admonitionem tempestive intempestive factam; et illius exemplo edocti, qui erat gloriae Dominus, et omnia in sua potestate habens inclinare fecit coelos, et descendit acceptaque servi forma se ipsum exinanivit, ut ovis amissa suo gregi restitueretur. Unde frater in Christo, dilectionem tuam his literis admonemus, ut hanc rem diligenter cures. Nam una sola est Ecclesia, et una sola sanctificationis arca, in quam unumquemque fidelium e diluvio servari oportet. Et circa unionem eius modis omnibus labores, tuaque cogitet prudentia, ut Ecclesia Dei non possit divisa consistere, ut omnem animam viventem e praesentis diluvii procellis intra unam arcam Ecclesiae con-

gregari oporteat ad beatum Petrum omnium fidelium gubernatorem.

Traditum est, *quonam modo S. Patres divino Spiritu illuminati omnium Ecclesiarum primatum s. Romanam Ecclesiam absolute obtinere iusserint, et ad eius sententiam omnium iudicium referri praescripserint;* et ad tollendam de medio divisionem ad unionem Ecclesiae, ad coniunctionem divisi parietis propter Dei dilectionem, propter animae salutem, et propter fruitionem gloriae, quae non marcescit, vigilanter adverte. Primum apud teipsum, deinde in aliis, quatenus divina gratia largitur, da operam, ut grex cum Ecclesia uniatur, et qui seipsos dominicas oves confitentur, ad gregem beati Petri revertantur, qui Domini iussu eorum curam suscepit. Nos quidem in hoc non temporariam laudem spectamus, non praetereuntem gloriam quaerimus, qui pascendi suscepimus officium. Servos nos omnium Dei servorum confitemur. Sed cum Dominum et Magistrum nostrum, ut unum mortuum resuscitaret in corpore, profectum fuisse et lacrymatum legimus ad sepulcrum, et dixisse ‚Lazare, exi foras': iudicamus indignum, si Domini retineamus talentum, et quos possumus in anima resuscitare negligamus. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 188. p. 1580.

586. *Responsum* **AEppi Thessalonicensis** *Basilii Acrideni.* Legimus tuam epistolam, — audivimus loquentem *ut Patrem, ut Pastorem, vel potius Archipastorem.* — Nos e sinu tuo excidisse negamus, et filiorum appellationem aut pastoralem curam non refugimus. — Tuto autem ac firmiter Dei gratia stetimus in beati Petri confessione. — Neque aliud novimus fundamentum, quam quod substructum est. Eademque tecum praedicamus et docemus ego iique omnes, qui ad magnam apostolicamque Sedem CPnam pertinemus. Et unus, qui in utrisque Ecclesiis personat, sermo fidei: idemque sacrificatur agnus, qui tollit peccata mundi, Christus, inter Occidentales Antistites, qui sub tuum principale culmen agunt, et nos, qui ab oriente sole sublimi, CPna Sede, sacerdotii accepimus splendorem: quamvis parva quaedam offendicula in medio interiecta nos separarint, et ex uno eodemque spiritu multos fecerint. *Quae omnino tollere de medio, et velut lapides iuxta propheticum sermonem e via proiicere, unitatemque Ecclesiarum sine offendiculo constituere tuae Sanctitatis erit: quae Christi exemplo velut e coelo prospiciens,*

distantia in unum congregare vult et potest. — Tua integritas, undique perfecti Christi tam sede quam peritia et vitae splendore, imaginem et similitudinem referens, poterit omnino dissidio causam praebentia scandala removere, et Ecclesiis unionem soliditatemque restituere. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 59. p. 1140.

587.

Thomas AEppus Cantuariensis omnem suam cum Rege Angliae causam iudicio Summi Pontificis Alexandri III. submittit, A. 1163. ss.

MON. Ad audientiam tuam, Pater sanctissime, confugio, ut qui Ecclesiae libertatem tanto tui discrimine redemisti, eam vel solam vel maximam meae persecutionis causam attendas, quod exemplo tuo usus sum. Dolui enim statum Ecclesiae labefactari paululum, et iura eius in avaritiam Principum dissipari, et occurrendum credidi morbo venienti. Et quo plus illi domino meo, cui post Deum cetera debeo, me sciebam obligatum, eo tutius iniquis eius instigationibus arbitrabar resistendum, donec obtinuerunt illi, et serenitatem eius offuscaverunt mihi. Exinde, ut mos est apud principes, criminationes et calumnias iniecerunt in occasionem persecutionis meae, et ego eiici malui quam subscribere. Accessit etiam his malis, quod vocatus sum coram Rege tamquam laicus, ut satisfacerem, et unde mihi suffragia speraveram, sum destitutus. Animadverti enim dominos et confratres nostros Eppos istos pro aulicorum arbitrio in me paratos animadvertere. Ita cunctis incursantibus fere suffocatus ad tuae pietatis audientiam, quae nec in extremis agentes negligit, respiravi. Sub quo demonstraturus adsto, *me nec ibi fuisse iudicandum, nec ab illis. Nam quid aliud esset, patres mei, nisi vestra vobis iura subtrahere?* quid aliud, quam spiritualia temporalibus submittere ? Semel natum hoc exemplum esset ad multa. Ideoque credidi firmius resistendum, quod affectus proclivior nocendi nasceretur, si prius debilitatem agnoscerent. At, inquient, reddenda erant Caesari, quae Caesaris erant. Sed etsi

in pluribus obtemperandum sit regi, in illis tamen obtemperandum non est, quibus efficitur, ne rex sit. Non essent illa Caesaris, sed tyranni, in quibus etsi non pro me, pro seipsis ei resisterent. Nam si illi extremum reservatur iudicium, qui potens est iudicare corpus et animam, numquid extrema erit inter homines et summa potestas ei, qui iudicat secundum spiritum? si iustam foverent causam, quid me impetebant? *quid me arguunt, si ad eum appellavi, apud quem mentiri vel non licet vel non expedit?* Aut iniuste in me causabantur, aut de iustitia vestra diffidebant. Dupliciter enim confundebar, si coram sanctitate vestra convincerer. Nec miror tum laicos in clerum huiusmodi machinari conscriptionem, sed dominos et fratres meos non solum huius factionis conscios, verum etiam prolocutores extitisse admiror. Nam quid eorum persecutionem metui, pro quibus tantis occursibus me opposueram? Obtinuissem, si voluissent illi. Sed male caput agit, si a membris destituitur, quin etiam si oculi lingvam contra caput assumant. Si bene praevidissent, in se perniciem machinabantur, et eorum usi sunt principes auxilio in eorum servitutem. Quae haec tanti odii causa fuerat, ut pro me exstingvendo seipsos extingverent? Ita dum spiritualia pro temporalibus negligunt, deficiunt in utrisque. Quid quod me etiam reclamantem et audientiam vestram appellantem, patrem suum in praeiudicio damnare ausi sunt? Quid si eandem in universam Ecclesiam cum offenso nobis principe conspirationem fecerunt? Et te, Pater sanctissime, suspicio ista poterat attingere. At, inquient, Regi tenebantur ex debito Domini. Sed illi corporaliter, mihi spiritualiter. Cui potius teneri potuerunt, quam sibi ipsis? Nonne potius corporalium damnum quam spiritualium negligendum fuit? Inquiunt rursus, hoc tempore principem non fuisse provocandum. Quam subtiliter in suam servitutem argumentantur! imo ipsi provocant, qui excessibus suis alas praebent, et suffragium. Quievisset enim ille, nisi acquievissent illi. Et quo tempore magis constantia exigitur quam inter persecutores? Nonne familiares ex persecutionibus comprobantur? si semper succumbant, quomodo obtinebunt? Necesse est aliquando resistant. Condescende ergo, pater sanctissime, in fugam meam et persecutionem, et me aliquando magnum fuisse reminiscere tempore tuo et propter te iniuriis lacessitum. Utere rigore tuo, coerce eos, quorum instinctu nomen huius persecutionis erupit.

Nec domino regi horum aliquid imputetur, qui huius machinationis est minister potius quam repertor. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 190. p. 437.

588.

C. Lateranense III. A. 1179. pro suprema potestate Rom. Pontificis.

MON. *Can. 10.* — Ex hoc tamen (ne ille sibi Romani Pontificatus assumat honorem, qui a paucioribus quam a duabus partibus Cardinalium fuerit electus) nullum canonicis constitutionibus et aliis eccles. regulis praeiudicium generetur, in quibus maioris et sanioris partis debet sententia praevalere : quia quod in eius dubium venerit, superioris poterit iudicio definiri. *In Romana* vero *Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad superiorem haberi.* — **Sever. Binii** *Concil.* t. 3. part. 2.

589.

Urbanus III PP. in prima sua encyclica de Romanae Ecclesiae praerogativa, a. 1185.

MON. Coelestis altitudo consilii firmam retinens in sua dispositione censuram, *sacrosanctam Romanam Ecclesiam*, ad cuius regimen sumus licet insufficientes assumti, *supra petram fidei soliditate fundavit, illud ei tribuens in apostolicae confessionis fortitudine firmamentum, cui nec procella turbinis, nec praevalere possit spiritus tempestatis.* Unde ipsa universalis mater Ecclesia usque ad consummationem seculi manentem secum retinens Salvatorem, ita iuxta canticum Salomonis quem dilexit amplectitur, ut pro nulla rerum varietate vel temporum ab unitate suae fidei vel pietatis proposito separetur. Licet enim vel crebra decedentium mutatione pastorum in varia discrimina frequenter inciderit, vel per mundanae malignitatis incursum persecutiones innumeras pertulerit et labores, numquam tamen eam gratia divina deseruit, quominus robur eius in qualibet tentatione perficeret, et inde obtineret spei suae gaudium, unde susceperat fidei firmamentum. — **Bullarium** *edit. Taurin.* III. 32.

SECULUM DECIMUMTERTIUM.

590—611.

Innocentius III PP. A. 1198. ss. frequentiores edidit de summa potestate Romanae Sedis literas: sed praesertim in suis cum **Graecis** correspondentiis Primatum Eccl. Romanae insigniter evolvit.

590. MON. *Eppo Bambergensi de translatione Praesulum. A. 1198.* Quanto personam ven. fr. nostri *Hildesimensis* quondam eppi sinceriori diligebamus affectu, tanto securius sperabamus, quod nihil adversus matrem suam Romanam Ecclesiam in praeiudicium sui ordinis et eccles. disciplinae dispendium attentaret. Sane, sicut certa multorum assertione comperimus, et suarum didicimus nihilominus testimonio literarum, quibus ad nos directis *Herbipolensem* se pontificem nominabat, ipse relicta Hildesimensi Ecclesia, cui fuerat spirituali coniugio copulatus, ad Herbipolensem sine auctoritate Romani Pontificis propria temeritate transivit, non attendens, quod Veritas in Evangelio protestatur: ‚Quod Deus coniunxit, homo non separet.' *Potestatem enim transferendi pontifices ita sibi retinuit Dominus et Magister, quod soli beato Petro vicario suo et per ipsum successoribus suis* et nobis ipsis, qui locum eius licet indigni tenemus in terris, *speciali privilegio praebuit et concessit,* sicut testatur antiquitas, cui decreta patrum sanxerunt reverentiam exhibendam, et evidenter asserunt s. canonum sanctiones. Non enim homo sed Deus separat, quod Romanus Pontifex, qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris, Ecclesiarum necessitate vel utilitate pensata, non humana sed divina potius auctoritate dissolvit. Nolentes autem tantae praesumtionis audaciam relinquere impunitam, — praecipimus, ut visis li-

teris nostris, omni contradictione et appellatione cessantibus, administrationem Herbipolensis Ecclesiae tam in spiritualibus quam temporalibus penitus derelinquat etc. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 214. p. 306.

591. *AEppo Turonensi in eodem merito.* Cum fortius sit spirituale vinculum quam carnale, dubitari non debet, quin omnipotens Deus spirituale coniugium, quod est inter Eppum et Ecclesiam, suo tantum iudicio reservaverit dissolvendum, qui dissolutionem carnalis coniugii, quod est inter virum et feminam, suo tantum iudicio reservavit praecipiens, ut quos Deus coniunxit, homo non separet. *Non enim humana sed divina potius potestate coniugium spirituale dissolvitur, cum per translationem vel depositionem aut etiam cessionem auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse vicarium Iesu Christi, Eppus ab Ecclesia removetur. Et ideo tria haec, quae praemisimus, non tam constitutione canonica, quam institutione divina soli sunt Romano Pontifici reservata.* — Nos ergo, qui sacra docente Scriptura monemur, ne nostrum alii demus honorem, quoniam apostolatui nostro multis referentibus innotuerat, quod tu magistrum W. de Chimeleio, qui electus fuerat in Abrincensem Eppum, et per Metropolitanum suum postea confirmatus diutius tam in spiritualibus quam in temporalibus ministrarat, in Andegavensem Ecclesiam praeter apost. sedis auctoritatem praesumsisti transferre et eppum consecrare, quem et ven. fr. noster Rothomagensis AEppus praeter apost. sedis mandatum absolvit et ei tribuit licentiam transeundi : ven. fr. nostro Bituricensi AEppo, de quo plenam fiduciam obtinemus, dedimus in mandatis, ut inquisita super hoc plenius veritate, si rem gestam taliter inveniret, te et Rothomagensem AEppum, qui saltem apost. sedem super hoc consulere debuistis, a confirmatione pariter et consecratione pontificum, memoratum vero W. ab executione pontificalis officii, nostra fretus auctoritate suspenderet. Qui mandati nostri diligens executor — te et dictum AEppum iuxta tenorem apostolici mandati suspendit. Quia vero tu et dictus AEppus nobis humiliter et devote — supplicastis, ut veniam dantes errori, quia non ex malignitate sed ex simplicitate peccastis, — vestris canis misericorditer parceremus : nos, — de consveta Romanae sedis clementia poenam inflictam duximus relaxandam etc. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 214. p. 422.

592. *Ad Praesules Siciliae de libera ad Sedem Apost. appellatione, a. 1198.* — — Volumus etiam et mandamus, *ut* de cetero *ad Romanam Ecclesiam libere, cum opus fuerit, appelletis, et interpositis ad nos appellationibus curetis humiliter et devote deferre.* Nos etiam quoties necessitas postulaverit *Apost. Sedis legatos ad vos curabimus destinare*, qui quae plantanda sunt plantent, et evellant quae fuerint evellenda, quorum obediatis monitis et praeceptis. Nullo prorsus in omnibus praescriptis obstante privilegio vel rescripto, quod a Sede Apost. fuerit impetratum. Ut autem quae praescripta sunt apud vos nulla possint oblivione deleri, mandamus atque praecipimus, quatenus forma literarum istarum ad perpetuam memoriam in maioribus Ecclesiis transscripta servetur. — **Bullarium** *edit. Taurin.* III. 131.

593. **Innocentius III. PP.** *de* **unione Graecorum** *cum Ecclesia Romana, ad Imper. CPnum, a. 1198.* Imperialis excellentiae magnitudo si se coram eo humiliaverit, qui humilia respicit et alta a longe cognoscit, et super eo sui stabilierit imperii fundamentum, praeter quod aliud poni non potest, quod est ipse Iesus, et super quo ipse Dominus noster nascentis Ecclesiae posuit fundamentum, Super hanc petram, inquiens, aedificabo Ecclesiam meam': exaltabitur et elevabitur. — Ut autem firmius et fortius imperium tuum in huius fundamenti firmitate persistat, oportet, ut Deum universis tuis affectibus anteponas, et sponsam eius *Romanam Ecclesiam,* cuius ipse fundamentum et fundator existit, praecipue venereris; ut dum in dilectione Sponsi et sponsae perstiteris unitate, ex nulla parte celsitudinis tuae sublimitas. quatiatur. Verum ut non ad detractionem sed tuam potius correctionem loquamur, miramur non modicum, murmurat etiam adversum te populus Christianus, imo et ipse Iesus, ubi ille te increpat: Hospes fui et non collegisti me etc. Cum enim peccatis nostris exigentibus venerint gentes in haereditatem Domini et coinquinaverint templum sanctum eius, — nec Christo exuli subvenire nec ad liberationem terrae nativitatis ipsius intendere hactenus, sicut debueras, curavisti. — Est etiam aliud, propter quod non solum adversus te, imo adversus Romanam Ecclesiam, quae id hactenus quasi sub dissimulatione transivit, murmurat populus christianus. Cum enim Dominus noster *unam* sibi sponsam elegerit, non habentem maculam neque rugam; — cum

etiam inconsutilis tunica Christi divisa non fuerit, et in Symbolo contineatur expresse ‚Credo unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam‘: *Graecorum populi ab unitate apostolicae Sedis et Romanae Ecclesiae recedentes, quae disponente Domino cunctorum fidelium mater est et magistra, sibi aliam Ecclesiam confinxerunt,* si tamen, quae praeter unam est, Ecclesia sit dicenda. Ut igitur in utroque praedictorum murmur sileat populi christiani, imo ut Christum tibi reddas propitium, celsitudinem tuam rogamus, monemus, et exhortamur in Domino, — quatenus postpositis aliis sollicitudinibus, viriliter ac potenter assurgas in adiutorium Iesu Christi; — studeas etiam, imo sicut potes efficias, ut Graecorum Ecclesia redeat ad Sedis Apost. unitatem et ad matrem filia revertatur, ut oves Christi ab uno pastore regantur, sicut ei mandatur a Domino: ‚Diligis me Simon Petre? pasce oves meas‘, et ut sub uno capite cuncta membra corpori connectantur, illo videlicet, cui Dominus ait: ‚Tu vocaberis Cephas, quod caput interpretatur.‘ —

594. *Ad Patriarcham CPnum.* Reprobata quondam propter ingratitudinis vitium perfidia Iudaeorum, et oblato synagogae, quia non cognovit tempus visitationis suae, libello repudii, unam sibi Ecclesiam ex gentibus congregatam, non habentem maculam neque rugam, Dominus noster elegit, iuxta quod legitur in Canticis Canticorum: ‚Una est electa mea, sponsa mea, immaculata mea!‘ Ipse quoque Dominus Iesus Christus unum esse ovile ovium, unum pastorem in Evangelio protestatur; et in apostolorum symbolo unam esse cath. et apost. ecclesiam fides catholica profitetur. Hanc autem idem Dominus I. C. in seipso lapide angulari fundavit, et eius magisterium apostolorum principi beato Petro, cui licet insufficientes in apostolatus successimus dignitate, concessit: ‚Tu es, inquiens, Petrus etc.‘ et paulo post subdidit: ‚et tibi dabo claves etc. et etiam curam ovium suarum eodem verbo tertio repetito commisit dicens: Pasce oves meas;‘ et quod eius fides numquam deficeret, se orasse fatetur, loquens ad eum in Evangelio: ‚Ego pro te rogavi etc.‘ Praeterea licet universis Apostolis dixerit in communi: ‚Accipite Spiritum S. etc.‘ ad eum tamen verbo utitur speciali dicens: ‚Quodcunque ligaveris etc.‘ Hoc autem Graecorum populus non attendens, aliam sibi confinxit Ecclesiam, et ab apostolicae Sedis unitate recessit, nec constitutionem Domini, nec Petri magisterium imitatus, et inconsutilem vestem Domini,

cui crucifixorum manus in aliarum vestium divisione pepercit, scindere usque hodie, licet frustra, conatur; non attendens, quod una tantum extitit arca, intra quam sub uno rectore quicunque fuerunt leguntur in cataclysmo salvati; qui autem extra ipsam inventi sunt, omnes in diluvio perierunt. Quia igitur id in scandalum nostrum et fidei christianae redundat dispendium, nec iam possumus vitare clamores Ecclesiae generalis, quae nos et praedecessores nostros negligentiae ac tarditatis redarguit, monemus fraternitatem tuam et exhortamur in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus omnimodam sollicitudinem et efficacem operam interponas, ut Graecorum universitas redeat ad Ecclesiae unitatem, et ad matrem filia revertatur, et fiat iuxta verbum Domini unum ovile et unus pastor. —

595. *Responsum Patriarchae CPni. a. 1199.* Scriptum a tua sanctitate — nostrae humilitati directum quam gaudenter suscepimus, et quod in eo continebatur diligentius rimando impossibile habuimus, quomodo non omnino tuam laudaremus sanctitatem pro vestro divino zelo et ignito proposito de nostrum et vestrum secundum fidem unione, cum et haec nostram humilitatem, tuae virtutis constantia, et tua digni pontificatus diligentia nos clare docuerint. — Quod autem mihi in tuae sanctitatis scripto non modicam superinduxit ambiguitatem, non abscondam. Nam et pro miro habeo, quomodo unam et universalem Romanorum vocasti Ecclesiam, ut quasi iam divisam in species quasdam specialissimas, et haec uno existente grege ovilium Christi nobis quodammodo pastoribus sub eo constitutis pastorum principe communique doctore. Et quomodo erit, quod apud vos Romanorum Ecclesia mater, ut dixisti, communis aliarum Ecclesiarum, et secundum quas aliquas rationes et per quas unquam causas, quaero, addiscere dubitans. Quod autem mihi et plus extendit ambiguitatem, dicam: et indulge mihi, sacerrime Papa, si nunc primo hunc patriarchalem sacrum thronum me ascendentem, nondum de tali hac dubitatione diligentem solutionem addiscere accidit. Audiens enim quis in Psalmis David dicentem matutinis ‚Sion dicet: homo et homo natus est in ea', secundum veram utique verbi et iustitiae aequitatem *Ierosolymitanam* Ecclesiam matrem aliarum Ecclesiarum nominabit, praerogantem secundum fidem tam tempore quam et dignitate. In ea enim utique ut novissimus omnium Christus et natus est secundum car-

nem et conversatus, et docens atque praedicans nostram fuit salutem, novissime per crucem pro nobis mortem sustinens, lapidem in quo corpus huius fuit sepultum, depositum ibi reliquit. Clare utique signum suae in terris conversationis ibi Christo discipuli occurrentes crédiderunt, hunc filium Deo et Patri consubstantialem esse; quamvis perfectam humanam naturam indutus sibi secundum substantiam homo tantum in superficie videbatur. Inde Christi mirabilium fons emanavit, et inde ut ex quodam principio alii quidam exorti sunt divina fluentes fluvii et universum orbem irrigantes, rivos etiam Ecclesiae, quae apud vos est, replentes. Igitur numquid ob haec et alia talia quis Ierosolymitanam Ecclesiam matrem omnium dicet Ecclesiarum? aut non praeornatam praedicationem audisti Pauli? a Ierusalem clare debet incipi. Dicit enim: ‚et usque ad Illyricum praedicare Evangelium.‘ Haec quidem dicet quis, audiens Ecclesiam, quae apud vos est, generalem et universalem nominatam. Ego vero lactanter addiscam causam, et acceptabo eam sine contradictione rationem habentem. Reprehensionem autem a tua sanctitate nobis superinductam silere nequeo, ut scindentibus quasi unam et desuper contextam Christi vestem, et sic a vobis usque nunc et discissis: dicente enim in Evangeliis Salvatore Christo de modo essentiae S. Spiritus ei consubstantialis, qui ex Patre procedit, et duas has substantiales proprietates dicente, — et hanc omnibus patribus in Nicaeam concurrentibus immutabiliter sic ex Patre Spiritus processionem ampliantibus, extunc universi orbis synodis sacro symbolo et doctrinae nil apponentibus, in quibus et quidam tunc pontificalem thronum veteris Romae gubernantes per se ipsos interfuere; — hac quoque fide usque ad nos sine aliqua interruptione perveniente, quid nos oporteat facere, non parum est haesitandum in ambiguitatem atque discessionem non parvam incidere, donec de hoc quaestio solvatur. Quaero nunc hinc addiscere causam, quae divisa est et indivisibilis vestis Christi. —

596. *Papa respondet Patriarchae ad praeviam literam.* Apostolicae Sedis *primatus,* quem non homo sed Deus, imo verius Deus-homo constituit, multis quidem et evangelicis et apostolicis testimoniis comprobatur, a quibus postmodum constitutiones canonicae processerunt, concorditer asserentes: *S. Romanam Ecclesiam in beato Petro apostolorum principe consecra-*

tam, quasi magistram et matrem ceteris praeeminere. Hic enim cum interroganti Domino, quem homines esse dicerent filium hominis, aliis referentibus opiniones aliorum, ipse velut inter ceteros primus eum esse Christum Dei vivi Filium respondisset, audire promeruit: Tu es Petrus etc. et post pauca: Tibi dabo etc. — Huius etiam primatum Veritas per se ipsam expressit, cum inquit ad eum: Du vocaberis Cephas; quod etsi Petrus interpretetur, *caput* tamen exponitur, ut sicut caput inter cetera membra corporis, velut in quo viget plenitudo sensuum, obtinet principatum, sic et Petrus inter apostolos, et successores ipsius inter universos Ecclesiarum praelatos praerogativa praecellerent dignitatis, vocatis sic ceteris in partem sollicitudinis, ut nihil eis de potestatis plenitudine deperiret. Huic Dominus oves suas pascendas vocabulo tertio repetito commisit, *ut alienus a grege Dominico censeatur, qui eum etiam in successoribus suis noluerit habere pastorem.* Non enim inter has et illas oves distinxit, sed simpliciter inquit: Pasce oves meas, ut omnes omnino intelligantur ei esse commissae. *Iacobus* enim frater Domini, qui videbatur esse columna, *Ierosolymitana* sola contentus, ut ibi semen fratris praemortui suscitaret ubi fuerat crucifixus, Petro non solum universam Ecclesiam sed totum reliquit seculum gubernandum. Quod ex eo etiam evidenter apparet, quia cum Dominus apparuisset in littore discipulis navigantibus, sciens Petrus quod Dominus esset, se misit in mare, ac aliis navigio venientibus, ipse sine beneficio navis ad Dominum festinavit. — Iterum etiam ut se unicum Christi vicarium designaret, ad Dominum super aquas maris mirabiliter ambulantem et ipse super aquas maris mirabiliter ambulavit. — Pro eo Dominus se orasse fatetur, inquiens in articulo passionis: Ego pro te rogavi etc. ex hoc innuens manifeste, quod successores ipsius a fide catholica nullo unquam tempore diviarent, sed revocarent magis alios et confirmarent etiam haesitantes, per hoc sic eis confirmandi alios potestatem indulgens, ut aliis necessitatem imponeret obsequendi. — Huic praeterea dictum in Evangelio et audisti saepius et legisti: Quodcunque ligaveris etc. Quodsi omnibus etiam apostolis simul dictum esse reperias, non tamen aliis sine ipso, sed ipsi sine aliis attributam esse cognosces ligandi et solvendi a Domino facultatem, ut quod non alii sine ipso, ipse sine aliis posset ex privilegio sibi collato a Domino et concessa plenitudine

potestatis. — Demum post passionem suam Dominus Petro dixisse legitur: ‚Tu me sequere,‘ quod utique non tam de sequela perferendae passionis quam creditae dispensationis debet intelligi, cum et Andreas et quidam alii praeter Petrum sicut Dominus fuerint crucifixi, sed solum Petrum sustinuit sibi Dominus et in officio vicarium et in magisterio successorem. Unde *post Ascensionem Domini Petrus velut successor ipsius regere coepit Ecclesiam,* ad complendum duodenarium discipulorum numerum loco Iudae praevaricatoris ex verbis Prophetae alium instituens et faciens subrogari, et recepto Paracleto discipulos non musto repletos, sed Spiritus S. gratia illustratos ex verbis Ioelis apertius comprobavit. Hic poenitentiam agere iussit et baptisari credentes. Hic inter discipulos curando claudum primus fuit miraculum operatus, et in Ananiam et Saphiram — mortis sententiam pronunciavit. Hic simoniacae pestis radicem contra primitivam Ecclesiam pullulantem apostolica falce succidit, solus in Simonem magum sententiam damnationis promulgans, licet non ei soli sed omnibus communiter pecuniam obtulisset. Ipse praeterea, cum in eum mentis cecidisset excessus, vidit coelum apertum, et descendens vas quoddam, — quod orbem, et universitas contentorum in eo universas significat tam Iudaeorum quam gentium nationes. Qui licet postmodum ex revelatione divina ab Antiochia fuerit translatus ad Urbem, non tamen concessum sibi primatum deseruit, — cum Dominus eum nullatenus minorare voluerit, quem Romae praeviderat martyrio coronandum. Sane cum ipse postmodum Romanam Ecclesiam suo sangvine consecrasset, primatum Cathedrae successori reliquit, totam in eo transferens plenitudinem potestatis. Pro patre siquidem nati sunt ei filii, quos Dominus principes super omnem terram constituit. Sane cum per navim Petri Ecclesia figuretur, tunc Petrus iuxta praeceptum Dominicum navim duxit in altum, laxans praedicationis retia in capturam, cum ibi posuit Ecclesiae principatum, ubi vigebat secularis potentiae altitudo et imperialis monarchia residebat, cui fere singulae nationes, sicut flumina mari tributa solvebant certis temporibus constituta. Ipse quidem primus Iudaeos, ipse quoque primus gentiles post ascensionem Christi convertit ad fidem, ut super utrosque fideles se primatum accepisse monstraret. — Cum autem inter Apostolos ad consultationem credentium magna fieret conquisitio, utrum oporteret circumcidi fideles et legem

Mosaicam observari: Petrus principali fretus auctoritate respondit: ‚quid tentatis Deum, imponere iugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?' Cuius sententiam subsecutus, apostolicum super ipsa quaestione decretum Iacobus promulgavit. Paulus etiam — venit Ierosolymam, ut videret Petrum, cum eo Evangelium, quod in gentibus praedicaverat, collaturus, ne forte in vacuum curreret aut etiam cucurrisset, cum etiam singularis apostolatus privilegium recognoscens, antonomastice scribit de illo: ‚Qui operatus est Petro in apostolatum, operatus est et mihi inter gentes.' — Haec autem non idcirco praemisimus, ut nos, qui ei licet indigni successimus in apostolatus officio, extra nos ambulare velimus in magnis, aut super nos in mirabilibus exaltare, cum a Domino dictum esse noverimus: ‚omnis qui se humiliat exaltabitur, et qui se exaltat humiliabitur.' — Sed quia per haec et alia, sicut credimus, quae tua non debet fraternitas ignorare, apostolicae Sedis magisterium recognoscens, eam super quibusdam dubitationum articulis consulere decrevisti: quod utique gratum gerimus et acceptum, et tuam exinde prudentiam commendamus; non quod existimemus nos quasi sufficientes ex nobis, sed nostra sufficientia est ex Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat, qui lingvas infantium facit disertas, et aperit ora mutorum.

Quaesivisti dubitans et addiscere volens, *qua ratione Romanam Ecclesiam unam et universalem in nostris literis vocaverimus*, velut in quasdam species specialissimas iam divisam: cum et unus sit pastor et unum ovile, licet sub uno pastorum principe Christo plures sint constituti pastores. Nos autem inquisitioni tuae taliter respondemus, quod Ecclesia duabus de causis universalis vocatur. Intelligentia namque dictorum ex causis est assumenda dicendi, cum non res sermoni, sed rei sit sermo subiectus. Dicitur enim universalis Ecclesia, quae de universis constat Ecclesiis, quae graeco vocabulo ‚catholica' nominatur. Et secundum hanc acceptionem vocabuli Ecclesia Romana non est universalis Ecclesia, sed pars universalis Ecclesiae, prima videlicet et praecipua, veluti caput in corpore, quoniam in ea plenitudo potestatis existit, ad ceteros autem pars aliqua plenitudinis derivatur. Et dicitur universalis Ecclesia illa una, quae sub se continet Ecclesias universas. Et secundum hanc nominis

rationem Romana tantum Ecclesia universalis nuncupatur, quoniam ipsa sola singularis privilegio dignitatis ceteris est praelata; sicut et Deus universalis Dominus appellatur, non quasi iam divisus in species specialissimas, aut etiam subalternas, sed quoniam universa sub eius dominio continentur. Est enim una generalis Ecclesia, de qua Veritas inquit ad Petrum: ‚Tu es Petrus etc.' Et sunt multae particulares Ecclesiae, de quibus Apostolus ait: ‚Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum.' Ex omnibus una consistit, tamquam ex particularibus generalis, et una praeeminet omnibus, quoniam cum unum sit corpus Ecclesiae, de quo dicit Apostolus ‚omnes unum corpus sumus in Christo', illa velut caput ceteris membris excellit.

Qaesivisti etiam et te asseruisti non modicum dubitare, cupiens addiscere causam, quam acceptabis sine contradictione rationem habentem: cum David de Ierusalem dicat in psalmis matutinis ‚Sion dicet etc.' utpote in qua Christus dignatus est conversari, praedicare pariter et docere, ac nostram operari salutem, in ea nostrae ponens fidei fundamenta, — *cur mater omnium Ecclesiarum Ecclesia Romana dicatur, quae ab Ierosolymitana Ecclesia orthodoxae fidei sacramenta recepit,* cum Apostolus etiam inquiens se usque ad Illyricum Evangelium praedicasse, quod quasi a Ierusalem incoeperit, evidenter ostendat. Licet autem ex praemissis intelligatur et huic inquisitioni responsum, cum Ecclesia Romana mater dicatur non ratione temporis, sed ratione potius dignitatis, — ad omnem tamen dubietatem tollendam tua fraternitas debet distingvere secundum diversas nominis rationes inter Romanam et Ierosolymitanam Ecclesias, quod ista dicenda sit mater fidei, quoniam ab ea sacramenta fidei processerunt; illa vero dicenda sit mater fidelium, quoniam privilegio dignitatis universis fidelibus est praclata. —

Gaudemus autem non modicum, et utinam in te ac super te nostrum gaudium impleater, quod apostolatus nostri sollicitudinem super unione Latinorum et Graecorum Ecclesiae commendasti, pro divino zelo et ignito proposito, quae nos expressisti habere in tuarum serie literarum, super qua etiam imperialis nobis celsitudo rescripsit, quod, ut verbis eius utamur, nostrae sanctitatis est secundum praecedentes synodales operationes pro requisitis dogmatibus synodalem conventionem fieri dispensare, et nostra sic sanctitate faciente, sanctissima quae apud vos est

Ecclesia non ad conventum tardabit. Licet autem, sicut ex praedictis apparet, Ecclesia Romana non tam constitutione synodica quam divina caput et mater omnium Ecclesiarum existat, et ideo nec pro disparitate rituum nec dogmatum diversitate differre debueris, quin nobis sicut tuo Capiti secundum antiquum et canonicum statum benignius et devotius obedires, cum certa non sint pro dubiis relinquenda: nos tamen pro multis necessitatibus ecclesiasticis disposuimus auctore Domino generale convocare concilium et synodalem celebrare conventum, ad quem si vocatus a nobis iuxta ipsius imperatoris promissionem occurreris, cum haec sint dogmata, quae nostris literis requisivimus, ut scilicet membrum ad caput et ad matrem filia revertatur, Ecclesiae Romanae reverentiam et obedientiam debitam impensurus, te sicut fratrem carissimum et praecipuum membrum Ecclesiae benigne ac hilariter admittemus. — Alioquin cum scandalum Ecclesiae non debeamus ulterius sustinere, qui de area Domini zizania debemus et paleas exsufflare, dissimulare non poterimus, quin in ipso Concilio, si desuper datum fuerit, in hoc negotio de fratrum nostrorum consilio procedamus.

597. *Translato a Graecis ad Latinos imperio Orientali, gaudet Pontifex de reditu Ecclesiae CPnae ad obedientiam Sedis Apostolicae eique Patriarcham praeficit, A. 1204.* Evangelica docente Scriptura didicimus, quod ascendens Iesus in unam navem, quae erat Simonis, rogavit eam reducere a terra pusillum, et sedens docebat de navicula turbas. Sicut per mare seculum, ita per navem Ecclesia, et per rete praedicatio designatur. Navis ergo Simonis est Ecclesia Petri, quae bene dicitur una, quia catholica Ecclesia una est, quam Christus commisit Petro regendam, ut unitas divisionem excludat. — Alia navis erat Graecorum Ecclesia, quae fecit se aliam, cum ab unitate universalis Ecclesiae se alienare praesumsit. Et illis quidem innuimus, cum eos per literas et nuntios nostros monuimus, ut venirent et adiuvarent nos, id est, ut revertentes resumerent partem sollicitudinis nostrae, tamquam coadiutores dispensationis nobis iniunctae. Venerunt autem per Dei gratiam, quia postquam diebus istis CPnum Imperium a Graecis translatum est ad Latinos, Ecclesia quoque CPna rediit ad obedientiam Apostolicae Sedis, tamquam ad matrem filia, et membrum ad Caput, ut inter nos et illos societas indivisa de cetero perseveret. Sane fatemur illos

fratres, socios et amicos, quia licet super eos praelationis officium habeamus, haec tamen praelatio non inducit dominium, sed potius servitutem. — Ecce ergo socii nostri veniunt, ut adiuvent nos, quia Graecorum Ecclesia redit ad obedientiam Apost. Sedis, ut eorum adiuta subsidio liberet duas eius sorores, Alexandrinam videlicet et Hierosolymitanam Ecclesias, quae captivae tenentur sub iugo regis Aegypti, et invitae serviunt Pharaoni. — Socii nostri veniunt, ut adiuvent nos, quoniam ubi dextera Domini, quae glorificata est in virtute, CPnum imperium a Graecis transtulit ad Latinos, volentes hi, qui fuerant in exercitu Latinorum, imperio ipsi de persona idonea providere, ex principibus Galliarum imperatorem concorditer elegerunt. Ut autem Venеti, qui fuerant laboris participes, essent pariter consortes honoris, placuit Latinis in communi, ut de Clero Venetiarum assumeretur vir idoneus, et praeficeretur CPnae Ecclesiae patriarcha. Cum ergo quidam clerici Venetorum fuissent Ecclesiae S. Sophiae servitio deputati, ne acephali sine capite viderentur, de praeficiendo sibi pastore tractantes, convenerunt in unum, et dil. filium Thomam subdiaconum nostrum in Patriarcham unanimiter elegerunt, et confirmationem electionis suae per nuntios proprios a nobis humiliter postularunt. — Cum ergo huiuscemodi nobis fuisset electio praesentata, licet de persona electa — sufficientem notitiam haberemus, — electionem tamen examinavimus iuxta morem, et eam invenimus contra formam canonicam attentatam, non tam ex eo, quod a multis extitit contradictum, et ab aliquibus etiam appellatum, etsi postmodum fuerit a contradictione pariter et appellatione recessum, quam pro eo, *quod, cum laicis quantumcunque religiosis disponendi de rebus ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, auctoritate alicuius principis secularis in CPna Ecclesia nec debuerat nec potuerat eligi Patriarcha.* Sed nec clerici Venetiarum, qui Ecclesiae S. Sophiae se canonicos electos appellant, in eadem Ecclesia ius habuerant eligendi, cum in ea neque per nos, neque per legatos aut delegatos nostros fuerint instituti; propter quod electionem ipsam de communi fratrum nostrorum consilio curavimus in publico consistorio reprobare. Verum cum personarum delictum in damnum ecclesiarum non debeat redundare, nec idem subdiaconus in aliquo deliquisset, utpote qui absens fuerat et irrequisitus electus, memores precum Imperatoris, — et eidem Ecclesiae,

cuius ad nos ordinatio specialiter pertinebat, providere volentes, — ex collata nobis plenitudine potestatis eundem subdiaconum nostrum tamquam membrum Apostolicae Sedis, elegimus et confirmavimus eidem Ecclesiae patriarcham. —

598. *Pacta de devisione possessionum ecclesiasticarum inter Gallos et Venetos occasione suscepti a Latinis imperii CPni inita rescindit Summus Pontifex, A. 1204.* a) *Duci Venetiarum.* Venientes ad Apost. Sedem dil. filios — nuntios tuos benigne recepimus, et quae coram nobis proponere curaverunt, audivimus diligenter. In nostra igitur praesentia constituti conventiones quasdam inter te ac Venetos ex una parte, et cariss. in Christo filium nostrum CPnum Imperatorem et Francos ex altera concorditer initas asserebant, quas ne quis violare praesumeret, petebant sub poena excomm. per Sedem Apost. inhiberi. Super hac autem petitione cum fratribus nostris habito diligenti tractatu, tria invenimus, quae ipsi petitioni penitus contradicunt. Hoc enim in conventionibus capitulum est expressum, *ut inter Venetos et Francigenas possessiones ecclesiasticae dividantur, reservata Clericis portione, de qua possint honorifice sustentari.* Sane cum Ecclesiarum thesauros non sine Creatoris offensa manus diripuerit violenta, maiorem culpam incurrerent, qui spoliatas thesauris ecclesias suis possessionibus mutilarent, nec deceret Apost. Sedem illos hoc modo defendere, qui sic ecclesiasticam offenderent dignitatem. Praeterea cum ad honorem Ecclesiae Romanae huiusmodi sint initae pactiones, et fere in singulis capitulis hoc expressum, ut ad honorem eius omnia provenirent, nec debuimus, nec potuimus confirmare, quod contra iuramentum ab utraque parte communiter praestitum honori Sedis Apost. derogaret. Insuper cum in te ac in sex de consiliariis tuis, ac nobilem virum Marchionem Montis Ferrati ac sex de consiliariis suis addendi vel minuendi sit collata facultas, qualiter in laicorum arbitrio nostram sententiam poneremus, ut illi sententiam excomm. incurrerent, qui nobis ignotas et sacris forsitan canonibus inimicas constitutiones laicas non servarent? Cumque dil. fil. Thomas CPnus electus in proximo CPlim sit venturus, non fuerat de possessionibus Ecclesiae CPnae ante adventum ipsius aliquid disponendum a laicis, vel confirmandum a nobis, quod posset in iuris eius iniuriam et Ecclesiae suae dispendium redundare. — Monemus igitur nobilitatem tuam, et exhortamur in

Domino, quatenus — Domino fideliter servias, et non tibi sed eius nomini des honorem, honorans ministros ipsius, et ecclesias in sua ratione defendens. — b) *Imperatori CPno.* — Quia inter te — ac ducem Venetum quasdam pactiones fuisse initas et iuramento firmatas in scripto — perspeximus contineri, per quas si firmiter servarentur, CPna Ecclesia non modicum laederetur, et derogaretur apostolicae dignitati, cum Caput expers esse non possit doloris membrorum, nec idem dolere quin compatiantur et membra, nos eidem Ecclesiae, sicut tenemur, volentes adesse, supplicationem, quam pro eisdem pactionibus confirmandis nobis porrigere procurasti, non duximus admittendam. In eis namque continebatur expresse, quod inter Francos et Venetos dividi debent possessiones ecclesiasticae, reservata clericis portione, de qua possent honorifice sustentari. Cum hoc igitur attentari non posset sine iniuria Creatoris, iuramentum super hoc praestitum illicitum penitus appareret, et posset periurium potius appellari, nisi ‚salvo Apost. Sedis honore' in eodem iuramento fuisset adiectum. Quia ergo honor Ecclesiae Romanae non servaretur illaesus, si CPna Ecclesia, quae membrum est Sedis Apost. speciale, in mutilatione possessionum suarum sustineat detrimentum, Serenitatem tuam rogamus et monemus, quatenus illius intuitu, qui te ad imperium sublimavit, ipsius sponsam habens propensius commendatam, ad divisionem possessionum suarum ullatenus non procedas, et ipsas ab aliis dividi non permittas, ut iure ipsius Ecclesiae illaeso conservato ab eo praeter remunerationem coelestem merearis in imperii solio confirmari, cuius sponsam curaveris honorare. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 214. p. 325. 756. 512. 519.

599. **Graeci** *post captam a Latinis CPlim ad Innocentium III. PP. pro Unione scribunt. Initio Sec. 13.* Domine, nisi sciremus praesentem vitam esse futuri divini Sabbati Parasceven, lugrubem ad te tragoediam concinnassemus, longisque lamentationibus novi populi captivitatem deflevissemus. Quia vero bene credidimus, Christum, qui nobis semper assistit, mortalem hanc nostram vitam ad immortalem illam et praestantiorem transformare: ecce contriti propter reformationem in melius laetamur; sed et agimus gratias ipsi Christo, qui nobiscum est, iterumque pro nobis pati voluit. Non enim rapinam arbitratus est adorari aequaliter cum Deo et Patre, verum iterum sponte traditus est,

et nobiscum captus, spoliatus est, abductus ac proditus, ipsiusque corpus et sangvinem in terram deiecerunt ac effuderunt, atque conculcaverunt; nec non cuncta sustinuit, ut duos populos connecteret, interficiens inimicitias, seu potius corpus suum in duo scissum rursus in unum coniungeret et adunaret. Quis sapiens et custodiet haec? quis idoneus et divinam erga nos providentiam admirabitur? Dehinc nobis dulce est captos fuisse, svave pati, in captivitatem duci carum et gratum. Quo enim modo cum fratribus nostris unionem fecissemus, cum quibus ne vel colloqui antea sustinebamus? Sed gravia sunt quae adversus nos acta fuere? Profecto plane gravia, ut quae Latinorum quidem animas, Romanorum vero seu Graecorum corpora labefactarint. Verum qui in divina secreta introspexerit, iudicia Dei immensam abyssum conspecturus est. Multi Patriarchae et Imperatores diem hunc videre desideraverunt, sed eam gratiam non sunt consecuti. Tu, Domine, post multas generationes hac gratia dignus habitus es, ut Orientem ac Occidentem unias, et decimus tertius apostolus fias ac nomineris. Nosti autem, honorande Domine, quis sensus hominibus a Deo datus fuerit, quodque volentium, non tyrannicam vim passorum sit pietatis sacramentum. Hoc enim si ita non esset, ipsos quoque Iudaeos baptisaremus invitos. Quia igitur in dogmatibus poenam quidem irrogare et cogere absurdum est, facillimum quippe ac potentis cuiuslibet; persvadere autem dogmatum principiis utendo boni viri est et colentis veritatem: electurusne es, Domine, nobis vim absque examine adhibere tamquam brutis animantibus ut mutemur, an potius sermones nostros admittere et rationem orationemque nobis impertiri, quo divinarum rerum veritas expendatur et cognoscatur? Scito namque a nobis posterius probari et quaeri, quod illi divinitus tradito verbo obtemperemus: Scrutamini scripturas. Per violentiam autem nemo nostrum capi potest, sed cuncti quasi pro Christo periclitabimur. Porro existimamus admodum verisimiliter, spiritum sapientiae tuae iure merito nos ea in re laudaturum. Laudabilis enim est quicunque ad synodicum iudicium illincque procedentem sententiam appellat. Itaque quandoquidem exiguum interstitium Latinos inter et Graecos est, quod unius Ecclesiae continuitatem solvit, statue Synodum Oecumenicam congregari, et maiestatis tuae vicarios mittito, fiatque colloquium, omniumque controversorum solutio. Si tu quoque iuxta magnum apostolum Paulum

Dei fueris adiutór, promti sumus, Domine, nos quoque a dioecesi CPna discedere, atque migrationem in Orientem vel Occidentem suscipere. Sed et putamus Dominum habere Imperatorem nostrum Sirerrim; atque sub eius umbra vivere, mercede servire, agros colere, pascere, mare navigare: absque nobis autem non implebitur arca, neque torcular, non comedetur panis, non caro, non piscis, non olus, sed nec stabit vita et conversatio humana. Et haec quidem elaboramus fratribus nostris Latinis atque conferimus ex deteriori vitae nostrae portione, mortali nimirum illa et dissolvenda; cupimus autem etiam iuxta potiorem eadem sentire, tum quamdiu vivimus, tum post mortem, ut qui membra simus unius corporis immortalis: ideoque scribimus quotidie ad Occidentales per regionem fratres nostros, comministros et coepiscopos, paratos esse ad CPlim convenire. Quin etiam in quacunque provincia positis suggerimus, ut in locum defunctorum pontificum alios iuxta canonum praescripta ordinent, maximeque prae omnibus in urbe regia. Oportet enim cunctos in Synodo considere, tum nostrum Patriarcham, tum metropolitas aliosque pontifices, nihilque mutilum imperfectumque inveniri apud nos. Opus autem nobis est etiam ante Synodum Patriarcha eiusdem sententiae ac vocis, qui doceat consveta et impertiat, nostrasque suscipiat confessiones. Eapropter namque Hierosolymis et Antiochiae, cum unus rex esset, duo erant pontifices, Romaeis alter, alter Latinis, eiusdem cum iis opinionis et lingvae, adhucque ipsis consimilis. Neque enim fas est, ut quispiam per interpretem occulta confiteatur patriarchae alterius lingvae, quamvis forsan sententiarum consensus adsit. Oportet igitur haec usque ad unionem erga nos observari quoque. Volumus siquidem et optamus, ut iterum sua auctoritate potiantur apostolicae, synodicae, imperatorum legumque constitutiones, quatenus praecipiunt uniuscuiusque provinciae pontifices a primo eiusdem provinciae eligi atque ordinari. Petimus etiam a tua pontificali magnificentia, ut praesens tenuitatis nostrae epistolium admittat, velitque Synodum Generalem cogi, quo divinorum dogmatum veritas diiudicetur. Cum fieri nequeat utramque partem in vera esse sententia, quoniam quae contraria sunt, non sunt eadem. Geometrica enim necessitate unus invenitur lapis imus angularis, obliquorum connexor, unusque existit rectus angulus, qui neque maius neque minus admittit. Siquidem in

maius mutatus erit obtusus, in minus vero acutus, atque horum uterque indefinitus. Ceterum quoniam a Deo promotus et Christi studiosus Imperator noster praecepit nobis, ut convenientem honorem celsitudini tuae benevole tribuamus, reveriti sumus clementiae eius edictum, et constituimus tibi, Domine, congruum honorem deferre, qui est laudatio et acclamatio, Imperatoris laudibus acclamationibusque aequalis, ita ad verbum: ‚Innocentio D. Papae veteris Romae multos annos!' quae a nobis proferri debeat post ultimam collectarum orationem; donec Spiritus S. concilium coëgerit, nosque ad sacri dogmatis perfectam duxerit cognitionem. Tunc enim nudo capite, ex ambone, inter ipsam sacram oblationem, non solum nos, sed Aethiopes simul ac Libyes, Aegyptii et Syri, Russi, Alani, Gothi, Iberi, omnesque gentes, quae doctrinae nostrae subiiciuntur, tuum nomen proclamabunt, nec non ante cunctos ipse Christus sanctis libris inscribet, qui nobis testis sit, quod vincere non gestiamus, sed prout oportet, victi gavisuri simus, dummodo lucem conspexerimus. Nam qui in hacce vita erga dogmata cautus tutusque non est, damnum in morte feret, ignem ac tenebras in haereditatem accepturus pro eo, quod lumen non agnoverit. Hoc nos igitur damno praesupposito, multaque hominum pereuntium dena millia miserati, ad Sanctitatem tuam in S. Spiritu cum exclamatione scribimus: ut citius Universale Concilium congregari cures ad utilitatem Christianorum, sanctaeque animae tuae salutem. — **Migne** *Patr. Gr.* t. 69. p. 993.

600. **Gregorius Catholicus** *(Summus Eppus)* **Armeniorum** *Innocentio Papae, a. 1199.* Vobis, qui estis, caput post Christum, consecrati ab eo, et *caput catholicae Ecclesiae Romanae, matris omnium Ecclesiarum*, adeo prudentes et sancti, quod debetis esse in loco apostolorum sublimis papa, — Gregorius homo Iesu Christi, per gratiam Dei catholicus totius Ecclesiae Armeniorum, filius vestrae S. Ecclesiae, quae est fundamentum legis totius Christianitatis! Sciatis, quod nos AEppi, Eppi etc. oramus Iesum Christum, qui est caput omnium nostrum, et servet vos et vestros ab omnibus malis: quia cum vos, qui estis caput, estis incolumes, nos qui sumus corpus, bene valebimus per vestram benedictionem. Noveritis Domine, quod ad nos venit nobilis, sapiens et sublimis AEppus Moguntinus, qui nobis attulit ex parte Dei et ex parte sublimitatis Ecclesiae

Romanae, et ex parte magni imperatoris Romanorum sublimem coronam, et coronavit Regem nostrum Leonem, et nobis reddidit coronam, quam nos perdidimus a longo tempore, unde nos fuimus elongati a vobis, et nos recepimus eam libenter et cum magno gaudio, et inclinamus et regratiamus Deo et S. Romanae Ecclesiae, et alto imperatori Romanorum. Sciatis Domine, quod ipse monstravit nobis vestra praecepta, et nos ea multum libenter audivimus et libenter volumus legem et fraternitatem sublimis Ecclesiae Romanae, quae est mater omnium Ecclesiarum; et nos solebamus eam habere, et nunc eam habemus, et libenter volumus esse ad vestrum mandatum, etc. —

601. *Responsum Papae ad literam Catholici Armeniorum.* Ex eo te radicatum in fide catholica et esse catholicum non tam nomine quam merito experimur, *quod Apostolicae Sedis magisterium recognoscens, eam Ecclesiarum omnium matrem et nos caput universorum fidelium confiteris*, sicut ex tuarum nobis innnotuit serie literarum. Nosti etenim privilegium Petri, quod sibi Dominus universas oves suas pascendas vocabulo tertio repetito commissit: ‚Pasce, inquiens, oves meas,' et super universos ei ligandi et solvendi contulit potestatem, dicens ad eum: ‚Quodcunque ligaveris etc.' Nosti etiam praerogativam Apost. Sedis, quae per merita beati Petri, etsi non tempore, auctoritate tamen inter apostolos primi, non constitutione synodica sed divina inter omnes Ecclesias magisterium obtinuit et primatum, fundata super immobili fundamento, de quo Paulus Ap. inquit: Fundamentum positum est etc. et de quo veritas in Evangelio inquit ad Petrum: Super hanc petram etc. Petrus siquidem post Christum potest intelligi pastor unus, et Ecclesia universalis ovile unum de quibus Dominus in Evangelio protestatur: Alias oves habeo etc. Sane lapis ille angularis, quem reprobaverunt aedificantes, factus postmodum in caput anguli, faciens utraque unum, Iudaeorum populos et gentium nationes in unitate christianae fidei counivit, Ecclesiam ex utrisque constituens non habentem maculam neque rugam: quae ne post ascensionem eius secaretur in partes, et ne unitum in eius fide divideretur ovile, uni commisit apostolorum principi gubernandam, quem solum sibi Dominus et in officio vicarium et in magisterio constituit successorem. Hoc autem tua fraternitas diligenter attendens, ac sciens, quod secundum Apostolum omnes

unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, nos quos Dominus licet immeritos vicarios suos esse voluit et apostolorum principis successores, caput Ecclesiae confiteris, et te ac fratres et coëpiscopos tuos partem nostri corporis recognoscis: sciens, quod sicut palmes non potest fructum facere a semetipso, nisi manserit in vite, sic et membrum et sensu caret et actu, si non in corporis permanserit unitate. Gaudemus ergo non modicum, quod in fide catholica perseverans circa nos piae geris devotionis affectum, et filium te esse Apost. Sedis innuis, dum eam esse matrem omnium protestaris, recognoscens a nobis magisterium eccles. disciplinae etc. —

602. *Idem Papa ad Regem Armeniorum.* Is Ecclesiam suam congregatam ex gentibus non habentem maculam neque rugam super gentes et regna constituit, is extendit palmites eius usque ad mare, et usque ad terminos terrae ipsius propagines dilatavit: cuius est terra et plenitudo eius, orbis terrarum et universi qui habitant in ea. Ipse etiam Romanam Ecclesiam non solum universis fidelibus praetulit, sed super ceteras etiam Ecclesias exaltavit; ut ceterae ab ea non tantum vivendi normam et morum sumerent disciplinam, sed et fidei catholicae documenta reciperent, et eius servarent humiliter instituta. *In Petro* enim *apostolorum principe*, cui excellentius aliis Dominus ligandi et solvendi contulit potestatem, dicens ad eum: Quodcunque ligaveris etc. *Ecclesia Romana sedes eius, et sessores ipsius Romani Pontifices, successores Petri et vicarii Iesu Christi, sibi invicem per successivas varietates temporum singulariter succedentes, super Ecclesiis omnibus et cunctis Ecclesiarum praelatis, imo etiam fidelibus universis a Domino primatum et magisterium acceperunt, vocatis sic ceteris in partem sollicitudinis, ut apud eos plenitudo resideat potestatis.* Non enim in Petro et cum Petro singulare illud privilegium exspiravit, quod successoribus eius futuris usque in finem mundi Dominus in ipso concessit; sed praeter vitae sanctitatem et miraculorum virtutes par est in omnibus iurisdictio successorum, quos etsi diversis temporibus, eidem tamen sedi et eadem auctoritate Dominus voluit praesidere. Gaudemus autem, quod tu, sicut princeps catholicus, apostolicae sedis privilegium recognoscens, ven. fr. nostrum Moguntinum AEppum — benigne

ac hilariter recepisti, et non solum per eum institutis salutaribus es instructus, quibus — totum regnum tuum licet amplissimum desideras informari, et universos Armenos ad Ecclesiae Romanae gremium revocare, sed ad honorem et gloriam apost. sedis, quam constitutam esse novisti super gentes et regna, diadema regni recepisti de manibus eius etc. —

603. *Catholicus Armeniae primatum Romanum denuo confitetur. A. 1202.* (Post Deum, qui est caput omnium bonorum, apostolicam sedem tenenti et summo capiti totius Ecclesiae, et totius terrenae sedis magno Christi confessori, successori beati Petri, maioris natu post Christum principis et patris totius mundi, sedenti secundum Deum et portanti Christum in corpore suo, Innocentio Dei gratia Summo Pontifici et universali Papae summae sedis Romanae urbis, quae imperiali triumpho universum mundum suo subiugavit dominio, et nostro in Christo patri spirituali. — Gregorius minimus Eppus Catholicus omnium Armeniorum! Quia supra sedem dilecti discipuli Christi sedetis, universaeque dominamini Europae, eo amplius vos de iure venerari debemus, et quia pater estis totius fidei christianitatis, mandatum vestrum cum amore recepimus et posuimus super oculos et faciem nostram, et referimus laudes Creatori totius mundi, et benedicimus Deum Patrem nostrum, qui dignatus est in nos tantum amorem habere, ut ipse amor noster fieret, et voluit baptisari, ut exemplo sui omnes baptisaremur et fratres in ipso fieremus. — Visu oculorum remoti sumus a vobis, sed lege et caritate unum quasi sumus, quia baptismus nos omnes unum fecit per regenerationem, et *sumus oves unius pastoris,* qui est gratiae claritas et maiestas Dei Patris Omnipotentis, et *omnes nos coadunavit in unum ovile,* scilicet Ecclesiam Dei vivi. — Verum gavisi sumus in Christo, quia audivimus a vobis legem nostram prope *Romanam* esse admotam, *quae est totius mundi Ecclesia catholica,* — et ab ea a principio habuimus legem, et nunc usque neque augmentavimus neque minuimus, imo tenemus eius consvetudines secundum instituta praecedentium s. patrum, haec quae audivimus et cognovimus, et *absit, quod a S. Romana Ecclesia removeamur usque in finem.* In Christo igitur gavisi sumus, quia *mater Ecclesiarum, quae totum orbem sua claritate irradiat, voluit catholicam Ecclesiam Armeniorum bono corde respicere et consolari.* — Nostrae itaque parvitatis voluntas fuit et est et

erit in perpetuum, quod quamdiu Deo volente hac dignitate freti fuerimus, dilectum in Christo filium nostrum Regem, omnes barones et fideles suos sub vestro dominio stare faciemus. Hinc est, quod precibus assiduis vos precamur, ut non tradatis oblivioni ipsum regem nostrum vobis devotum, neque orientalem plagam, neque domum Dei, imo succurrite oppressis, prout Deus vobis inspiraverit. —

604. *Responsum Summi Pontificis.* Quod die ac nocte in lege Domini mediteris, ex literarum tuarum tenore cognovimus, quas variis auctoritatum floribus decorasti, de thesauro cordis tui nova et vetera proferens, et haec illis et illa istis doctius intermiscens, ut uberius iuncti simul flosculi rodolerent. Sane licet didiceris ex verbis Apostoli, quod omnes unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, et quod cunctos, quos sacri baptismatis unda regenerat, fratres facit, quoniam unus est Pater noster, qui est in coelis, prout in Evangelio Veritas protestatur: *in nobis tamen, qui beato Petro successimus, christianae fidei magisterium recognoscis.* Unde secus fontem sanctae fidei nostrae ac praeceptorum legis et Ecclesiae quiescere desideras et nutriri. — Et licet loco quidem a nobis remotus existas, *fide tamen nobis gaudes tam te quam Armenicam Ecclesiam couniri,* cum ex illo sitis ovili, de quo Dominus in Evangelio protestatur: ‚alias, inquiens, oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.‘ *Oves enim huius ovilis uni Dominus pastori commisit, Petro* videlicet, cum inquit ad eum : ‚Pasce oves meas,‘ innuens per verbum tertio repetitum, quod quicunque fidem habuerit Trinitatis, in quacunque trium orbis partium regione ac trino fidelium ordine, cum Noe, Iob, et Daniele, sive in lecto, sive in agro, sive in mola consistant, *Petri magisterio sunt commissi.* Gavisus es igitur, quod mater Ecclesiarum omnium, quae totum orbem sua irradiat claritate, catholicam Armeniorum Ecclesiam bono corde respiciens voluit consolari, in hoc illud impletum intelligens, quod inquit Petro Dominus Iesus Christus : Ego pro te rogavi etc. — Nos igitur, qui diligere debemus proximos ut nos ipsos, de tuae fidei puritate gaudemus in Christo, et te velut venerabilem fratrem nostrum et magnum Ecclesiae Dei membrum, gerimus in visceribus caritatis, ac cariss. in Chr. fil. nostrum Leonem re-

gem Armeniorum honorare disponimus, et universam Armeniorum Ecclesiam, utpote filiam Sedis Apostolicae specialem, specialiter confovere. — Monemus etiam fraternitatem tuam, — quatenus in Divini nominis timore persistens et in apost. sedis reverentia perseverans, praedictum regem et universam Armeniorum Ecclesiam in lege Domini et nostra devotione confirmes. — **Migne** *Patr. Lat.* t. 214. p. 775. 1007.

605. **Innocentii III** *epistolae de* **unione Bulgarorum** *et* **Blachorum** *cum Romana Ecclesia. Epistola ad Ducem Bulgarorum Calojoannem. 1202.* Apostolica Sedes, cui licet immeriti praesidemus, evangelici verbi memor, quo beato Petro Apostolorum Principi et cuilibet successorum eius intelligit esse dictum: Si diligis me, pasce oves meas, ut purae dilectionis affectum habere circa dominum se ostendat, oves eius pascere satagit, et in unius Ecclesiae gremio remotas etiam congregare, ut sit unum ovile et unus pastor. Cum enim mater sit omnium generalis, ut circa filios matris exhibeat lenitatem, convocare ipsos et congregare conatur in unum, sicut gallina congregat pullos suos; et eos tum per legatos, tum per literas suas visitat, ut et pastor suas oves agnoscat, et cognoscant oves ovile pariter et pastorem. Hoc igitur attendentes iampridem nobilitatem tuam per nuntium et literas nostras duximus visitandam, ut intellecto devotionis affectu, quem habes ad Romanam Ecclesiam matrem tuam, maiores ad te nuntios postmodum mitteremus, qui tam te, qui ex nobili Romanorum prosapia diceris descendisse, quam degentem sub te populum verbo pascerent et exemplo, et de benevolentia et gratia Sedis Apost. redderent certiorem. Et licet de nuntio nostro primum tua nobilitas dubitarit, sciens quod angelus satanae interdum se in lucis angelum transfigurat, intellecta tamen postmodum — veritate, benigne ac honorifice ipsum recipere procurasti, sicut transmissae ad nos tuae literae continebant. Rescripsisti autem nobis per eum et humiliter intimasti, quod literas nostras reputaveras pretiosas super omne aurum et quemlibet lapidem pretiosum, et Deo gratiarum exolveras actiones, quod te dignatus fuerat visitare. — Petisti vero humiliter, ut coronam tibi Ecclesia Romana concederet, sicut illustris memoriae Petro, Samueli, et aliis progenitoribus tuis in libris tuis legitur concessisse. Nos ergo ut super hoc maiorem certitudinem haberemus, regesta nostra perlegi fecimus diligen-

ter, ex quibus evidenter comperimus, quod in terra tibi subiecta multi Reges fuerant coronati. Praeterea continebatur in eis, quod tempore bonae memoriae Nicolai Papae praedecessoris nostri Rex Bulgarorum, ad quorum consulta saepissime respondebat, cum toto regno sibi commisso ad praedicationem eius fuerat baptisatus, et Rex ipse ab eo AEppum postularat. Legatus quoque Michaelis Regis Bulgarici cum donis regalibus Adriano Papae praedecessori nostro regias literas praesentarat, et postularat ab eo, ut aliquem ex Cardinalibus in AEppum eligendum dirigeret, quem post approbationem eorum ad Sedem Apost. remeantem ipse postmodum consecraret. Cumque idem Adrianus illuc cum duobus Eppis quemdam subdiaconum direxisset, Bulgari corrupti donis Graecorum et promissionibus circumventi, Romanis eiectis, Graecos presbyteros receperunt. Licet igitur tantae memoria levitatis nos usque adeo induxerit ad cautelam, ut nullum ex fratribus nostris, Cardinalibus scilicet, praesentialiter ad tuam praesentiam mitteremus, nihilominus tamen dil. filium I. capellanum et familiarem nostrum Apost. Sedis legatum, virum providum et discretum — ad te duximus destinandum etc. — Datum Laterani V Kal. Dec. 1202.

606. *Epistola ad Basilium AEppum Zagorensem Bulgar.* Quia nobis in beato Petro Apost. Principe intelligimus esse dictum: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos: cum ab innumeris sollicitudinibus, quae nobis incumbunt, ad tranquillitatem convertimur nostrae mentis, remotos etiam fratres et coepiscopos nostros, quos etsi habeamus absentes corpore, praesentes tamen spiritu reputamus, confirmamus in his, quae ad salutem eorum et ecclesiae pertinent unitatem, ut sicut sunt in partem sollicitudinis evocati, sic etiam nostris monitis roborentur. Sane cum unum sit Ecclesiae corpus, iuxta illud Apostoli: omnes unum corpus sumus in Christo, existimari non debet in uno corpore capita esse plura, sed is duntaxat post Dominum intelligendus est Ecclesiae Dei Caput, quem Iesus Christus Dominus noster Vicarium sibi substituit et caput etiam nominavit, dicens ad Petrum: tu vocaberis Cephas, quod et Petrus interpretatur et caput. Sane cum ei Dominus pascendas commiserit oves suas, pasce, inquiens, oves meas, ab ovili Christi, quod est Ecclesia, extraneum se demonstrat, qui caput eum habere noluerit et pastorem. Nos ergo, quos Dominus licet immeritos vi-

carios suos esse voluit et Apost. principis successores, ut paternae dilectionis affectum circa Bulgarorum et Blachorum Ecclesiam, quae a Romanis etiam secundum carnem et sangvinem descendisse dicitur, per effectum operis monstraremus, iampridem dil. fil. archipresbyterum Brundusinum ad dil. filii nobilis viri Calojoannis domini Bulgarorum et Blachorum praesentiam duximus destinandum, qui tam ipsum quam degentem sub eo populum christianum in devotione Sedis Apost. roboraret, et nos de puritate fidei et sinceritate dilectionis ipsius rediens redderet certiores. Gaudemus autem et tuam prudentiam in Domino commendamus, quod Apost. Sedis magisterium recognoscens, scripsisti: gratiam et benedictionem sanctae catholicae et apost. Ecclesiae te sitire, ac Deo gratiarum actiones egisse, quod praedictus nobilis nostris meruerat literis visitari. — Monemus igitur fraternitatem tuam et exhortamur attente, per apostolica scripta mandantes, quatenus magisterium et primatum Sedis Apost. recognoscens in nostra et ecclesiae Romanae devotione persistas, et legatum ipsum sicut personam nostram benigne recipias etc. —

607. *Altera litera ad eundem AEppum. 1203.* Receptis literis, quas sub nomine nobilis viri Calojoannis domini Bulgarorum per dil. fil. Constantinum presbyterum et Sergium tua nobis fraternitas destinavit, laetitiam suscepimus pleniorem, intelligentes ex eis, quod ambo pariter recte de clavibus Ecclesiae sentientes, Ecclesiae Romanae primatum ac in nobis ligandi et solvendi recognoscitis potestatem et magisterium eccles. disciplinae. Intelligentes etenim, quod nobis non solum in beato Petro est dictum a Domino: tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque ligaveris etc. sed nobis etiam dicitur in Propheta: ecce constitui te hodie super gentes et regna, ut destruas et dissipes et disperdas, aedifices et plantes: a nobis petitis et regium diadema, et patriarchalis praeeminentiam dignitatis, cum idem nobilis vir auctoritate nostra sibi velit coronam imponi, et in terra sua per nos institui Patriarcham. Nos autem iamdudum ut de ipsius et subiectorum eius devotione ac statu terrae possemus effici certiores, cum non velimus simpliciter, sed optemus etiam, ut sicut descendit ex nobili prosapia Romana, sic etiam Ecclesiae Romanae instituta sequatur, et ab ea magisterium catholicae fidei et honoris sui suscipiat incrementum, dil. filium Dominicum ar-

chipresbyterum Brundusinum ad eiusdem nobilis viri duximus praesentiam destinandum. Illo quoque cum literis eiusdem domini Bulgarorum, tuis etiam et Bellotae principis ad Sedem Ap. redeunte, de praedictis certiores effecti dil. filium I. capellanum nostrum Ecclesiae Romanae legatum ad eum duximus destinandum, plena ei facultate concessa, ut in tota terra ipsius quoad spiritualia corrigeret, quae corrigenda cognosceret, et statueret quae forent secundum Dominum statuenda. Per ipsum quoque uni AEpporum terrae ipsius Pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, duximus destinandum, mandantes eidem, ut si qui forsan in terra illa promovendi ad ordines essent, vel in eppum consecrandi, per vicinos catholicos duntaxat Eppos in ordinandorum ordinatione et consecratione consecrandorum procedere non tardaret. Eidem etiam dedimus in mandatis, ut de corona progenitoribus nobilis viri saepedicti ab Ecclesia Romana concessa inquirat diligenter veritatem, et tractaret de omnibus cum eodem, quae cognosceret pertractanda, ut per ipsum tandem et nuntios eiusdem nobilis viri de omnibus redditi certiores, consultius et maturius super hoc procedere valeamus. —

608. *Innocentius III Regi Bulgarorum de Primatu Romanae Sedis, a. 1204.* Rex Regum et Dominus dominantium Iesus Christus sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, cui dedit omnia Pater in manu, pedibus eius subiiciens universa, cuius est terra et plenitudo eius, orbis terrarum et omnes habitantes in eo, imo cui flectitur omne genu coelestium, terrestrium et infernorum, *Summum Ap. Sedis et Romanae Ecclesiae Pontificem, quem in b. Petro sibi Vicarium ordinavit, super gentes et regna constituit,* evellendi, destruendi, disperdendi et dissipandi et aedificandi et plantandi ei conferens potestatem, loquens ad eum in propheta, qui fuit de sacerdotibus Anatoth: ‚Ecce constitui te super gentes et regna, ut evellas et destruas, et disperdas et dissipes, et aedifices et plantes.' Ut autem id expressius demonstraret, non per alium sed per seipsum cum pro hominibus carnem assumsisset humanam, et calceamentum suum extendisset in Idumaeam, ut ei Allophyli subderentur, et oves suas, quae de hoc ovili non erant, adduceret, et fieret unum ovile et unus pastor, in se qui est super omnia Deus benedictus in secula, *universali Ecclesiae posuit fundamentum, eiusque*

apostolorum principi Petro magisterium contulit et primatum, dicens ad eum: Tu es Petrus etc. Ubi etiam consequenter adiecit: Quodcunque ligaveris etc. Post passionem quoque suam ascensurus in coelum, ovile suum, videlicet Ecclesiam ei committens et commendans in ovibus, dixit ei: Pasce oves meas, vocabulo tertio repetito, per hoc patenter ostendens, quod ad eius ovile non pertinent oves illae, quae se commissas et subiectas esse b. Petro contumaciter denegarint, et eius noluerint erudiri doctrina, et magisterio subiacere. Siquidem Ecclesia est arca illa, in qua paucae animae pereuntibus ceteris in diluvio sunt salvatae. Unde sicut omnes, quos arca non cepit, in diluvio perierunt, sic omnes, qui extra Ecclesiam inventi fuerint, in iudicio damnabuntur. Arca enim Ecclesiam, cataclysmus iudicium, et Pastorem Ecclesiae Petrum Noe rector arcae figurat. Ille cum Domino legitur ambulasse, hic autem super undas maris, quod hunc mundum significat, ad Dominum scribitur pervenisse. In quo etiam expresse notatur, quod Petro non specialiter aliqua Ecclesia sed totus mundus commissus fuerit et Ecclesia generalis. Nam sicut aquae multae sunt populi multi, sic mare magnum et spatiosum mundum significat universum. Unde vocatis ceteris in partem sollicitudinis hunc assumsit Dominus in plenitudinem potestatis, cum inquit ad eum: Tu vocaberis Cephas, quod Petrus interpretatur et caput, ut Petrum caput Ecclesiae demonstraret. Qui sicut ungventum, quod a capite Aaron descendit in barbam, in membra diffunderet, ut nihil sibi penitus deperiret, quoniam in capite viget sensuum plenitudo, ad membra vero pars eorum aliqua derivatur. Insuper quaerenti Petro, si quoties peccaret in eum frater eius, dimitteret ei usque septies, Dominus legitur respondisse: non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. Sane cum omne tempus septem dierum numero concludatur, multiplicatus in se septenarius in hoc loco notat universorum universa peccata, cum solus Petrus non solum omnia sed omnium possit crimina relaxare. Ipsi enim et non alii dictum a Domino reperitur: Tu me sequere, id est, in veri pastoris officio, et potestatis ecclesiasticae plenitudine imitare: quia eum in officio vicarium sibi substituit Dominus et in magisterio successorem, sic haereditatem, in cuius praeclaris funes eius ceciderunt, transferens in eundem, ut aliis post eum et sub eo quasi partialia faceret de haereditate legata.

Cum igitur licet immeriti eius vices geramus in terris, qui dominatur in regno hominum, et cui voluerit dabit illud, utpote per quem reges regnant et principes dominantur; cum Petro et successoribus eius, et nobis in eo noverimus esse dictum: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua, sed tu aliquando conversus confirma fratres tuos; cum ex praecepto Domini oves eius pascere teneamur: populis *Bulgarorum et Blachorum*, qui multo iam tempore ab uberibus matris suae alienati fuerant, in spiritualibus et temporalibus paterna sollicitudine providere volentes, eius auctoritate confisi, per quem Samuel David in regem inunxit, *Regem te statuimus super eos*, et per dil. fil. L. tit. S. Crucis Presb. Cardinalem — tibi sceptrum regni ac regium mittimus diadema, eius quasi nostris tibi manibus imponendum, recipiendo a te iuratoriam cautionem, quod nobis et successoribus nostris et Ecclesiae Romanae devotus et obediens permanebis, et cunctas terras et gentes tuo subiectas imperio in devotione et obedientia Sedis Apost. conservabis. — — Sic ergo, fili carissime gratiam, quam Ap. Sedes mater tua tibi facit, agnoscas, sic retribuas nobis pro omnibus, quae tribuimus ipsi tibi, sic regnum tuum in Ap. Sedis subiectione ac devotione confirmes, ut cum sub Petro in illius petrae fuerit firmitate fundatum, de qua inquit Apostolus: Petra autem erat Christus, nec pluviarum imbres, nec impulsus ventorum, nec fluminum formidet incursus. — **Bullarium** *edit. Taurin. III.* 187. Item: **Theiner** *Vet. Monum. Slavorum.* Romae. 1863. I. 17. ss.

609. *Innocentius III in sacris suis Sermonibus de peculiari praerogativa Rom. Pontificis.* Serm. 2. — Nisi ego solidatus essem in fide, quomodo possem *alios in fide firmare*, quod ad officium meum noscitur specialiter pertinere? Domino protestante: ego, inquit, pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Rogavit et impetravit, quoniam exauditus est in omnibus pro sua reverentia. Et ideo *fides Apost. Sedis in nulla unquam turbatione defecit, sed integra semper et illibata permansit, ut Petri privilegium persisteret inconcussum.* In tantum enim mihi fides necessaria est, ut cum de ceteris peccatis solum Deum iudicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia iudicari, nam qui non credit, iam iudicatus est. Credo quidem, et certissime credo, quod catholice credam. Mihi dicitur

in Apostolo: Tibi dabo claves regni coelorum etc. *Petrus ligare potest ceteros, sed ligari non potest a ceteris.* Sicut in Capite consistit omnium sensuum plenitudo, in ceteris membris autem pars est aliqua plenitudinis, solus autem Petrus assumtus est in plenitudinem potestatis. — Iam videtis, quis iste sit servus, qui super familiam constituitur: profecto *Vicarius Christi, Petri successor,* qui *de omnibus iudicat, et a nemine iudicatur*, Apostoli voce pronuncians: qui me iudicat, Dominus est; omnes omnino, qui sunt de familia Domini, sub eius cura constituti sunt. Non enim distingvit inter hanc et illam familiam, nec pluraliter dicitur, super familias tamquam multas: sed singulariter dicitur, super familiam, tamquam unam, ut sit unum ovile et unus pastor. Una est, inquit, columba mea. Ad hoc autem est super familiam constitutus, ut det illi cibum in tempore. Primatum Petri Dominus Iesus Christus et ante passionem, et post passionem constituit. Ante passionem, cum dixit: Tu es Petrus etc. Circa passionem, cum ait: Ego autem rogavi pro te etc. Post passionem vero, cum tertio praecepit: Si diligis me, pasce oves meas. In primo sublimitas potestatis, in secundo constantia fidei, pastura gregis, cum dicitur: ut det illi cibum in tempore. — — *Serm. 3. — Romana Ecclesia debitum reverentiae nulli prorsus impendit, nisi Romano Pontifici, qui post Deum alium superiorem non habet.* — Sacramentum inter Romanum Pontificem et Romanam Ecclesiam tam firmum et stabile perseverat, ut nonnisi per mortem numquam ab invicem separentur, quia mortuo viro mulier secundum Apostolum soluta est a lege viri. Vir autem iste (Romanus Pontifex) alligatus uxori solutionem non quaerit, non cedit, non deponitur, non transfertur: nam suo Domino aut stat, aut cadit. Qui autem iudicat, Dominus est. Propter causam vero fornicationis Ecclesia Romana posset dimittere Romanum Pontificem. Fornicationem non dico carnalem, sed spiritualem, id est, propter infidelitatis errorem, quoniam qui non credit, iam iudicatus est. *Ego* tamen *facile non crediderim, ut Deus permitteret, Romanum Pontificem contra fidem errare, pro quo spiritualiter oravit in Petro.* — **Migne** *Patr. Lat.* t. 217.

610. **Innocentius III** *Meganippano* **Serviae** *auctor est, ut cum suis praelatis et nobilibus universis ad Catholicam redeat unitatem, debitamque eatenus cautionem AEppo Colocensi praestet. 1203. — Breve ad Meganippanum.* Mediator Dei et

hominum, Deus homo, Christus Iesus, Apostolicae Sedis Primatum in beato Petro Apost. Principe stabilivit: qui et ante passionem suam inquit ad ipsum: Tu es Petrus etc. et circa passionem suam dixit eidem: Simon, satanas expetivit vos etc. et post passionem suam vocabulo tertio repetito praecepit: Simon Ioannis, etc. non distingvens inter has oves et illas; ut ab ovili Christi se sciat esse penitus alienum, qui beatum Petrum recusat habere Pastorem, et qui claves eius contemnit, ipse sibi regni coelestis ianuam intercludit, nec satanae potest cribrum effugere, qui per eum renuit in fide catholica confirmari. Nos igitur, qui licet indigni beato Petro successimus in apostolatus officio, per quod facti sumus sapientibus et insipientibus debitores, de tua salute solliciti decrevimus te per ven. fr. nostrum I. Colocensem AEppum, virum utique literatum, providum, et honestum, cui vices nostras in hac parte commisimus, visitare: quatinus te corpore quidem a nobis remotum, sed mente propinquum in orthodoxa fide confirmet, et a te nomine nostro spiritualem obedientiam et reverentiam recipiens corporalem ad apostolicum ovile reducat, in quo post Christum, praecipuum et primum Pastorem, beatus Petrus secundarius et secundus pastor existit. Monemus igitur nobilitatem tuam attente et hortamur, per apostolica scripta mandantes, quatinus praefatum AEppum vice nostra benigne recipias et honores, eiusque salubria monita et mandata studeas humiliter adimplere, ut sic in arca receptus diluvium non incurras, et nos ad honorem et profectum tuum debeamus efficaciter adspirare. Datum Laterani XI. Kal. April. 1203.

611. *Breve ad AEppum Colocensem.* Mediator Dei etc. *ut supra.* — De salute nobilis viri W. Meganippani Serviae, et tam praelatorum Ecclesiae quam nobilium terrae, imo et omnium morantium in Servia solliciti, per te ipsos decrevimus visitare. Ideoque fraternitati tuae, de qua plenam fiduciam obtinemus, in hoc vices nostras auctoritate praesentium committentes, per apostolica tibi scripta mandamus, quatinus accedens personaliter in Serviam, Meganippanum ipsum, praelatos et nobiles universos in orthodoxa fide confirmes, et ab eis iuratoriam recipias cautionem, quod nobis et successoribus nostris, sanctaeque Romanae Ap. Sedi bona fide curabunt de cetero in spiritualibus obedire, recipiensque ab eis reverentiam corporalem, illos auctoritate nostra suffultus et obedientiae vinculo, quo videbantur Pa-

triarchae CPno teneri, denunties penitus absolutos; quia cum ipse debitam nobis obedientiam non impendat, nec ipsi demeritam sibi tenentur reverentiam exhibere. — **Theiner** *Vet. Mon. Slavorum. I.* 18.

---

612. 613.

C. Lateranense IV. Generale, A. 1215. de Primatu Sedis Romanae.

612. MON. *Cap. 4. De superbia Graecorum contra Latinos.* Licet Graecos in diebus nostris ad obedientiam Sedis Apost. revertentes fovere et honorare velimus, mores ac ritus eorum, in quantum cum Domino possumus, sustinendo: in his tamen illis deferre nec volumus nec debemus, quae periculum generant animarum, et ecclesiasticae derogant honestati. Postquam enim Graecorum ecclesia cum quibusdam complicibus ac fautoribus suis ab obedientia Sedis Apost. se subtraxit, in tantum Graeci coeperunt abominari Latinos, quod inter alia, quae in derogationem eorum impie committebant, siquando sacerdotes Latini super eorum celebrassent altaria, non prius ipsi sacrificare volebant in illis, quam ea tamquam per hoc inquinata lavissent. Baptisatos etiam a Latinis et ipsi Graeci rebaptisare ausu temerario praesumebant; et adhuc, sicut accepimus, quidam agere hoc non verentur. Volentes igitur tantum ab ecclesia Dei scandalum amovere, sacro svadente Concilio, districte praecipimus, ut talia de cetero non praesumant, conformantes se tamquam obedientiae filii sacrosanctae Romanae Ecclesiae matri suae, ut sit unum ovile et unus pastor. Si quis autem quid tale praesumserit, excommunicationis mucrone percussus, ab omni officio et beneficio eccles. deponatur.

613. *Cap. 5. De dignitate Patriarcharum.* Antiqua patriarchalium sedium privilegia renovantes, sacra universali synodo approbante sancimus: ut post Romanam Ecclesiam, quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra, CPna primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant, servata cuilibet

propria dignitate, ita, quod postquam eorum antistites a Romano Pontifice receperint pallium, quod est plenitudinis officii pontificalis insigne, praestito sibi fidelitatis et obedientiae iuramento, licenter et ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam, et pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiae ab eisdem. Dominicae vero crucis vexillum ante se faciant ubique deferri, nisi in urbe Romana et ubicunque Summus pontifex praesens extiterit, vel eius Legatus utens insigniis apostolicae dignitatis. In omnibus autem provinciis eorum iurisdictioni subiectis ad eos, cum necesse fuerit, provocetur, salvis appellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter deferendum. — **Harduini** *Concil.* VII. 22.

614.

Dux Poloniae datis ad **Honorium III PP.** literis, Primatum Romanae Sedis profitetur, A. 1217.

MON. Omnes, quos aqua baptismatis in unitate ecclesiasticae disciplinae solidavit, scire debent et confiteri, S. Romanam Ecclesiam esse totius orbis magistram et dominam. Nam ut ex instructione patrum nostrorum Epporum, et aliorum Ecclesiae rectorum didicimus, quod haec Ecclesia est mater nostra, quae ex uberiori iure coelitus sibi concesso, in solvendo et ligando plenitudinem habet potestatis: huic sic nos filii Ecclesiae submittere colla humiliter debemus, ut et ipsa maternae caritatis affectu nos petractet, et nos ei debitam exhibeamus reverentiam. Ego igitur inspecto tenore vestrarum literarum Deum laudavi, Deo referens gratias, quod singulis prout vult sua dona largitur, et quod vos patrem et rectorem totius orbis constituit. Promitto igitur S. Rom. Ecclesiae, omnimodam fidelitatem, et me paratum in defensionem Ecclesiarum, quandocunque eas per aliquos invasores opprimi videro, Peto etiam vos, ut in omnibus meis necessitatibus vos meum sentiam protectorem. — **Raynaldus** *Ann. Baron.* ad A. 1217.

615.

Hungariae Praesules e Synodo Colocensi ad **Honorium III PP.** contra Regem Belam, qui suam uxorem repudiavit, A. 1224.

MON. Sanctissimo in Christo Patri ac Domino suo, Dei gratia SS. Romanae Ecclesiae Summo Pontifici: V. Colocensis Ecclesiae Minister humilis, D. Chanadiensis, R. Weszprimiensis, S. Zagrabiensis, T. Agriensis, B. Quinqueecclesiensis, A. Varadiensis, B. Vaciensis, I. Nitriensis Eppi cum omni humilitate, reverentia, ac devotione. *Ad hoc divina dispensatione vocati estis in plenitudinem potestatis,* ut ea, quae salutem desiderant animarum, nec possint corrigi per subiectos, auctoritate Sedis Apost. corrigantur. Inde est, quod Vestrae significandum duximus Sanctitati, quod cum Dominus noster Rex Hungariae de partibus ultramarinis rediens per terram Nob. Viri Laschari transitum faceret, filiam eiusdem suo filio primogenito Belae illustri iam in Regem coronato et in Regni gubernacula postmodum Deo propitio successuro desponsavit uxorem, praestito ab ipso Rege et Nobilibus suis, qui tunc praesentes erant, publice iuramento, ut ad consummationem matrimonii inter personas memoratas fideliter laborarent; eandem etiam nobilem, ut nurum decet regiam, secum in suam terram adducens, recepto prius a Nobilibus regni, qui tunc in transductione puellae absentes erant, solemniter sacramento, filio suo memorato tradidit in uxorem, ipsam nihilominus omni solemnitate adhibita in Reginam Hungariae coronari faciens: cui supradictus Bela illustris cum omni dilectione et tranquillitate in aetate legitima iam existens cohabitavit per biennium et amplius ut maritus. Nunc autem diabolo seminante zizania e quorumdam malevolis suggestionibus perversorum vir legitimam, cui postquam ad aetatem legitimam uterque pervenerat, et per biennium ac amplius cohabitaret, ut diximus, in totius Regni scandalum et subversionem Religionis Christianae dimisit uxorem. Et licet cum Magi-

stro Accontio Subdiacono et Capellano Sanctitatis Vestrae Legato, qui super hoc negotio sicut vir honestus et prudens omnem diligentiam quam potuit adhibuit, institissemus attenti, propter excellentiam tamen sublimitatis Regiae, praesertim cum literae Sanctitatis Vestrae super hoc ad quosdam ut dicitur, Iudices emanassent, absque conniventia vestra minime duximus procedendum. Quapropter Sanctitas Vestra taliter in hac parte providere dignetur, ne inferiores quoque, qui maiorum habent informari exemplo, perditione simili corrumpantur, nobis et Legato vestro mandantes, quid super hoc nobis extiterit faciendum, *parati* enim *sumus tamquam obedientiae filii in omnibus sacris vestris obedire mandatis.* — **Batthyán** *Leges Ecclesiasticae Regni Hungariae. II.* Claudiopoli. 1827. p. 324.

616—617.

Germanus AEppus CPnus ad **Gregorium IX. PP.** de Unione Graecorum et Latinorum, A. 1232.

616. MON. Sanctissimo etc. O Domine Iesu Christe, salvum me fac: o Domine, bene prosperare: te enim lapidem angularem honorificatum, pretiosum, electum, in fundamentum pono huius negotiationis toti orbi salutiferae. Didici enim per prophetam tuum Isaiam, quod omnis qui credit in te, talem lapidem existentem, nullatenus confundetur, neque a suae spei base poterit commoveri. Et ita se habet veritas, et nullus contradicere audet, nisi patris mendacii discipulus fuerit. Opus autem tuum est, qui lapis angularis existis, coniungere quae procul sunt, vel quae inter se distant, et ea quae divisa sunt, in unitate fidei congregare. Tu enim es, qui et procul et prope existentibus pacem evangelisasti, et fines orbis terrarum per tuarum super crucem exaltationem manuum ad eusebiam convocasti, et paterno more super humeros elevasti. Tuae igitur inaestimabili clementiae supplico, qui Patris es verbum omnipotens, consubstantialis sapientia Dei, aedifica in me domum huius rei, et tu sis eius et fundamentum et tectum, qui iuxta theologicam vocem Ioannis

Alpha et Omega diceris, tamquam omnium principium et finis incircumscriptus.

Ac inprimis oculos elevantes ad montes coelestes, unde venire nobis auxilium oravimus, deinde ad te sanctissimum Papam, qui apost. Sedis primatum sortitus es, sermonis mutamus exordium. Et velis descendere aliquantulum ab altitudine gloriae, et incumbere verbis meis, qui miser sum et vita et sermone. — *(Multa addit lamenta super deploranda scissione Ecclesiarum Orientalis ac Occidentalis, ubique fere Latinos pungens, et oblique contra ipsum Petri primatum se enuncians; tum Pontifici unionis negotium commendans, sic prosequitur:)* Sed concede veniam, sanctissime Domine, et omnium praedecessorum tuorum veteris Romae clementissime, et sustine verba multum amaritudinis habentia: sunt enim langventis cordis suspiria, et datur indulgentia a discretis his, qui propter cordis nimiam tristitiam in verba prorumpunt per singultus. Accinge igitur sic fortitudine lumbos tuos, et accende tuae discretionis lucernam, et quaere drachmam, quae perit super fidei unitate, et compatiemur sanctitati tuae. — Non ignoramus, sanctissime Domine, quod quemadmodum nos Graeci nitimur in omnibus observare orthodoxam et eusebiam sententiam, ut in nullo erremus a ss. apostolorum et patrum statutis: eodem modo veteris Romae ecclesia, bene scimus, pro se nititur, ut non existimet se falli in aliquo, neque remedio se indigere asserit vel correctione! hoc et apud Graecorum ecclesiam et Latinorum dici novimus. Nam nemo unquam in propria facie existentem turpitudinem videre potest, nisi super speculum se inclinaverit, aut ab alio certificatus fuerit, qualiter se circa faciem habeat, sive turpiter sive non. Habemus autem specula multa et magna lucidaque, clarum videlicet Christi evangelium, apostolorum epistolas, libros theologorum patrum. Inspiciamus in eis, ipsa ostendent nobis, qualiter unusquisque sentit, sive nothe, sive legitime, — Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus nostris cito, auctorem discordiae; pacificus odientem bonum; — et qui pacis est Deus, mittat ad nos, qui pastores sumus ovium suarum rationabilium, angelum pacis, gaudium magnum annunciantem etc. —

617. *Gregorii IX PP. responsum, in quo de primatu Romanae Sedis uberius tractat.* Fraternitatis tuae literis nobis et fratribus nostris per tuum nuntium praesentatis, qua decuit be-

nignitate receptis, earumque tenore plenius intellecto, disposuimus viros religiosos vitae laudabilis et probatae sententiae ad tuam praesentiam destinare: qui verba vitae deferent, et nostram fratrumque nostrorum exponent plenius voluntatem. Verum quia de comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo, ne ex ore mortui leonis non sine rubore scribentis a patre favus exhibitus contemnatur, pauca ducimus rescribenda, ne viderentur scripta despici, si contingeret non rescribi. ‚Audiens enim sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit.‘ Licet autem Christus, sicut tuae series epistolae retexebat, primum sit et praecipuum fundamentum fidei, quod fatemur, praeter quod aliud poni non potest: secunda tamen et secundaria fundamenta legimus apostolos et prophetas, et fundamenta Sion in montibus sanctis, et cives supernae Ierusalem super fundamenta apostolorum et prophetarum superaedificati leguntur. Inter quos primus et praecipuus beatissimus Petrus non sine causa, sed ex praerogativa speciali a Domino audire meruit: ‚Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus:‘ ut sicut in capite plenitudo sensuum consistit, a quo ad singula membra occultis meatibus pars aliqua tamquam a fonte rivulus derivatur, sic tres fidelium ordines in ecclesia, Noe, Daniel, et Iob, praelati videlicet, continentes, et coniugati, quos Ezechiel vidisse legitur in visione salvandos, a Petro petra, super quam non domum saltus Libani, nec porticum columnarum, nec domum filiae Pharaonis, sed Ecclesiam suam aedificavit Dominus, fidelibus velut de omni genere piscium in eius rete conclusis, tamquam a primate primatum, qui de fonte Dominici pectoris fluenta potavit, et suae salutis debent postulare remedia, et cum omni patientia et doctrina, non contentiose vel superbe in aliquo resistentes, a mentis suae tenebris dubietatis scrupulos removere. Nec obstat quod asseris, si tempora locumque distingvas, Paulum Petro in faciem restitisse, cum dispensative ab orthodoxis patribus hoc factum esse legatur: dum Petrus legem Mosaicam profitendo Iudaeos, et Paulus circumcisionem evitans totis viribus lucrifacere studuerit ex huiusmodi simulatione gentiles. Alioquin et Paulum perambulantem Syriam et Ciliciam, cum pervenisset Derben et Lystram, ex eo redargues, quod Timotheum ex patre gentili ortum, fidelis viduae filium, circumcidit. Secundo etiam et tertio vel se vel Paulum argues, qui cum navigasset Syriam, et cum eo essent

Priscilla et Aquila, et caput timore Iudaeorum totondisset in Cenchris, quare comam, quam ex voto nutrierat, quod Nazaraei, qui secundo voverant, iuxta praeceptum Moysi facere consveverant, ibidem totondit in lege. Si, frater carissime, dignitatis mysterium et auctoritatis officium pleno intellectu distingvas, et Petri et Pauli zelum consideres, qui animas tantummodo sitiebant, eos nec in morte, quos eadem fides et passio vere fecit esse germanos, nec dum viverent, in doctrina invenies fuisse discordes. Licet enim Petrus pro durae cervicis Iudaico, et Paulus pro gentili populo lac parvulis et escam provectis exhibentes, diversis lingvis et ritibus laboraverint: cum iam plenitudo temporis advenisset, unum Dominum, unam fidem, unum baptisma, et alios articulos fidei secundum gratiam sibi datam a Domino in uno eodemque spiritu praedicavit uterque. Fuit enim Paulus ex verbo Domini, Petro et ceteris apostolis universaliter sic dicentis ‚Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta erunt', cum Petro mysterium dignitatis exercens: et ex verbis eiusdem auctoritatis singulariter Petro propositis ‚Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis' in Petro auctoritatis officium recognoscens. Ideoque ad eum tamquam primatem et evangelii Dominici fontem venit Hierosolymam, et postmodum cum ipso et aliis secundum revelationem contulit evangelium, ne in vacuum cucurisset. Quod iterum ex verbis Domini confirmatur, cum soli Petro, si frater suus in se peccaverit, non tantum septies, sed usque septuagesies septies praecipitur remittendum: ipsi soli oves indistincte committens, qui tam speciali miraculorum virtute pollebat, quod per plateas in lectulis et grabatis positi ad umbram eius sanabantur infirmi. Cuius auctoritas ex eiusdem Domini verbis expressius confirmatur, cum sibi dictum est: ‚Duc in altum', et pluraliter subinfertur: ‚Laxate retia in capturam.' Si igitur Petrus propter excellentiam fidei, qua in uno Christo duas naturas veraciter recognoscens, cum dixit ‚Tu es Christus Filius Dei vivi,' claves regni coelestis in terris solus accepit, cum unus sit Dominus, una fides, unum baptisma, unum principium, unum corpus militantis ecclesiae, et corpus cum multis capitibus monstruosum, et sine capite acephalum censeatur: restat, ut ad regimen generalis ecclesiae, quam idem cum Paulo et ceteris de

gentibus Graecis, Latinis et barbaris congregavit, caput eiusdem, et suum Dominus per ea, quae praemissa sunt, ostenderet successorem. Praevidens autem Dominus quod ecclesia a tyrannis conculcaretur, et ab haereticis laniaretur, et a schismaticis scinderetur, dixit: ‚Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.' Ex quo colligitur evidenter, quod ad Sedem Petri omnis quaestio fidei referenda sit. Sed, quod dolentes dicimus, ut epistolae tuae verbis utamur, praesumtuose quidem non per manus militum, sed ecclesiasticarum personarum sensus veri Ioseph talaris tunica et inconsutilis est passa scissuram. Sed quis sciderit, videamus. Cum Graecorum ecclesia a Romanae sedis unitate recessit, statim privilegio caruit ecclesiasticae libertatis, et quae libera fuerat, facta est secularis potestatis ancilla: ut iusto Dei iudicio, quae noluit divinum recognoscere in Petro primatum, toleret invita dominium seculare. Sub quo non modica contemnens, paulatim decidens, fidem informem profitens, et a fraterna caritate tepescens, licentius per campum licentiae non refroenate discurrit, ut sine alicuius reprehensione licitum sub illicito palliaret, et a templo Petri recedens a Domino quasi attritum foris eiicitur: quod virga sua Ioannes prohibente Domino non metitur, quoniam datum est illud gentibus; quod iam conspicis visibiliter consummatum. Quod Samaria, quae a templo Domini et a Iuda et verae fidei confessione recedens, facta idololatra praefigurans, bellorum cladibus continuis attrita et pondere peccatorum gravata, licet Elias et Eliseus tamquam magna luminaria ibidem sicut in loco caliginoso refulserint, data est gentibus, proiecta est foris in vindictam fornicationis et idololatriae, quibus se a Domino separavit. Quodsi Paulum Graecorum ecclesia se habere proponit, exhibeat, vel a successore Petri et Vicario Iesu Christi in Apostolorum basilica, quae a Constantino constructa est, cum Petro exhibitum recognoscat. Officii etiam notavit mysterium, licet literis tuis sub forma reprehensionis insertum fuerit: quod Petrus ter motus, ad galli cantum excitatus, factus est ostiarius paradisi, ut videlicet qui praeesse debuerat, pati sciret et compati; et ex auctoritatis officio, cui ter dictum est ‚Pasce', non pascite, ‚oves meas', non alienas, ad successores transmisso exemplo veri pastoris, subditorum excessus ad unitatem ecclesiae redeuntium in spiritu lenitatis cor-

rigeret, et cultum christiani nominis sponte professos ab ecclesia aberrantes, exigente contumacia iuxta verbum Apostoli ‚tradendo huiusmodi satanae in interitum carnis' ad ovile reduceret vel invitos. Si vero ex compassionis affectu ad apost. sedis primatem sicut verus Israelita recurris, et super contritione Ioseph de scissura inconsutilis tunicae mota sunt tuae pietatis viscera: passioni tuae compatimur, et dolori tuo cum Apostolo condolemus, et ei ad grates assurgimus, qui oculos coeci nati aperuit: humiliter postulantes, ut qui per collyrium ex felle piscis Tobiae oculos illuminavit, corda Ecclesiae Graecorum cum tuo illuminet, et nostris tuisque temporibus ad unum ovile et unum pastorem providentia divina reducat. Librum igitur, de quo dictum est Ioanni in Apocalypsi, ‚accipe frater carissime, et devora illum, et si amaricare faciat ventrem tuum, (propter contritionis aculeos, qui in principio pungunt,) tamen in ore tuo erit dulcis ad instar mellis', iuxta verbum sponsi dicentis in Canticis: ‚Sonet vox tua in auribus meis, vox tua dulcis.' Et prudentiae tuae conscientiam sine aliqua superstitione regyra: et illuminatus reperies, quod Romana Ecclesia, quae omnium ecclesiarum caput est et magistra, in speculo a te proposito (evangelii videlicet et epistolarum et doctrina aliorum doctorum) nil contrarium invenit, quod interpretative vel dispensative secundum statuta s. patrum in unitate fidei et spiritus non concordet. In cuius libri apertione invenies, quod Romanus Pontifex omnibus omnia factus, ut omnes salvi fiant, non turpis lucri gratia vel voluntarie, sed a fratribus suis divina inspiratione vocatus, statim servus servorum Dei effectus, murum pro fratribus suis et coëpiscopis et eorum subditis, contra haereticos, schismaticos, et tyrannos ad tuitionem ecclesiasticae libertatis cum suis fratribus se opponit. Et licet quidam subrepant, publice tamen ab omnium incursibus modernis temporibus Ecclesia Romana respirat. Sed si Graecorum ecclesia patienter sustineat, ut verbis tuis utamur, verba quae mordeant, praeter animarum pericula, quae ex scissura eorum proveniunt, satis eis vexatio dedisse debuerat intellectum, in quorum manibus ordo ecclesiasticus per adversas nationes Orientis in diversa partitus confunditur, ecclesiastica libertas deprimitur, et sacerdotalis dignitas conculcatur: et non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius, quia tamquam acephali ad caput ecclesiae reverti contemserunt. Revertere

igitur Sunamitis, revertere, ut intueamur te: quia tunc recte poterit frater a fratre adiuvari, si filius, qui consumsit omnia dissolute vivendo, a Domino inspiratus surgat et dicat: Pater peccavi etc. Tunc enim pater non ut mercenario, sed ut filio revertenti occurrens, primam stolam proferet, — et generale convivium faciens omnibus Christi fidelibus, in exultatione annunciabit et gaudio, quod et frater et filius, qui mortuus fuerat, iam revixit, et drachma, quae perierat, inventa est, et sic te in gremio matris Ecclesiae cum honore recepto, veritatem manifeste videbis in speculo puritatis, quam Ecclesia Latina servat in fidei unitate, quae non recipit maculam neque rugam. Datum Reate, septimo Kal. Augusti pontif. nostri anno sexto. — **Harduini** *Concil.* VII. 149.

618.

Gregorius IX. PP. damnat conventum Praesulum Moguntinum, quod haereticos quosdam Germaniae (Stigandos) absolverit, A. 1235.

MON. AEppo Salisburgensi etc. Vineae Domini cultores, licet immeriti, constituti, iuste in desiderio gerimus, ut illius latitudinem gratitudinis fructu semper venustam existere procuremus, turbationem non modicam subeuntes, si forte aliquae plantarum, quae in illa evidentibus existunt indiciis grandiores, sint sterilitate notabiles, vel nocivorum productione fructuum displicentes. Sane dudum mirantes audivimus et referimus conturbati, quod cum olim post obitum recolendae memoriae magistri Conradi de Marpurg, praedicatoris Verbi Dei, de quibusdam, quos infectos labe pravitatis haereticae tenebat assertio, plurimarum oriretur materia quaestionum, quibusdam proponentibus, quod processus contra illos per eundem magistrum habitus iniquitatis maculam habuisset, aliis vero referentibus ex adverso, quod pius extitisset et providus et incremento catholicae fidei plurimum opportunus, ad dubitationes huiusmodi declarandas

certi locus et terminus sunt praefixi. Demum congregato concilio, ad quod plures ecclesiarum praelati, et principes seculares, ac alii, quorum praesentia tanto competebat negotio, convenerunt, exurgente nullo pro tuitione fidei, quae saltem a praesentibus sub nulla debebat negligentia praeteriri, memorati infecti, ut dicitur, rationis inconsulto speculo, quod potissime in talibus haberi debebat prae oculis, sunt absolutionis beneficium assecuti. Illi vero perditionis filii, qui dicti Magistri sangvinem innoxium effuderunt, omissis prolatione sententiae ac inflictione poenae, quae contra ipsos pro excessu tam detestabili et digno non brevibus deplorari lacrymationibus debebantur, ac satisfactione aliqua non recepta, sunt ad praesentiam nostram pro absolutionis obtinendae gratia destinati. — Quia igitur rationabile est, causam fidei quibuslibet anteferri, quae potissime Summi Pontificis examini competebat: avertentes a debita nobis reverentia faciem praesumserunt aliqui terminare, quasi auctoritatis praemissae nescii, vel ab eiusdem intellectu perspicuo peregrini. Quo consilio iidem ad transgressionem mandatorum Domini processerunt? quo iure, quod est in canonica sanctione praecipuum, ab ipsis tam notabiliter extitit praetermissum? Numquid facultas eis aberat Sedem Apostolicam consulendi? cum et locorum longinquitas, vel anfractus itineris, aut tremenda elatio pelagi saevientis, pro qua coeli claviger non expavit quin Salvatori diceret, ut sibi, quod per aquas ad eum procederet, imperaret, nullum ipsis afferret obstaculum, nunciorumque penuria nullum excusationis tribueret fulcimentum. Numquid illorum memoria capacitasque non habebat, quod ad sanctae Romanae Ecclesiae, cuius fundamentis super petram positis quisque cedit impetus tempestatis, in ambiguis et fluctuosis quaestionibus, per quas imminet naufragium fidei, si non contingat easdem prospere terminari, sit assidue revertendum? praesertim dictus claviger, cuius arbitrio orbis universitas solvitur et ligatur, cuiusque iudicium a conditione iustitiae confirmatur, audire meruerit: ‚Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos'; cum etiam dubium non existat, quod qui secum non colligit, spargit, et nemo unquam sub diluvio seculi, non in arca positus confirmatur. Sed quid ad ista studio exaggerationis intendimus? cur quaestionum cumulis immoramur? Porro nedum provectis et prudentibus, sed parvulis et ignaris

potest esse liquidum, quod de praemissis multum sit devotionis et obedientiae praetermissum, praesertim cum literarum nostrarum series, per quas mandavimus, ut processus contra huiusmodi pestilentes secundum formam concilii generalis et nuper a nobis edita haberetur, mandati transgressoribus excusationis suffragium non acquirat: quia cum post processum habitum auctoritate apostolica contra ipsos, si criminosi vel immunes a macula haereticae pravitatis existerent, dubietas immineret, ad examen nostrum omni erat occasione postposita properandum. Nos igitur, etsi hactenus ista dissimulationi dederimus, super eisdem tamen in posterum, prout expedire viderimus, adiuvante Domino procedemus. Interim autem homines miseros, qui humanitatis affectu et miserationis effectu Christum prodendo Domini se reddiderunt modis omnibus alienos, sine condigna nolentes provisione remittere, praesentium vobis auctoritate committimus, ut circa ipsos, Dominum habentes prae oculis, iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra interclusam mittimus, auctoritate nostra, omni contradictione et appellatione cessantibus, procedatis. — **Harduini** *Concil.* VII. 241.

619.

Gregorius IX PP. Regem **Hungariae** adversus Assanum ducem Bulgarorum, ab unitate Ecclesiae desciscentem, provocando, primatum et necessitatem communionis cum Sede Romana insigniter evolvit, A. 1238.

MON. Supremus opifex, qui fingit corda hominum singillatim, et qui non ex praeiacenti materia, sed de nihilo creavit omnia solo verbo, vas sibi in gloriam et honorem, prout tenemus, experimento probabili te formavit, ut per te fides catholica propagetur, et conservetur libertas ecclesiastica, et defendatur religio christiana. Tu etiam, fili carissime, ab eo, qui solus habet in regno hominum potestatem, non solum dignitatis regiae gloriam recognoscens, sed etiam quidquid habes, imo quidquid es, ei totum attribuens, qui te fecit, illo menti tuae timorem sui no-

minis et amorem misericorditer inspirante, te sibi substernere tota devotione teneris, et eius beneplacitis prompta fide te offerens et exponens, totis ei affectibus complacere. Primatum quoque Romanae Ecclesiae reverenter advertens, quem non terrena fundavit sententia, sed illud Verbum, quo constructum est coelum et terra, per quod denique omnia elementa sunt condita, Iesus Christus: quam ideo supra se petram erexit ad beatissimum Apostolorum principem inquiens: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam: ut aeterni templi structura mirabili munere divinae gratiae in petrae soliditate consisteret, et illam nec humana temeritas posset appetere nec contra illam portae inferi praevalerent. Hanc igitur petrae sacratissimam firmitatem Deo aedificante constructam praesumtione nititur nimis impia violare, quisquis potestatem eius tentat infringere vel ab eius recedere unitate, quia cum Unigenitus Dei Filius aeternae vitae clavigero ob fervorem constantissimae fidei ligandi et solvendi contulerit potestatem, ipso sibi dicente: Quodcunque ligaveris etc., et propter meritum ferventissimae caritatis pascendas sibi commiserit oves suas dicendo: Simon Ioannis diligis me plus his? pasce oves meas: qui eum non receperint in pastorem, ab ipsius censentur ovibus alieni. Tales namque sunt haeretici et schismatici, qui a tanto pastore pasci renuunt, et eius vicario non intendunt, perfidiores Iudaeis, et crudeliores paganis. Nam Iudaei semel Dominum crucis patibulo affixerunt, haeretici vero in membris suis iugiter crucifigunt eundem, opprobriis ipsum et contumeliis lacerantes; et cum illi credant licet sub coecitate peccati, Deum Patrem omnia visibilia et invisibilia condidisse, isti a principe tenebrarum visibilia credunt esse condita et creata. Pagani quoque furebant in puniendis Christianorum corporibus et mactandis. Isti fidelium animas latenter Christo subripiunt et furantur, utrumque hominem perimentes. Schismatici autem tunicam inconsutilem Iesu Christi, quae divisis aliis vestibus uni cessit in sortem, ut ipsius Ecclesia figurata per tunicam, quam sicut indumentum induit, una esset, scindere moliuntur. De quorum numero perfidus est Assanus, qui ab Ecclesiae unitate recedens, et de Petri ovibus esse recusans, eius pasci doctrinae verbo, operationis exemplo, et sacrae communionis pabulo contradicit, receptat in terra sua haereticos et defensat, quibus tota terra ipsa infecta dicitur et repleta. Cum

igitur dignum sit, ut sangvis eorum veniat super eos iniquitate sua velut Amorrhaei populi consumanda, ven. fr. nostris Strigoniensi et Colocensi AEppis, Eppo Perusino apost. sedis legato, et universis Eppis per Ungariam constitutis damus in mandatis, ut contra dictum Assanum et terram suam praedicent verbum crucis. — Quia vero inter cetera pietatis opera, per quae Serenitas Regia placere valeat Regi Regum, istud praecipuum reputatur, si zelo divinae legis accensus accingaris in eos, et in illos exarserit ira tua, qui antichristi praecursores effecti vel potius antichristi fidem nostram immaniter persequuntur: excellentiam tuam affectuose rogamus, et a te, Christianissime Principum, instanter exposcimus, — ut exurgas in adiutorium Christi tui; exurgas ad contritionem nationis pravae atque perversae, quae multis insultat opprobriis nomini christiano; accendat te zelus fidei orthodoxae, et sic contra eos in forti manu et extento brachio te accingas, ut huiusmodi pestilentibus ante faciem tuam velut nubibus aquilone fugatis, illuc sanctificatos domini divino comitatus auxilio introducas. — Datum Laterani VI. Kal. Febr. anno XI. (1238.) — **Theiner** *Vet. Monum. Hungariam Sacram illustr. I.* Romae. 1859. p. 159.

620.

Innocentius IV PP. Duci Bulgarorum de Primatu Ecclesiae Romanae, A. 1245.

MON. Illustri Colomanno in Bulgaria imperanti Deum diligere et timere! Cum simus super apostolicae Sedis speculam constituti, vehementer dolere cogimur et turbari, cum a capite suo membra quaedam videamus esse divisa, suaeque divisionis damnum tamquam mortificata non plangere, nec sentire. Nempe orthodoxorum neminem credimus iam latere, unum in terris caput esse tantummodo, ex quo totum corpus contexitur militantis Ecclesiae, rerum id exigente natura, quae corpus, si habuerit duo capita, iudicat monstruosum: probat hoc idem ratio exemplaris aeterni, iuxta quod militantem Ecclesiam sub utroque tempore disponendam per instructionem evangelicam didicit legislator,

Paulo apostolo referente: Vide, omnia facito iuxta exemplar, quod tibi in monte monstratum est; ubi divina dispositione Hierarchiae per media ultima ipsaque per primam mediatori omnium convertuntur, quod imitandum fore necessario peregrinanti ecclesiae Scriptura S. tam figuris quam apertis testimoniis asserit atque probat. Unus Adam deputatus ad opus et custodiam paradisi, unam est sortitus uxorem, unum Dominum Iesum Christum in iustitia et veritatis sinceritate creatum, eiusdemque unum in terris Vicarium et unicam eius sponsam ecclesiam praefigurans, doctore gentium attestante, sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in ecclesia. Lamech vero, quod humiliatum sonat, dum uxorem unam divisit in duas, sangvinarius est effectus, et virum in vulnus suum occidit, ad instar cuius qui Ecclesiam scindunt, occidunt animas parvulorum. Deinde salutis arcam tantum unam fuisse legimus, quae cuncta vastante diluvio sub unius patriarchae remigis potentatu paucas animas sub perfectionis numero reservavit, facti cuius mysterium pastor Ecclesiae Petrus Apostolus tangens ait: In arca Noë pauci, id est, octo animae salvae factae sunt per aquam, quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma. Ipsa etiam Veritas gentium vocationem praedicens asseruit, quod in ovili suo unus tantum debeat esse pastor: fiet, inquiens, unum ovile et unus pastor. Ad hoc ovile Paulus ipse divina clementia revocatus, docet et praedicat unum caput esse tenendum fide pariter et amore. Unde schismaticos et ab unitate corporis Ecclesiae per inobedientiam recedentes notans, vitandosque insinuans ait: Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione, quam non vidit, angelorum ambulare, frustra inflatus sensu carnis suae, et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexum et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei. Nulli fideli venit in dubium, quin ipse Christus sit pastor Ecclesiae atque Caput, non tantum militantis, sed etiam triumphantis, qui secundum carnis assumtae naturam mortem pro suis ovibus subiturus, et post resurrectionem ad patris dexteram ascensurus, ut quo Caput ibat, membra se itura sperarent, ne corpus peregrinantis ecclesiae propter corporalem ipsius absentiam videretur acephalum remanere, sibi successorem constituit Vicarium specialem, non quidem Iacobum aut Ioannem, qui columnae videbantur esse, non Paulum legis scientia praeditum et doctrina,

ut non glorietur omnis caro in conspectu eius, sed Simonem, quem et Petrum cognominavit. Hunc itaque suarum ovium pastorem substituens universalem in terris earumdem pascendarum curam indistincte commisit eidem tertio dicens: pasce oves meas; cui ex praerogativa speciali, ut nobis ipsum caput post se fore totius ecclesiae demonstraret, promiserat dicens: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur caput; ut sicut in capite sensuum plenitudo consistit, a quo ad singula membra occultis meatibus pars aliqua tamquam a fonte rivulus derivatur, sic tres fidelium ordines in ecclesia Noe, Daniel, et Iob, praelati videlicet, continentes, et coniugati, quos Ezechiel vidisse legitur in visione salvandos, a Petro petra, super quam non domum saltus Libani, non porticum columnarum, nec domum filiae Pharaonis, sed ecclesiam suam aedificavit Dominus, fidelibus velut de omni genere piscium in eius rete conclusis, tamquam a Primate primatum, qui de fonte Dominici pectoris fluenta potavit, et suae salutis debent postulare remedia, et cum omni patientia et doctrina non contentiose vel superbe in aliquo resistentes, a mentis suae tenebris dubietatis scrupulos removere. Nam etsi Paulus ex verbo Domini Petro ceterisque apostolis universaliter sic dicentis ‚Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt', cum Petro fuit ministerium dignitatis exercens; fuit etiam ex verbis eiusdem auctoritatis singulariter Petro propositis ‚Quodcunque ligaveris super terram etc.' in Petro auctoritatis officium recognoscens, et ideo ad eum tamquam primatem et evangelii dominici fontem venit Ierosolimam, et postmodum cum ipso et aliis secundum revelationem contulit evangelium, ne in vacuum curreret vel etiam cucurrisset. Quae Petri auctoritas ex eiusdem Domini verbis expressius roboratur, cum sibi soli dicitur ab eodem: duc in altum, et postea subinfertur: laxate retia in capturam. Si ergo Petrus per excellentiam fidei, qua in uno Christo duas naturas divinitus recognoscens, cum dixit: Tu es Christus filius Dei vivi, claves regni coelestis in terris solus accepit, cum unum sit caput ecclesiae militantis, restat, ut ad regimen generalis ecclesiae, quam ipse cum Paulo et ceteris de gentibus congregavit, caput eiusdem, suumque Dominus per ea, quae praemissa sunt, manifeste ostenderit successorem. Praevidens autem Dominus, quod Ecclesia sua conculcaretur a tyrannis, laniaretur ab haereticis, et a schismaticis

scinderetur, ait: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Ex quo colligitur evidenter, quod ad Sedem Petri omnis sit quaestio referenda. Cui cum Dei gratia disponente non nostris meritis praesideamus, nequaquam sine dolore possumus intueri, a tanti capitis corpore membra quaedam esse divisa, videlicet Graecorum et Bulgarorum Ecclesiam, seiuncta nempe per inobedientiam a suo capite speciali corporis sensificationi nequaquam participant, cum ab eius se subtraxerint unitate. Igitur quia debitores sumus omnium salutem quaerere, servus servorum illius, qui neminem vult perire, non immerito circa te et subditos tuos misericordiae visceribus affluentes, Pauli gentium doctoris affectum induimus, qui sciens Creatorem omnium acceptionem non facere personarum, coinfirmatus infirmis et omnibus omnia factus est, ut omnes Domino lucraretur, rogamus et obsecramus in Domino Iesu Christo, quod ad unitatem sacrosanctae Romanae Ecclesiae redire non differas, nec reputes otiosum, quod a nobis in hac parte diebus istis inspiratione divina de fratrum nostrorum consilio sitientium illuminationem tuam populique tibi subiecti non sine sacrarum scripturarum est auctoritate provisum. Non enim vestra requirimus, sed animarum vestrarum cum Iesu Christo lucra sitimus, nihil de facultate vestra subtrahere quaerimus vel minuere de honore, sed quantum cum Deo iuste possumus, provehere vos et ampliare potius affectamus. Erit proinde dante Iesu Christo nostris affectibus incrementum, si tu, qui esse populi tui caput et princeps diceris, per gratiam intellectus, quo a multitudine subiecta discerneris, proposita tibi per pacis nuntios audiens patienter, ad unitatem ecclesiae catholicae revertaris, ut efficiaris Christo primitiae populi reversuri. — Datum Lugduni XII Kal. April. a. II. (1245.) — **Theiner** *Mon. Hungar. I.* 196.

---

621. 622.

Iacobitae Orientales agnoscunt primatum Romanae Ecclesiae, A. 1247.

621. MON. *Literae Iacobitarum ad Papam.* Innotescat sanctitati Patris communis post Patrem coelestem, et domini

communis post Deum coelestem, quod pervenit ad nos epistola sancta vestra, et levavi eam super capita nostra, et benedictionem recepimus ab ipsa, sicut a similitudine imaginis Iesu Christi. — Dicimus igitur, quod nos Christiani Orientales vocati Iacobitae credimus in Patrem et Filium et Spiritum S. etc. — *Recipimus omnes, qui sequuntur fidem beati Petri principis Apostolorum,* et incedunt per viam Nicaeni Concilii, quicunque sint illi de doctoribus Ecclesiae suae, quorum veritas nota est apud excelsum Deum. Item *damnamus et excommunicamus omnem deviantem a fide beati Petri* et C. Nicaeni. — *Confitemur* iterum, *quod sacrosancta Ecclesia Romana est mater et caput omnium ecclesiarum, et ipsa est, in qua sunt reposita corpora beatorum Petri et Pauli.* —

622. *Ex epistola Patriarchae Iacobitarum. — Concordamus cum beato Petro, et confitemur eum fundamentum esse Ecclesiae,* sicut nominavit eum Christus petram, dicens: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; et ideo *Ecclesia, in qua est corpus eius repositum, est mater omnium ecclesiarum in universo mundo; et dicimus et praedicamus, quod ipsa est lampas lucens, ex qua omnes aliae lampades succenduntur.* — **Raynaldus** *Ann. Baron.* ad a. 1247.

623—625.

Albertus Magnus, A. 1247. de Primatu.

623. MON. *Ad Cap. X. Matth.* Petrus *primus* dignitate, non vocatione, propter quod vertex dicitur Apostolorum. — Attende, quod licet Petrus vertex dicatur *primus,* non tamen Andreas *secundus* dicitur, nec Philippus *tertius,* et sic deinceps; sed *omnes secundi sunt a Petro ad iurisdictionem, quia non unus sub alio, sed omnes sub Petro.*

624. *Ad Cap. XVI. Matth.* — ‚Dico autem tibi.' Singulariter, non quod Petrus singulariter acceperit claves, sed quia *in unitate ordinis Ecclesiae unus est, qui accepit in plenitudine potestatis; qui est successor Petri, et Petrus in potestate;* alii autem in eadem unitate accipiunt in parte potestatis, eo quod vocantur in partem sollicitudinis.

625. *Ad Cap. XXII. Luc.* ‚Ego rogavi pro te.' Hoc argumentum efficax est pro Sede Petri et successore ipsius, quod fides eius non finaliter deficiet.

626.

Alexander IV PP. damnat librum contra potestatem R. Pontificis exaratum, A. 1256.

MON. Romanus Pontifex de summi apostolatus specula urbi et orbi debita servitute prospiciens, curis occupatur innumeris, et cogitationibus rapitur infinitis, quia eminentior ceteris Sedes eius sollicitudines sibi vehementiores accumulat, et ipsius auctoritas potior meditationes ei multiplicat ampliores. Quo enim altius praesidet, eo longius latiusque circumspicit, et quanto plus potest officio, tanto maioris vigilantiae sibi sarcina incumbente plus pensat: quoniam maximae dignitati potissima sollicitudo cohaeret, et altiorem honorem onus gravius comitatur, curaque profusior ardentioribus stimulis mentem urget. Unde cum aliis plebium fidelium pastoribus, quibus grex dominicus particulariter est commissus, immineat de suarum ecclesiarum eminentia vigilanter ad suas oves attendere, incumbit utique Romano Praesuli, cui est grex ipse generaliter creditus, de sublimi Ecclesiarum vertice, Sede scilicet Apostolica, propensius ad illum et instanter intueri; quia cum hi suis limitatis populis praesint, singuli quidem singulis, hic sine distinctione praelatus est Pontifex universis, dominicae quidem vineae custos generalis et cultor, et totius ovilis catholici pastorumque omnium summus Pastor; incumbente namque sibi generali sollicitudine super omnes, cum ex hoc suae mentis intuitum per cuncta diffundere teneatur, stupet nimirum ipsius animus, et sub tam gravis et difficilis curae pondere contremiscit, quod posse sufferre, ut convenit, ius naturae occiduae vix confidit. Ad eum namque negotia undique confluunt, perveniunt lites, dubia deferuntur et destinantur implicita et perplexa, nec unam horam influens torrens cessat, nec huius alti pelagi validae et infestae procellae quiescunt, sed his, quae nunc imminent, expeditis, mox alia subsequuntur. Nec tot implexarum quaestionum nodi dicisione apo-

stolica solvi possunt, quin et aliae irretitae et nodosae supervcniant, deliberatione matura et consulta definitione solvendae. Imo ex quo de instantibus difficilibus et obscuris dubietatis caliginem verbo suae declarationis amoverit, statim nova et recentia turbulenta ingruunt apostolico dilucidanda oraculo, et ambiguis ac incertis mentibus clarae dissertionis lumine reserenanda. Propterea inest Romano Antistiti sollicitudo sine otio, labor sine quiete, occupatio sine vacatione, exercitium sine tranquillitate, ingens et sedula meditatio et vigilia sine somno, nec ad modicum etiam cura quotidiana intermissionem habet, instantia, quae nec omittitur aliquo tempore, nec aliquod ipsa tempus omittit, urget continue, quia cogitandi materia semper adest, haec successu temporis desinet, sed cum illius diuturnitate perdurat, quia nec decursu temporum deficiunt negotia, sed assidue illis succedentibus renascuntur. Nam et hostis antiquus, argutus quidem insidiator, callidusque deceptor animarum, vehementis et ardentis sollicitudinis causam praebet; humanae quippe pacis aemulus, fraternae invidus caritatis, divinorum abactor, dissipator unionum, et tranquilli status fidelium anxius persecutor, interserit odia, rancores ingerit, livores accendit, movet lites, iurgia suscitat, contentiones irritat, parat seditiones et dissensiones procurat, et illorum etiam, qui perfectiores et firmiores esse creduntur, interdum corda subvertit, et ibi magis impietatis suae machinas erigere ac nequitiae faces accendere nititur, ubi forte plus aestimat malignitatis suae conamina obfutura. Iacit iniquus laqueos, pedicas obiicit, ponit tendiculas, ut prudentiores etiam intercipiat et captivet. Hinc turbationes oriuntur, surgunt inimicitiae, dissidia prodeunt, et scandala generantur; unde sic iam seculum declinavit ad malum, quod excrescentibus et invalescentibus hinc noxiis quasi vix locus in ipso salutaris invenitur, et exclusa fere inde concordia, quasi stabilem ibi habet discordia mansionem. Quare oportet cura incessabili vigilare, ut detorta et corrupta per malitiam bonitatis virtute rectificentur et reformentur, divulsa per odium caritate ligentur, et commota sistant et pausent, habeant turbata tranquillum, et status fidelium semper in melius roboretur.

Sane quidam Scripturae S. intelligentiam se habere fatentes, sed divertentes a tramite recti sensus, cogitaverunt nuper malitiam, et contra innocentes et rectos iniquitatem maxi-

mam sunt locuti; exarserunt in cordibus suis, et in lingva eorum maliloqua, dolum et nequitia concinnavit, surgentes adversus fratres detraxerunt, et contra dilectos matris Ecclesiae filios scandalum posuere. Prodiere, inquam, et in prava commenta ex nimio calore animi proruperunt, *libellum* quemdam valde perniciosum et detestabilem temere componentes, libellum quidem non rationabilem sed reprobabilem, non veritatis sed mendacii, non eruditionis sed derogationis, non monentem sed mordentem, non instruentem veraciter sed fallentem. Quem nos ad Sedem delatum Apostolicam ven. fratri Eppo Tusculano et dil. fil. nostris Innocentio tit. S. Laurentii in Lucina, et Honorio tit. S. Sabinae presbyteris, et Innocentio S. Nicolai in Carcere Tulliano diacono Cardinalibus examinandum commisimus, ut plene ipsum inspicerent, et universa contenta in eo perfecte attenderent et discuterent diligenter. Quo studiose perlecto, et mature et districte examinato, nobisque de hoc plenaria facta relatione ab eis, quod in ipso quaedam perversa et reproba *contra potestatem et auctoritatem Romani Pontificis* et Coepiscoporum suorum, et nonnulla contra illos, qui propter Deum sub arctissima paupertate mendicant, mundum cum suis opibus voluntaria inopia superantes, alia vero contra eos, qui salutem animarum zelantes ardenter et sacris studiis procurantes, multos in Ecclesia Dei operantur spirituales profectus et magnum faciunt ibi fructum; quaedam autem contra salutarem pauperum seu mendicantium religiosorum statum, sicut sunt dil. filii Praedicatores et Minores fratres, qui vigore spiritus seculo cum suis divitiis derelicto ad solam coelestem patriam tota intentione suspirant; nec non et alia plura inconvenientia, digna utique confutatione ac confusione perpetua, manifeste comperimus contineri; quodque etiam idem libellus magni scandali seminarium et multae turbationis materia existebat, et inducebat etiam dispendium animarum, cum retraheret a devotione solita, et consveta eleemosynarum largitione, ac a conversatione et religionis ingressu fideles. Nos libellum eundem, qui sic incipit ‚Ecce videntes clamabunt foris', quique secundum ipsius titulum *Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum* nuncupatur, tamquam iniquum, scelestum et execrabilem, et institutiones ac documenta in eo tradita, utpote prava, falsa et nefaria, de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus reprobanda, et in perpetuum conde-

mnanda, districte praecipientes, ut quicunque libellum ipsum habuerit, eum infra octo dies, ex quo huiusmodi nostram reprobationem et condemnationem sciverit, prorsus in toto et in qualibet sui parte comburere, et omnino abolere procuret. Et in illos, qui huiusmodi nostri praecepti fuerint contemtores, excomm. sententiam promulgamus, in virtute obedientiae prohibendo, ne quisquam praedictum libellum ore apostolico iam damnatum approbare vel quomodolibet defensare praesumat: et si quis praesumserit, tamquam contumax, inobediens et rebellis Romanae Ecclesiae ab omnibus fidelibus habeatur. Et nos nihilominus alias contra eum taliter procedemus, quod poena condigna temerarium feriet, et alii ea perterriti a similibus froenabuntur. — **Bullarium** *edit. Taurin.* III. 644.

627.

Idem de visitatione liminum Apostolicorum ab Eppis rite perficienda, A. 1257.

MON. Importuna multorum instantia, quam nequit interdum repulsa repellere, fel. rec. Innocentium PP. praedecessorem nostrum et nos aliquando coarctavit, ut cum votis eorum benignitas Sedis Apost. quodammodo tracta concurreret, non ex voto. Sane *nonnulli Ecclesiarum Praelati obtinuerunt sibi per Sedem Apost. importune concedi, ut non teneantur Sedem eandem usque ad certa tempora visitare, contra formam praestiti iuramenti: ex quo illud evenit inconveniens, quod Apost. Sedis dignitas rarius visitatur, in derogationem reverentiae, quae ab omnibus debetur eidem, utpote quae mater existit Ecclesiarum omnium et magistra.* Nos igitur volentes super hoc salubri remedio providere, ac Romanam Ecclesiam, quae super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, congruis honoribus frequentari, praesertim cum non sit facile recedendum ab eo, quod a praedecessoribus nostris super hoc diu excogitatum extitit et obtentum: de fratrum nostrorum consilio indulgentias et concessiones huiusmodi Patriarchis, AEppis, Eppis, Abbatibus,

et aliis Ecclesiarum praelatis concessas, auctoritate praesentium revocamus. — **Bullarium** *edit. Taurin. III.* 652.

---

628. 629.

Sub **Urbano IV PP.** tentata unio Graecorum, eademve occasione Primatus Romanae Sedis expositus. 1263. ss.

628. MON. *Urbani IV. epistola ad Mich. Palaeologum Imperatorem a. 1263.* Imperialis excellentiae nuntios, nec non et literas, quas ex parte tui culminis praesentarunt, cum ingenti gaudio et exultatione, ac honorificentia condigna recepimus: et tam ea, quae coram nobis et fratribus nostris dicti proposuere nuntii, quam earumdem literarum seriem, quas de Graeco transferri fecimus in Latinum, plane advertimus et intelleximus diligenter. Sane in literis ipsis in primo utique salutationis alloquio nos ‚Papam veteris Romae, throni Apostolici successorem, et spiritualem tui Patrem imperii' recognoscens, deinde de caritate utilia subiunxisti, dicens, quod imperium tuum caritatem libenter amplectens ac habens zelum Dei, et zelans pacis ac concordiae bonum, te ad mittendum dictos nuntios et praedictas literas praeparavit. Scripsisti etiam, quod nos, qui pater sumus, ad te, quem asseris nostrum devotissimum filium, paterni affectus viscera nullatenus aperimus, quantumcunque tu filius nos diligas sicut patrem. Nam licet statim capta CPlitana urbe alias nobis epistolares literas miseris, eandem intentionem, idemque propositum continentes, nihilominus tamen propter ardens tuum in hoc desiderium praedictos nuntios cum huiusmodi literis mittere decrevisti, postulans, ut circa priorem unitatem in Dei Ecclesia renovandam pater filio coniungatur, quoniam si hoc Dominus ex alto permiserit, nullus pro certo praesumet contra ipsam Ecclesiam superbire, quia nec Rex, nec Princeps aliquis apostolicae audebit resistere iussioni. — Addebas praeterea, quod de dogmatibus fidei et consvetudinibus seu ritibus ecclesiasticis nullum tunc sermonem in eisdem literis faciebas: nam si in iis aliqua esset discordia, pace praemissa inter Latinos et Graecos,

haec solveretur facilius et celerius sopiretur. Demum autem tua sublimitas tam per easdem literas, quam per memoratos nuntios cum multa petivit instantia, ut apocrisiarios, seu legatos nostros, homines videlicet pacis, et pacificos Christi discipulos, non gaudentes in vanitate verborum, nec bono pacis mundanam sapientiam praeponentes ad tuam praesentiam mitteremus, cum per ipsos tuum expectet imperium recipere a nobis responsum.

Nos igitur praedictis literis debita coram fratribus nostris attentione discussis, Deo Patri Omnipotenti, a quo bona cuncta procedunt, et in cuius manu Regum corda consistunt, et qui etiam quocunque vult illa sine obice difficultatis inclinat, millemodas gratiarum retulimus actiones, totaque Romana Mater Ecclesia in laudis supernae iubilum assurrexit, pro eo, quod Spiritus S. gratia videbatur mentales tanti Principis oculos sui fulgoris radiis illustrasse, ac ostendisse sibi viam catholicae veritatis, per quam ad matrem filia, pars ad totum, et membrum reducatur ad Caput. Hoc enim eadem Romana semper affectavit Ecclesia, et ad hoc indesinenter suae studium considerationis inflexit, ut Graecorum Ecclesia suae reficeretur lacte dulcedinis, suisque educaretur uberibus caritatis, ita, quod ovile Dominicum sub unius Pastoris regimine alimenta doctrinae salutis acciperet, et nomen Domini sub uno verae fidei dogmate utilius et salubrius invocaret. Volentes itaque tam utili tamque fructuoso tractatui diligenter et ferventer insistere, ac nostros propter hoc ad te apocrisiarios iuxta imperialis petitionis desiderium destinare, memoratis tuae celsitudinis nuntiis paterna benignitate dimissis promisimus, quod circa mittendas ad te personas idoneas, in quarum ore verba responsionis apostolicae ponerentur, libenter tuae satisfaceremus beneplacito voluntatis. Licet ergo eisdem tuis nuntiis vellemus nostrae super hoc intentionis affectum perducere faciente Domino celeriter ad effectum: longa tamen loci distantia, qua dil. filii Simon de Alvernia, Petrus de Moras, Petrus de Crista, et Bonifacius de Iporia, fratres Ordinis Minorum, latores praesentium, apocrisiarii nostri tunc temporis morabantur, nostris super hoc votis contra spem nostram obstaculum dilationis ingessit. Infesti quoque rumores, qui ad audientiam nostram medio tempore pervenerunt, de persecutionibus, molestiis et pressuris, quae nobili viro Guillelmo de Villarduin Principi Achaiae, devotissimo utique dictae Matris Ecclesiae fi-

lio, eiusque terris et insulis ac Latinis morantibus in eisdem per tui viros imperii iugiter inferuntur, celerem expeditionem legationis huiusmodi retardarunt, cum per huiusmodi tuorum operum novitatem resiliisse a concepto proposito, nec in eadem voluntate persistere credereris. Verumtamen quia tanti boni prosecutio non potuit apud nos nec debuit per aliquod quantumcunque verisimile retractivum finaliter impediri, cum ceteris mentis nostrae desiderabilibus id specialiter praeferamus, ut christiana plebs sub orthodoxae professione fidei atque cultu proficiat, et in idem individuum collegium unius pastoris, si detur, magisterio et custodia muniatur: ecce, praedictos fratres, viros utique religione conspicuos, et in lege Domini eruditos, pacificos, et ramum olivae in ore gestantes, veritatis etiam evangelicae professores, amatores et cultores humilitatis, qui Christum sequendo pauperem, seculo cum suis divitiis et delictis derelicto, ad solam coelestem patriam tota mentis attentione suspirant, ad tuam magnitudinem — destinamus: sperantes in illo, qui arcem possidens unitatis, universitati rerum, quas condidit, suae vestigium unitatis impressit, per quam ad suum principium recurrentes ab eo recipiunt perfectionis finem, a quo subsistendi sumsere primordium, et quod aures tuae imperialis magnitudinis ad eorumdem fratrum salutaria monita efficaciter inclinabit, tibique tribuet ex alto virtutem cogitandi vias Domini, tuosque pedes in eius testimonia convertendi praeduce caritate: quae, sicut tuarum literarum habet assertio, tuum excitavit et induxit imperium ad pacem a nobis et concordiam requirendam, et super qua etiam veluti supra solidum fundamentum literarum ipsarum structuram quasi totaliter erexisti. Et licet nos, qui vices illius licet immeriti tenemus in terris, qui caritatem docuit, caritatem dilexit, caritatem ostendit, et caritatem misit in mundum, verba caritatis a te proposita in ipso exordio literarum caritative recepimus, et libenter audivimus; — ex zelo tamen sincerissimae caritatis procul dubio procedere noveris, quod te et cunctos populos, quos tuum regit et gubernat imperium, ut ad veritatem redeatis catholicam, totis anhelamus affectibus, et vos, ut ad sinum Matris Ecclesiae convertamini, promtis desideriis invitamus: quoniam huiusmodi unio sive connexio salutaris, si placeret Altissimo, quod nostris temporibus fieret, cordi nostro inaestimabilis gaudii rorem infunderet, et anxiae propter hoc nostrae

mentis ardorem affluentis laetitiae refrigeraret irriguo, nostrumque animum, panem salutis et fructum animarum desiderabiliter appetentem, pabulo reficeret caritatis. Tunc enim nobis et ipsi Ecclesiae proveniret magnum et desiderabile salutare, cum videremus varias gentium nationes sub eiusdem observantia fidei in unum acceptabilem Christo populum congregatas. Tunc etiam exultatione nimia hilaresceret totus orbis, quia valde bonum et iucundum existeret fratres simul in domo Domini habitare.

Haec, inquam, domus est Ecclesia Christi firmiter aedificata, et bene fundata supra firmam petram fidei orthodoxae, quam ipse Christus suo fundavit sangvine pretioso, et in qua multitudini credentium est cor unum et anima una, unus Deus, una fides, et unum baptisma, et in qua etiam tota fidelium multitudo uni corpori comparatur, dicente Apostolo: ‚Multi unum corpus sumus in Christo.' Cuius quidem corporis unitas a Spiritus unitate procedit, qui etsi sit unus, pro suo tamen arbitrio membris Ecclesiae diversitatem influit gratiae. — Haec quidem ecclesiastici corporis unitas per inconsutilem Domini tunicam, quae divisis aliis vestibus uni tantum cessit in sortem, non immerito figuratur. — Ut igitur huiusmodi unitatis gratia firma et illibata penitus servaretur, unum eidem unitati Dominus, videlicet beatum Petrum apostolorum principem, caput constituit et magistrum, ut illam quasi Noe arcam, extra quam animantia derelicta in aquas diluvii submerguntur, in ipso apostolorum principe velut in uno cubito consummaret, eique magisterium Ecclesiae suae conferens et primatum, oves et agnos suos illi pascendos praemissa trina dilectionis interrogatione commisit, tradens ei claves regni coelorum cum libero ligandi atque solvendi pontificio et plenaria potestate. Et ne ipsius principis fides deficeret aliquando, pro ipso efficaciter exoravit; quod cum postmodum aliarum Ecclesiarum nonnullae fuerint haereticorum errore foedatae, Romana Ecclesia, cuius idem beatus Petrus extitit magister, immaculata remansit, nullamque prorsus labem contraxit haereticae pravitatis. Unde reliqui Apostoli huiusmodi institutionem Dominicam etiam post Christi ascensionem inviolabiliter observantes, recognoverunt eundem beatum Petrum fore Christi Vicarium, et super eo Primatus officium in omnibus obtinere. Ad verbum namque ipsius beati Petri surgentis in medio fratrum, unanimiter per Apostolos ad electionem Mathiae proceditur:

surrexit enim in medio tamquam ardens igne Spiritus S. loco magistri, qui ei commiserat gregem suum, et tamquam honorabilissimus, cui omnes pariter intendebant. Eius quoque sermonibus illi, qui blasphemabant apostolos, imo Spiritum S., convincebantur. Multa insuper fidelium millia ipsius praedicatione convertebantur ad fidem, in qua quidem praedicatione se ferventer et ardenter velut Christi Vicarius exercebat. Neque huic institutioni Dominicae S. Patres postmodum restiterunt: sed ipsius Principis successorem tamquam illum, qui Christi vices in terris obtinet, venerantes, et ad eius iudicium in fidei recurrentes dubiis, eius auctoritate haereses condemnarunt, manentes sicut membra in eorum Capite, apostolico scilicet throno Pontificum Romanorum, a quo quaerendum est, quid sit tenendum quidve credendum: cum eius sit reprehendere, statuere, ordinare, disponere, praecipere, solvere, et loco illius ligare, qui aedificavit illum, et quod nulli alii, sed ipsi soli, quod plenum est, tradidit et concessit. Huic etiam throno omnes catholici iure divino caput inclinant, et primates mundi veram confitentes fidem tamquam ipsi Domino Iesu obediunt et intendunt, ac in illum tamquam in solem respiciunt, et ab eo lumen veritatis et fidei ad salutem recipiunt animarum, prout nonnullorum SS. Patrum tam Graecorum quam aliorum scripturae veridicae asseverant. Porro cum praecellens Ecclesiae praedictae auctoritas et potestas et Evangelico roboretur privilegio, et quamplurium S. Doctorum testimonio fulciatur, nequaquam expediens fore decrevimus plura horum super hoc scripta producere, quia supervacaneum prorsus existeret solem adiuvare facibus, ac id, quod est in coelo et terra notum, Scripturarum suffragiis comprobare. — Et cum simus illius vicarii Veritatis, quae ait: ‚Ego sum via, veritas, et vita‘, propter quod veritatem diligere, veritatem ostendere, veritatem sequi, veritatem omnibus dicere, ac veritatem etiam supra tecta praedicare tenemur: tacere in hoc non possumus nec debemus nec volumus veritatem, quod omnes illi, qui throno Apostolico non obediunt, quantumcunque Christianos se nominent, dominicis obviant institutis, et in Deum peccant mortaliter, et graviter oculos Divinae Maiestatis offendunt. Nam quanta sit inobedientiae culpa, verbo Samuelis ostenditur asserentis, quod quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriae acquiescere nolle. Monstratur etiam et exemplo Datan et

Abiron, qui propter inobedientiae malum ab Altissimo poena gravissima sunt puniti, terra eos cum suis omnibus absorbente. Haec autem tibi dicimus more periti medici, nolentes palpare vulnera inobedientiae telo transfixa, et ideo verba nostra patienter audias, et sapienter advertas, ut tibi auctore Deo proficiant ad salutem. Meliora sunt enim, Salomone teste, diligentis vulnera, quam fraudulenta oscula odientis. Ad nostrum nempe spectat officium, ubi necessaria est increpatio, non tacere, sicut conticent canes muti non valentes latrare: sed secundum Apostolum arguere, obsecrare, et increpare in omni patientia et doctrina. Verum quanta mala populo Christiano contigerint a tempore dissensionis et divisionis huiusmodi, nullatenus ignoramus; quinimo dum haec ante oculos nostros reducimus, producimus ab imis amara suspiria, nec possumus lacrymas sustinere, dolentes super illis, qui primi a praedictae Romanae Ecclesiae obedientia recedentes, inter Latinos et Graecos tanti materiam scandali reliquerunt. Nam si Latini Graecos diversis temporibus impugnarunt, hoc procul dubio non fecerunt tantummodo causa acquirendi eorum terras, et divitias temporales, sed ut per vexationem Graecis, qui noluerunt intelligere, ut bene agerent, intellectus praestaretur. — —

629. *Palaeologi Imp. literae ad Papam, A. 1264.* In omnibus orationibus nostris Vestram licet indigni et vestrorum fratrum S. R. E. Cardinalium ad Deum filiali affectione memoriam facimus, quatenus septiformi gratia Dei Paracleti, qua totum Ecclesiae corpus coadunatur, compaginatur, sanctificatur, et Deo Christo legitimo suo sponso per Vos ad nos et ad omnia membra S. Matris Ecclesiae, cuius caput est Christus, per suam virtutem ipse coelitus destinare dignetur, in futuro vero cum beatissimis verticibus chori Apostolorum, videlicet Petro et Paulo, a Pastorum Pastore Christo Deo, qui propter nos beneplacuit sibi sicut ovis occidi, vos dignos faciat coronari. Per praesentes quidem literas sacrosanctae vestrae paternitati et vestrorum fratrum discretae dilectioni notificamus, quod transactis temporibus beatae memoriae Imperatorum praedecessorum nostri imperii multoties legati et nuntii hinc et inde directi fuerunt ad componendam pacem, unitatem et gratiam reuniendae in Christo Deo Ecclesiae, quam pravi et schismatici praesules dilaceraverunt; et hi medicamen aliquod non portarunt, sed magis ac ma-

gis praedictae Ecclesiae schisma et discordiae creverunt propter sermonis divinae Scripturae non puram expositionem, et divinorum sacrorum dogmatum, quae in libris S. Patrum continebantur, declarationem non sinceram; et praedicti nuntii immediate loqui ad invicem ignorabant, sed eorum colloquium per illos, qui in medio stabant interpretes, non existentes sufficientes in scientia, nec potentes capere amborum intellectus; cum recte ac vere non potuissent exponere et in palam reducere ambarum Ecclesiarum dogmata, ad centrum veritatis et normam verae fidei pervenire minime potuerunt; et sic odium fraternum extinctivum amoris fraterni et obnubilativum rationis verae fidei ad lites et contentiones, ad superbiam et contumaciam, nec non ad strepitum armorum et sangvinum effusionem et ad omnem iniustitiam iuris divini et divinorum canonum semper crevit: et haec quidem erant miserrima et lacrymarum bene digna scientibus et salutem eorum desiderantibus propter brevitatem temporis huius seculi, quod post praesentis vitae transitum ad comparationem perpetui et futuri seculi pro nihilo reputatur. Cumque quarto anno nostri imperii, primo praeterito, vox laetitiae ab Occidente cor nostrum tetigerit, et insonuerit auribus nostris, quae animi nostri accendit affectum, quod a patria et origine gentis nostrae Romaeorum generationis divina gratia et planta proveniens, et de virenti viridario transplantata, et ad hortum similem inserta S. Matris Romanae Ecclesiae, atque literis sacris et scientia divinae Scripturae et dogmatibus utriusque Ecclesiae adornata, et inspiratione sanctissimi Spiritus animata et augmentata ad fructum odoris, perveniens ad Imperium nostrum transportavit, Nicolaus videlicet vener. praesul Crotoniensis; — cui tertio anno nostri imperii tranquillitatis animi nostri literas direximus, rogantes eundem, quatenus amore Dei, patriae, et omnium nostrum clandestine ad maiestatis nostrae praesentiam personaliter se conferret, ut ex ore ipsius veritatem fidei, quam confitetur sancta et Catholica Romana Dei Ecclesia, et doctrinam divinarum Scripturarum, quam ad eruditionem proponit ipsa Romana Ecclesia, et formam vestri divini Sacramenti immediate graeco audiremus sermone, nec non hauriremus vestram et vestrorum fratrum plenariam voluntatem. Ipse autem Dei Spiritu motus in hac hyeme praeterita in vigiliis Dei Christi nativitatis ad imperium nostrum accessit, quo viso laetati sumus, ac si san-

ctae paternitatis vestrae faciem videremus. Qui omnia, quae sunt verae fidei, per ordinem reseravit, quae recte percepimus, et corde et animo illustrati invenimus, S. Dei Ecclesiam Romanam non alienatam a nobis in divinis piae fidei dogmatibus, sed ea fere nobiscum sentientem et concantantem. Praedictus namque Praesul eiusdem Ecclesiae doctrinam et SS. Patrum eius, videlicet Silvestri Papae, Damasi, Coelestini, Agathonis, Adriani, Leonis maioris et iunioris, Gregorii dialogi, Hilarii Pictavensis, Ambrosii Mediolanensis, Augustini Hipponensis Africae, Hieronymi, Fulgentii, et aliorum expositiones et dogmata rectae fidei reseravit nostro imperio, sicut isti Sancti exposuerunt praedicta: quae invenimus concordantia sermonibus S. Patrum eius, videlicet Athanasii Alexandrini, Basilii Caesareae et Cappadociae, Gregorii magni Theologi, Gregorii Nysseni, Ioannis Chrysostomi cum utroque Cyrillo, et similia sapientes omnino; quae cum omni fide purissima percepimus, veneramur, credimus et tenemus, nec non et omnia Sacramenta eiusdem Ecclesiae Romanae veneramur, effectum credentes habere ea in animabus iustis, quae Deo couniuntur, coniunguntur, ac confirmantur. Ceterum vestram sanctam paternitatem rogamus, quatenus sicut *princeps omnium sacerdotum et universalis doctor Catholicae Ecclesiae,* solliciteris continua promtitudine ad reuniendum eandem Ecclesiam amodo, *cui loco beati Petri Deus praecipue vos praefecit.* — Quare dictum praesulem cum praesentibus literis fidei nostrae Catholicae non ficte sed ex bona conscientia, ex animo Dei amore accenso ad vestram sanctam reverendam paternitatem remittimus etc. — **Raynaldus** *ann. Baron.* ad A. 1263. ss.

630.

Clemens IV PP. negotium reuniendorum Graecorum ab Urbano IV coeptum prosequitur. 1267.

MON. *Epistola eiusdem PP. ad Palaeologum Imper. A. 1267.* Magnitudinis tuae literas ac viros providos et discretos latores earum, apocrisiarios tui culminis, ad nostram venientes

praesentiam serena facie, sed et animo laeto recepimus, et eis super omnibus, quae proponere voluerunt coram nobis et fratribus nostris, audientia benigna concessa, fideles adhibuimus interpretes, qui nostrum eis et suum nobis in omnibus et per omnia panderent intellectum. Ipsum quoque literarum vestrarum initium, quod ex Psalmis assumseras spiritualis et nobilis citharoedi, cordis tui gaudium manifestans, ex eo iusta ratione conceptum, quod in domum Domini te sperabas iturum, illuc etiam tribus Domini, Latinorum videlicet et Graecorum, pariter ascensuras, acceptum nobis plurimum cum gaudio accepimus exultationis ingentis. Hoc est enim, quod et nos totis visceribus concupiscimus, quod et in ipsis missarum solemniis a Domino petimus incessanter, ut suam videlicet Ecclesiam toto orbe terrarum adunare dignetur. Hoc est, quod videre summopere cupimus, ut ipsius ruinas impleat, scissuras reparet, muros aedificet, et sanctorum custodia muniat Angelorum. Non sunt enim nobis incognita damna populi christiani, quae iamdudum Latinorum et Graecorum dissensio peperit annosa pariter et damnosa: dum divisos inter se populos, et in sua se adversis mutuo debilitando conatibus viscera conversos frequentius et liberius furor hostilis invasit, qui eisdem glutino verae caritatis unitis obesse minime potuisset. Sane olim ad fel. rec. Urbanum PP. praedecessorem nostrum cum tuis literis solennes nuntios destinans, tuum modo consimili per eosdem nuntios et literas pium desiderium explicando, inter cetera postulasti, ut ad tuam praesentiam apocrisiarios suos mitteret seu legatos pacis. — Qui tuis votis annuens viros electos de fratrum Minorum ordine — cum suis literis ad te misit. Licet autem idem praedecessor noster celsitudinis tuae literas cum magno gaudio recepisset, et in ipsis contenta literis sigillatim inspecta pietatis perpenderet speciem obtinere: ad contentum tamen in eis ordinem, sicut non debuit, sic nec voluit se arctare. Tu quidem Latinorum et Graecorum concordiam dissolutis inimicitiis in caritate mutua prius decreveras solidandam, et tunc demum videbatur tibi commodior de dogmatibus fidei, et rituum diversitate tractatus, et ad huiusmodi probationem ordinis ex Scripturis authenticis argumenta multa compegeras, ad probandum, quod bonorum sit omnium caritas fundamentum. Ipse vero tuis non obvians argumentis, nec praeconia caritatis attenuans, quam Sedes Apostolica illibatam servat ad

filios etiam indevotos, sed fidei primum et solidum fundamentum attendens, sine qua Deo est impossibile placere, non iniuste de consonantia fidei tractatum censuit praemittendum. Absit enim, ut Romanam Ecclesiam, quae nec rugam habens nec maculam, illam tenet hodie, quam semper hactenus tenuit, fidei veritatem, filios etiam se avertentes ab ea odio prosequi fateamur, cum proculdubio eadem Mater Ecclesia iustis et peccatoribus, obedientibus et rebellibus exhibens piae caritatis affectum, ad salutem omnium quibus potest modis intendat. — In iis, quae sunt fidei et veritatem respiciunt, sine qua salus esse non potest, explicite, non sub involucro est agendum: ideoque ut in lucem omnia veniant, nec verborum ambagibus intentionis nostrae puritas involvatur, tenore praesentium duximus declarandum, quid tibi a praelatis et ceteris sub tua ditione degentibus faciendum incumbat, ut ad sinum eiusdem sacrosanctae Romanae Ecclesiae matris tuae sano fretus consilio redeas reverenter. Quod si faciendum Domino decreveris inspirante, ipsa mater piissima filio redeunti sinum largissimae pietatis aperiens in tuos laeta properabit amplexus. Ecce ergo quod corde firmiter credimus, et quod ore simpliciter profitemur, tibi plane proponimus et exponimus, nec in velamentis aenigmatum dogmata nostra tegimus, sed omnino verbis explicitis et apertis notam esse volumus universis professionem fidei, quam tenemus. Quam a te, clero et populo exigimus, ut eandem tu et ipsi profiteamini, si ad nostram, ut desideramus, volueris redire unitatem: ea insuper, quae circa eiusdem Ecclesiae Romanae primatum, de cuius veritate nonnulla praefatae scripturae series continebat, a te ac clero et populo recipi et acceptari volumus, plenius et apertius explicantes.

Et quidem credimus S. Trinitatem etc. — Ipsa quoque sacrosancta Romana Ecclesia summum et plenum Primatum et principatum super universam Catholicam Ecclesiam obtinens, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe seu vertice (cuius Romanus Pontifex est successor) cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit, sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debet iudicio diffinire. Ad quam potest gravatus quilibet in negotiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus appellare. Sed et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest recurri iudicium, et

eidem omnes Ecclesiae sunt subiectae, ipsarumque praelati et obedientiam et reverentiam sibi debent, apud quam sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit: quarum multas, et patriarchales praecipue, diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen praerogativa tam in generalibus conciliis quam in quibuscunque aliis semper salva. Porro praescriptam purissimam, certissimam, et solidissimam orthodoxae fidei veritatem, evangelicae doctrinae consonam, a S. Patribus traditam, et Rom. Pontificum in suis Synodis diffinitione firmatam sicut nec decet, sic nec volumus novae discussioni ac diffinitioni subiacere, ipsam quasi per hoc quomodolibet contra fas et licitum in dubium revocando. Ideoque licet in praefata scriptura de convocatione Concilii ageretur, licet tu per tuas literas concilium in terra tua convocari petieris: nos tamen nullo modo proponimus concilium ad discussionem, seu diffinitionem huiusmodi convocare; non quod cuiusquam faciem vereamur, vel eandem s. Rom. Ecclesiam Graecorum superari prudentia timeamus, sed quia prorsus indecens foret, imo nec licet, nec expedit in dubium revocari praemissam verae fidei puritatem, tot sacrae paginae auctoritatibus, tot sanctorum roboratam sententiis, tot Rom. Pontificum stabili diffinitione firmatam: pro cuius defensione, si necesse foret, parati essemus subire martyrium et morti etiam exponere corpus nostrum. Quam ideo ad praesens nequaquam auctoritatibus, quarum tamen satis nobis copia pro voto suppeteret, munire curavimus, sed in simplicitate veridica sic pure sic explicite tam praedictis tuis adhibendam nuntiis, quam tibi decrevimus destinandam. — — Ideoque excellentiam tuam monemus, rogamus, et hortamur in Domino Iesu Christo, quatenus — sic studeas habilitare materiam, sic animos disponere, quod in apocrisiariorum nostrorum adventu te ac clero et populo praescriptam — profitentibus fidei veritatem, facilis sit ad reliqua Domino faciente processus. Quodsi postquam taliter propositam veritatem fidei susceperitis, et professi fueritis, — Concilium per Sedem Apost. convocari petieritis, ad caritatis vinculum inter Latinos et Graecos perpetuo foedere roborandum: legatos super hoc ad nos poteritis destinare, quibus faciente Domino responsum dabitur, quo tuum desiderium satiari poterit et debebit. — **Raynaldus** *ann. Baron.* ad a. 1267.

631. 632.

Constitutiones Cardinalis Legati Guidonis pro **Hungaria**, A. 1267. Primatum Rom. Pontificis stabilientes.

631. MON. VI. Nullum Eppum de sede ad sedem, qualibet ex causa, sine Romani Pontificis speciali licentia transferatis.

632. VII. Nullum Eppum sine Romani Pontificis licentia deponatis, nec capi, nisi comprobato infidelitatis crimine consentiatis. — **Péterffy** *Concil. Hung. I.* 88.

---

633. 634.

Bonaventura, A. 1274. Primatum Papae diserte propugnat.

633. MON. Opusc. *Quare Fratres Minores praedicent?* ‚Quod a *Petro manat in omnes inferiores per universam Ecclesiam auctoritas*, prout singulis competit ei participari.‘

634. *Part. 6. Breviloquii cap. 12.* Quia excellentia quanto magis descendit, tanto magis dilatatur, et quanto magis ascendit, tanto magis unitur: hinc est, quod plures sunt Eppi, pauciores AEppi, paucissimi Patriarchae, et *unus Pater Patrum, qui Papa merito appellatur,* tamquam unus, primus, et summus Pater spiritualis omnium patrum, imo omnium fidelium, et Hierarcha praecipuus, sponsus unicus, caput indivisum, Pontifex summus, Christi Vicarius, fons et origo, regula cunctorum principatuum ecclesiasticorum: a quo tamquam a summo, derivatur ordinata potestas usque ad infima Ecclesiae membra, secundum quod exigit praecellens dignitas Ecclesiae in ecclesiastica hierarchia.

635—644.

Thomas Aquinas, A. 1274. plenitudinem potestatis Romano Pontifici uti successori Petri Ap. tribuit.

635. MON. *Lib. IV. cont. Gentes. c. 76.* Et *soli* (Petro) promittit: tibi dabo claves regni coelorum, ut ostenderetur *potestas clavium per eum ad alios derivanda.* Et cap. eodem: — Per hoc autem (per unum Eppum ceteris praelatum) excluditur quorumdam perniciosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia et subiectione Petri, successorem eius Rom. Pontificem universalis Ecclesiae Pastorem non cognoscentes. —

636. *In IV. Sentent. dist. 24. qu. ult.* Quamvis Apostolis data sit communiter potestas ligandi atque solvendi: tamen in hac potestate, ut ordo aliquis servaretur, primo *soli Petro* data est, ut ostendatur, *quod ab eo debeat ista potestas descendere.*

637. *Lib. I. cont. Err. Graecor. c. 32.* — Habetur ex Graecorum Doctorum auctoritatibus, quod Romanus Pontifex habeat in Ecclesia plenitudinem potestatis. Dicit Cyrillus Patr. Alex. in libro Thesaurorum: sicut Christus accepit a Patre sceptrum Ecclesiae gentium, ex Israel egrediens, super omnem Principatum et Potestatem, super omne, quodcunque est, ut ei cuncta curventur: sic et Petro et eius successoribus plenissimam potestatem plenissime commisit, ut etiam nulli alii, quam Petro, Christus quod suum est plenum ipsi soli dedit. — Hoc etiam traditur auctoritate Scripturae. Nam Dominus Matth. XVI. universaliter Petro dixit: Quodcunque solveris super terram etc. Ostenditur etiam, quod Petrus sit Christi Vicarius, et Romanus Pontifex Petri successor in eadem potestate ei a Christo collata. —

638. *De regim. Principum c. 14.* Quia finem fruitionis divinae non consequitur homo per virtutem humanam, sed virtute divina, producere ad illum finem non humani erit sed divini regiminis. Ad illum igitur Regem huiusmodi regimen pertinet, qui non est solum homo, sed et Deus, scilicet ad Dominum Iesum Christum, qui homines filios Dei faciens in coelestem gloriam in-

troduxit. — Unde omnes Christi fideles, in quantum sunt membra eius, reges et sacerdotes dicuntur. Huius ergo regni ministerium, ut a terrenis essent spiritualia distincta, non terrenis regibus sed sacerdotibus est commissum, et praecipue Summo Sacerdoti, successori Petri, Christi Vicario, Romano Pontifici, cui omnes Reges populi christiani oportet esse subditos sicut ipsi Domino Iesu Christo. —

639. *Quodlib. X. art. 6.* Magis standum est sententiae Papae, ad quem pertinet determinare de fide, quam in iudicio profert, quam quorumlibet sapientum in scripturis opinioni.

640. *Sec. Sec. qu. 1. art. 10.* Respondeo dicendum, ad illius auctoritatem pertinere editionem symboli, ad cuius auctoritatem pertinet determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem maiores et difficiliores Ecclesiae causae referuntur ; — et huius ratio est, quia una debet esse fides totius Ecclesiae, quod servari non posset, nisi quaestio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiae praeest, ut sic eius sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur, et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut et alia omnia, quae pertinent ad totam Ecclesiam.

641. *In Cap. XVI Matth.* Secundum autem hanc Domini promissionem *Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione haereticaque circumventione manet immaculata,* super omnes praepositos et episcopos et super omnes primates ecclesiarum et populorum in suis Pontificibus, in fide plenissima, et auctoritate Petri. Et cum aliae Ecclesiae quorumdam errore sint verecundatae, *stabilita inquassabiliter ipsa sola regnat,* silentium imponens, et omnium obturans ora haereticorum ; et nos necessaria salutis non decepti superbia nec vino superbiae inebriati, typum veritatis et sanctae apostolicae traditionis una cum ipsa confitemur et praedicamus. —

642. *Ex Epist. ad Urbanum IV. PP.* — Huius igitur sapientiae claritatem nube mortalitatis velatam primus Apostolorum Princeps fide conspicere meruit, et eam constanter, absque errore et plenarie confiteri, dicens : Tu es Christus filius Dei vivi. O beata confessio, quam non caro et sangvis, sed Pater coelestis revelat ! Haec in terris fundat Ecclesiam, aditum praebet in coelum, peccata meretur solvere, et contra eam portae non prae-

valebunt inferorum. Huius igitur fidei ac confessionis haeres legitime, sanctissime Pater etc. —

643. *Part. 3. q. 37. art. 2.* — Nomina autem, quae imponuntur aliquibus divinitus, semper significant aliquod gratuitum donum eis divinitus datum; sicut Gen. 17. dictum est Abrae: appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te. Et Matth. 16. dictum est Petro: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. —

644. *Part. 3. qu. 35. art. 7. ad 3.* — Et ideo (Salvator) ut suam potestatem magis ostenderet, *in ipsa Roma, quae caput mundi erat, etiam Caput Ecclesiae suae statuit*, in signum perfectae victoriae, ut exinde fides derivaretur ad universum mundum. —

645—646.

Sub **Gregorio X. PP.** in Conc. Lugdunensi Graeci se uniunt Ecclesiae Romanae, eiusque Primatum magnificis verbis profitentur. 1274.

645. MON. *Professio fidei ex parte Imperatoris.* Sanctissimo ac beatissimo primo et summo Pontifici Apostolicae Sedis etc. Quoniam missi sunt a magnitudine vestra ad imperium meum nuntii Deo placentis Ordinis fratrum Minorum, — et obtulerunt literas sanctitatis vestrae imperio meo, in quibus inter alia de confessione fidei, quam docet, et praedicat, et confitetur S. Romana Ecclesia, continebatur, et oportebat in his magis convenientem responsionem nos facere: ecce hoc facit imperium meum: ‚Credimus S. Trinitatem etc. — Ipsa quoque S. Romana Ecclesia summum et plenum primatum etc.‘ *(prout in professionis formula a Clemente IV PP. transmissa.)* Veram, sanctam et catholicam, et orthodoxam fidem cognoscimus et acceptamus, et ore ac corde confitemur, quod vere tenet et fideliter docet et praedicat S. Romana Ecclesia, inviolabiliter observare eandem professionem, et in ea omni tempore perseverare, nec ullo unquam tempore ab ipsa discedere quoquomodo aut deviare vel

discordare promittimus. *Primatum quoque eiusdem S. Rom. Ecsiae,* sicut in praemissa serie continetur, *ad ipsius S. Ecclesiae obedientiam spontaneam venientes, confitemur et recognoscimus, acceptamus et sponte suscipimus.* —

646. *Declaratio Epporum ex Synodo Graecorum ad Papam.* Non solum nunc, sed prius beatissimae et sanctissimae vestrae Ecclesiae magnam faciebamus divisionem integritatis, et Ecclesiarum Christi unitatem totaliter dilacerabamus, quomodo qui unius pastoris sumus, non in unum et intra unum aggregamur ovile, nec unum replemus mandatum Christi, sed ea, quae sunt discordiae, magis eligimus, et bono pacis amisso invenire non quaerimus illud, quod ex bono zelo nobis declarabatur: nullus autem erat, qui coniungeret omnes in unum, et sufflaret quasi ad unum flamen singulorum concordiam. *(Post interiecta plura de studiis Imperatoris Palaeologi quoad procurandam unionem, sic prosequuntur:)* — Scitote, quod nos volumus, quod Pontificalis Sedis tota plenitudo cum toto venerabili clero et omnibus officiariis, sacerdotibus, diaconis, et lectoribus sanctissimae Ecclesiae Dei conveniat in unum, *ut attribuat promte Vestrae Sanctitati et Apost. Sedi, quod ad honorem pertinet, nec alium primum et summum Pontificem Ecclesiarum omnium nominaturi:* sed antiquam internuntiorum confectionem agnovimus, quam et patres nostri semper attenderunt toto praeterito tempore usque ad tempus hoc: unde nostrum Patriarcham et subsequenter omnes alios, quotquot convenerunt, ut in unum haereant, et Sedis ponerent concordiam, obsecravimus. Ipse vero cum magna instantia tenet, quod agnosci debet primus, et postea, ut indicat, non decidet ab ista voluntate, nec adhuc a prima sententia, quam tenet, cum aliqua intentione mutatus est; unde et pluries nos praelati correximus ipsum, ipse nequidquam ad praesens acquievit. Nos autem, et nobiscum potentissimus Imperator iniunximus illi a patriarchali sede recedenti omnino in una forma solitudinis manere, quae sunt CPli monasteriorum, donec nuntii ad vestram sanctitatem accedant, et audiant sermonem vestrum; et si magnitudo vestra ita recipiat, deleget certos delegatos cum nostris reversis legatis. — Hoc igitur proponimus, a Deo honorate Domine, nos, quos Patriarchalis CPnae Sedis sublimes pontifices cum omnibus, qui circa nos, clericis venerabilibus per hoc scriptum nostrum vobis coniungi habemus,

qualiter si solum vestra magnitudo ea, quae legationis sunt, admittat, non est quod tempus teratur, et nos inclinamus promte et magnae altitudini vestrae submittimus, et valde gratanter ea, quae sunt spiritualis subiectionis totius, asserimus, et nihil eorum denegamus, quae ante schisma praestabant patres nostri his, qui Apostolicam regebant Sedem. *(Sequitur professio fidei iisdem concepta verbis, quae Imperator adhibuit.)* — **Raynaldus** *Ann. Baron.* ad a. 1274.

647.

Ioannes Beccus (seu **Veccus**) **Patr. CPnus** in Synodo Graecorum CPna A. 1277. fidem Romanam profitetur et primatum Romani Pontificis agnoscit.

MON. Sanctissimo et beatissimo Summo Pontifici Ap. Sedis veteris Romae et universali Papae, Domino Ioanni. — Principii boni optimum esse finem omnibus absque dubio clare patet. Et quare non, cum omne donum perfectum desursum sit, descendens a Patre luminum? Hoc enim concesso consequens est credi, omne principium cuiuscunque rei optime inchoatae a divino pendere consilio, et propter hoc necessario tale principium in finem desinere gloriosum. Quod enim a Deo bene inchoatum est, quomodo non optime terminabitur auxiliante Deo, quale quid factum est, et super iis de quibus nunc propositum est nobis dicere, o divinum et sacrum caput! Nam ecclesiastica unione feliciter incepta tempore felicis memoriae beatissimi illius viri, (si tamen virum et non angelum vocari oportet felicem illum sanctissimum Papam, decimum dicimus Gregorium) ad gloriosiorem finem quam ad ipsam videlicet unionem summus Dominus consummabit in diebus, in quibus ad decorem Apost. Sedis et illuminationem perspicuam firmamenti universalis ecclesiae, vos nomine gratiae nominatum Deus eligendo constituit. *(Exposita paucis historia Unionis, prosequitur:)* — Habet insuper noscere (Sanctitas vestra) et ab iis, quae in praesenti scripto specialius nos dicemus omnimode praebentes vestrae Apostolicae sancti-

tati certitudinem nostrae ad Apost. Sedem purae perfectaeque obedientiae. Dicimus enim sub testibus Deo et Angelis verba facientes, quod omne schisma inter ecclesias Dei, veteris Romae scilicet et novae nostrae, male introductum in laesionem christianitatis, aspernimus et abiicimus, et praecordiali affectu et ex tota anima prius ipsum deponentes, per lingvam et labia et prolativum nostrum sermonem etiam in praesenti scripto ipsum abrogamus: et ecclesiasticam pacem et unitatem, et primatum Apost. Sedis confitemur, recognoscimus, acceptamus, et sponte suscipimus, et ad ipsius obedientiam spontanei venientes, ratum habere et conservare immutabile promittimus et asserimus; et eas praerogativas, quae a principio ante schisma praestabantur Apost. Sedi ab illis, qui pro tempore pontificio in CPli fungebantur, integra et inviolabilia promittimus conservare. Schisma enim, quod in medio intercessit, intimo cordis affectu et tota animi voluntate aspernantes, compaginamus et coaptamus nosmetipsos lineae Pontificum illorum, qui ante schisma Apost. Sedi veteris Romae suam obedientiam canonice et legitime conservabant; et nihil omnino imperfectum omittere pollicemur de iis, quae ante schisma illi divi et sancti Imperatores Apostolicae Sedi praestando roborarunt et affirmarunt, insuper etiam et de iis, quae in sacris conciliis patres nostri ad ipsius obedientiam demonstrabant se conservare. Rursus ad Apost. Sedem confirmamus inviolabiliter et integre omnes praerogativas et privilegia, quae ante schisma reverendi et beati Imperatores et deiferi patres nostri doctores ad primatum Ap. Sedis in obedientiam ostendebant: videlicet quia ipsa sacrosancta Romana Ecclesia summum et perfectum primatum et principatum super universam et catholicam ecclesiam obtinet, quem in seipsa ab ipso Domino, in beato Petro apostolorum principe seu vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum plenitudine potestatis recepisse, vere ac humiliter recognoscimus. Et quemadmodum prae aliis tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio difiniri. Ad hanc potest quilibet gravatus in negotiis ad forum eccles. pertinentibus appellare, et in omnibus causis ad examen eccles. spectantibus ad ipsius potest recurri iudicium, et eidem omnes ecclesiae sunt subiectae, ipsarumque praelati obedientiam et reverentiam sibi debent. Apud hanc autem plenitudo potestatis consistit, quod ea, quae cete-

rae ecclesiae et patriarchales principaliter diversis temporibus privilegia obtinuerunt, sanctionibus beatorum sanctorum imperatorum illorum et canonicis sanctionibus sacrorum et divinorum conciliorum, eadem Romana Ecclesia confirmavit et roboravit, et non aliter obtinuerunt confirmationem ecclesiarum huiusmodi praerogativae, nisi eadem Ecclesia Romana suum super iis iudicium et sententiam protulisset: sua tamen praerogativa tam in generalibus conciliis quam in quibuscunque aliis semper salva. Et de abnegatione quidem schismatis, et recognitione primatus Apost. Sedis tanta sint dicta. Quoniam autem multum schismatis tempus opinionem quibusdam vanam et falsam tribuit, quod sit aliqua differentia dogmatum inter utramque ecclesiam, Graecam videlicet et Latinam, propter in symbolo factam additionem per Romanam Ecclesiam: oportet utique nos libellum fidei exponere, ex quo vestra Deo magnifica altitudo et tota Romana Ecclesia cognoscet, quod nulla differentia fidei est iis, qui symbolum primi Nicaeni Concilii legunt, et qui symbolum CPni secundi concilii praedicant, et iis, qui hoc symbolum, quod a Romana ecclesia legitur cum additione, venerantur. *(Post recitatum symbolum fidei, ad cuius singula fere capita diserte adiicitur, ita credi omnia, prout sancta ecclesia Romana credit et praedicat, sic concludit Patriarcha:)* — Haec omnia suprascripta ad confirmationem plenissimam exponentes abnegationis schismatis, et purae ac verae nostrae obedientiae ad primatum Ecclesiae Romanae, et repraesentationem et demonstrationem, quod concors sit plenissime et sine defectu nostra ecclesia secundum fidei orthodoxae intellectum sanctae Apostolicae matris omnium ecclesiarum Ecclesiae Romanae, nostra bulla consveta roboravimus, mense Aprilis A. 1277.

648.

Idem Patriarcha in eodem concilio excommunicat schismaticos, concordiam cum Romana Eccl. respuentes.

MON. Ioannes miseratione divina CPnus Patriarcha, universis, ad quos praesentes literae pervenerint, rei gestae memo-

riam cum salute! Caritati vestrae notum fieri volumus per praesentes, quod nobis existentibus in concilio CPno congregato pro discutienda scissura dudum facta inter ecclesiam Latinam et Graecam per illum, qui unitati invidet, et una cum ipso sacrosancto concilio deliberatione habita, omnes schismaticos ac unionis eccles. turbatores, qui prope et longe sub pertinacia sua ubicunque existant, qui non recipiunt sanctam Romanam ecclesiam esse matrem et caput omnium aliarum ecclesiarum et fidelitatis orthodoxae magistram, et ipsius Summum Pontificem primum pastorem omnium christianorum, quocunque fungantur officio vel ordine, pontificali dignitate seu sacerdotali, diaconali, et omnes alios universaliter schismaticos perturbatores, cuiuscunque conditionis aut status existant, sive de imperiali, sive de senatus consilio, aut alicuius alteriùs conditionis, cum quibus et ipsum Nichisorum Ducam, qui nominatur Despotas, et Ioannem Ducam de Petra, qui nominatur Sebastocrator, sicut schismaticos et perturbatores huiusmodi ecclesiae unionis, et susceptores schismaticorum, et persecutores ipsorum, qui convenerunt ad huiusmodi eccles. unionem, et sicut illos, qui dividuntur de populitate nostra, et de nostra societate fugiunt, propter obedientiam, quam fecimus ad Apostolicam Sedem: excommunicavimus, anathematisavimus, ipsosque damnatos pronunciavimus et penitus reprobatos. — Datum CPli apud S. Sophiam A. 1277. die Veneris 16 Iulii. — **Harduini** *Concil.* VII. 753. (Locus hic ex opp. Becci desumtus, admodum scatet mendis.)

649.

Martinus IV PP. Imperatorem Graecorum ab unione S. Rom. Ecclesiae resilientem excommunicat, A. 1281.

MON. *Michaelem Palaeologum,* qui Graecorum Imperator nominatur, tamquam eorumdem Graecorum antiquorum schismaticorum, et in antiquo schismate constitutorum, et per hoc haereticorum, nec non et haeresis ipsorum ac schismatis antiqui fautorem, de fratrum nostrorum consilio denunciamus praesente

fidelium multitudine copiosa excommunicationis sententiam latam a canone incurrisse, ac ipsius fore sententiae vinculo innodatum. Ceterum universis et singulis Regibus, principibus, ducibus — districtius inhibemus, ne cum eodem Michaele Palaeologo in huiusmodi excommunicatione manente societatem vel confoederationem aliquam contrahere sub quovis ingenio vel machinatione praesumant, vel etiam ei alias in his, pro quibus excommunicatus est denunciatus a nobis, praestare consilium, auxilium vel favorem publicum vel occultum. Et si secus praesumtum fuerit, omnes singulares personas contrarium facientes non obstante qualibet indulgentia — excommun. sententiam, quam exnunc in ipsos ferimus, volumus incurrere ipso facto, terras autem ipsorum — ecclesiastico subiicere curabimus interdicto, ad privationem omnium bonorum, quae a quibuslibet tenentur ecclesiis, et ad poenas alias spirituales et temporales processuri. —

650.

Ebediesu, Metropolita Sobae et Armeniae, etsi subin Nestorii erroribus sua asserta contaminet, Primatum Romanae Sedis diserte propugnat. A. 1291. ss.

MON. *Collectio Canonum synodicorum Tract. IX.* — Quoniam praedictis civitatibus (Patriarchalibus) non ex principatu et antiquitate solummodo patriarchalis dignitas et praerogativa accessit, sed etiam *propter Apostolum, qui in ea docuit,* et regem, qui in ea regnavit: *magnae Romae data fuit praerogativa propter geminas columnas in ea positas, Petrum, inquam, apostolorum principem, et Paulum doctorem gentium, ipsaque est Sedes prima, et caput patriarcharum.* Secunda autem sedes est Alexandrina etc. — Reapse causa propria huius rei est excellentia apostolorum, qui illas sedes condidere, atque rexere, *Simonis,* inquam, *Petri,* Marci etc. — — *Can. Oecum.* Placuit Synodo oecumenicae, quatuor partes esse in universo mundo, veluti quatuor evangelistae. — *Sit autem caput Romanus pater*

iuxta praeceptum apostolorum, quod tulerunt in suis canonibus. Ei vero succedat Alexandrinus etc. — Placuit, quod de omnibus gestis, quae incongrue fiunt sive arbitrio metropolitarum sive arbitrio episcoporum, potestas sit ipsi Patriarchae pro auctoritate cognoscendi. — Similiter *potestas sit Patriarchae Romano supra omnes patriarchas, sicut beatus Petrus supra totam communitatem, quandoquidem locum etiam tenet Petri in universa ecclesia ille, qui Romae.* Illum itaque, qui haec fuerit transgressus, synodus oecumenica anathemati subiicit. — — In Ecclesia Catholica, Regis coelestis civitate regia, hypatum seu servum habet rex regum coelestis, qui praepositus est monetae, et sigillo regio ipsius, quo scilicet imprimuntur denarii rationales regni eius, et configurantur ac depinguntur, et icone imaginis honoris sui signantur. Est autem sigillum hoc, ut breviter dicam, nomen Patris et Filii et Spiritus S. Hypatus autem, qui retinet hoc, est Patriarcha. — Signantur itaque icone hac divina et figura *primo quidem ille, cui mediatorem huiusce rei esse concreditum est,* postea metropolitani etc. — *Ille igitur, cuius manibus concreditum est hoc sigillum, et haec icon, primus est Patriarcha, quemadmodum ipse Dominus regni dixit ad Petrum: tibi dabo claves regni coelorum.* — Si quis itaque praeter iussionem eius, cui commendatum est hoc sigillum, audaciter attentaverit denarios rationales cudere, — is quidem sententiae terribilis reus erit. — *Mos antiquus est,* qui etiam nunc in Ecclesia Dei viget, *ut nemo Magistri munus sponte sua sibi praesumat,* neve interpretem agat, aut libros componat *absque permissu et mandato illius, qui universalis ecclesiae regimen et gubernacula obtinet.* — **Card. Maii** *Vet. Scriptorum coll.* Romae. 1838. X. 155.

651.

Gregorius Bar-Hebraeus Abulpharagius, primas Iacobitarum, A. 1286. mortuus, aeque Primatum Rom. confitetur.

MON. *In celebri* **Nomocanone** *seu Epitome eccles. canonum, cap. VII. sect. 1.* Quatuor sunt Patriarchae iuxta numerum

quatuor finium mundi. *Et caput magnum omnium ille, qui Romae.* — **Maii** *Vet. Scr. coll. X.* part. 2. p. 39.

652.

Ex responso **Univers. Parisiensis** in negotio Bonifacii 8 Papae depromto eruitur: quaenam fuerit Gallorum sententia de suprema Romani Pontificis in rebus fidei auctoritate. A. 1295.

MON. — — Hunc nexum (sermo est de renunciatione S. Coelestini Papae, et successione Bonifacii 8.) in inferioribus Eppis (inter Eppum et Ecclesiam tamquam sponsam) *Romani Pontificis auctoritate* fieri, *a quo veluti a fonte omnis eorum iurisdictio fluit, derivatur, ac pendet.* At ipsius Romani Pontificis cum Ecclesia nexus, nisi solius Dei auctoritate, solvi non potest, quia *in terra superiorem non habet, ipse de omnibus iudicans, a nemine iudicandus.* Unde quaeritur: quis mortalium illud spiritualis matrimonii vinculum solvit? Utique nullus, sed Deus solus, quod luce clarius est cuilibet intuenti. — *Universalis Ecclesia emanat a Petri Sede, quae unitatis Ecclesiae est origo. Romano Pontifici commissa est sollicitudo omnium Ecclesiarum, qui vocatus est a Deo solus in plenitudine potestatis* ad aedificationem Ecclesiae, — cum iurisdictio illorum, scilicet inferiorum praelatorum a Petro et successoribus descendat. — *Summus Hierarcha, Romanus Pontifex, superior est omnibus;* ipse verus Praelatus et Pastor est dominici gregis, non solum, sed *Pastorum Pastor ex institutione divina.* — Omnis enim cura gregis ab ipso est, vel eius auctoritate derivata in inferiores per se etc. — Omnis cura diffunditur in omnes ex auctoritate Summi Hierarchae, cui in persona Petri dominici gregis cura mandatur, et imperatur eidem: Pasce, pasce, pasce. Ipse ergo Summus Hierarcha, qui commisit, potest adimere, cui commisit. — Huiusmodi autem subditorum subtractio nullo modo cadit in suum Hierarcham, nec possibile est per hominem sibi subtrahi subditos, quoniam non habet superiorem in terris, sed omnis anima sibi

subdita est eiusque curae commissa; nec a quoquam iudicari potest, sed cunctos iudicaturus. — Et haec superioritas non est humano privilegio, sed divino, a quo sua est institutio, et qui sibi pascendi gregis curam commisit. Omni enim clero et populo in unum congregato manet obsequendi sibi necessitas, et non auctoritas imperandi. — — Quis erit ille tam vesano spiritu ductus, qui dicat, Papae Romano quantumcunque volenti et consentienti, etiam et committenti expresse, posse non tantum per solum Collegium Cardinalium, sed nec per omnes homines, neque per universale Concilium, imo per omnem Clerum insimul congregatum adimi subditos, quos Deus commisit pascendos et confirmandos? Quis erit tanto furore circumdatus, qui dicat, Summo Hierarchae Romano Pontifici volenti et consentienti posse interdici per omnem Clerum sui summi characteris et potestatis spiritualis executione, quam ipse Deus in Petro omnibus suis successoribus exequendam commisit? Nonne iste ipsi Apostolorum Principi Petro contumeliosus existet? nonne contra ipsam Dei institutionem veniet? nonne Dei Ecclesiam, Dei quodammodo thalamum macularet? nonne originem unitatis confunderet, et ipsam Ecclesiae divideret unitatem? nonne tale privilegium apostolorum principi concessum, suisque successoribus auferre conatur? nonne primam Sedem iudicaret, et ab inferioribus suis iudicari posse falso assereret? contra Gelasium, contra Nicolaum; contra determinationem Concilii Gen. Lateranensis, Chalcedonensis, contra Sanctam VI CPnam Synodum etc.? — Non quaeritur de haeresi Papae quondam ut Papae (Bonifacii 8), sed ut privatae personae: nec ut Papa potest esse haereticus, sed ut privata persona, nec unquam aliquis Papa, in quantum Papa, fuit haereticus, sed a papatu devians ut diaboli filius apostatans, sicut Iudas. — **Bulaei** *hist. Univ. Paris.* et post hunc auctor libri: *Rom. Pontificis summa auctoritas.* Faventiae. 1779. p. 230.

SECULUM DECIMUMQUARTUM.

653.

Bonifacius VIII PP. enunciat: supremae potestati Ecclesiae ac Romani Pontificis etiam temporalem potestatem subiectam esse in iis, quae sunt ordinis sacri. A. 1302.

INTR. Decretalem hanc Bonifacii Papae Clemens V successor ad preces Galliae Regis in tantum mitigavit, quod edita constitutione declaraverit : per Bonifacii decretalem nullum praeiudicium Regno generari, nec Regem, regnum aut regnicolas amplius esse Ecclesiae subiectos, quam antehac fuerint subiecti.

MON. Unam sanctam Ecclesiam Catholicam et ipsam Apostolicam urgente fide credere cogimur et tenere. Nosque hanc firmiter credimus et simpliciter confitemur : extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum. Sponso in Canticis proclamante : Una est columba mea, perfecta mea. Una est matri suae, electa genitrici suae. Quae unum corpus mysticum repraesentat, cuius caput Christus, Christi vero Deus. In qua unus Dominus, una fides, unum baptisma. Una nempe fuit diluvii tempore arca Noë, unam Ecclesiam praefigurans, quae in uno cubito consummata, unum, Noë videlicet, gubernatorem habuit et rectorem, extra quam omnia subsistentia super terram legimus fuisse deleta. Hanc autem veneramur et unicam dicente Domino in Propheta : Erue ex framea Deus animam meam et de manu canis unicam meam ; pro anima enim, id est, pro se ipso capite simul oravit et corpore, quod corpus unicam scilicet Ecclesiam nominavit, propter sponsi, fidei, sacramentorum et caritatis Ecclesiae unitatem. Haec est tunica illa Domini incon-

sutilis, quae scissa non fuit, sed sorte provenit. Igitur Ecclesiae unius et unicae unum corpus, unum caput, non duo capita, quasi monstrum, Christus videlicet et Christi vicarius, Petrus Petrique successor. Dicente Domino ipsi Petro: Pasce oves meas, inquit, et generaliter non singulariter has vel illas, per quod commisisse sibi intelligitur universas. Sive ergo Graeci, sive alii se dicant Petro eiusque successoribus non esse commissos, fateantur necesse, se de ovibus Christi non esse, dicente Domino in Ioanne: Unum ovile et unicum esse Pastorem. In hoc eiusque potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet et temporalem, evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis: Ecce gladii duo hic, in Ecclesia scilicet, cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus: nimis esse, sed: Satis. Certe qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male verbum attendit Domini proferentis: Converte gladium tuum in vaginam. Uterque ergo est in potestate Ecclesiae, spiritalis scilicet gladius et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is manu Regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spiritali subiici potestati. Nam cum dicat Apostolus: Non est potestas nisi a Deo, quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt; non ordinatae essent, nisi gladius esset sub gladio, et tamquam inferior reduceretur per alium in suprema. Nam secundum B. Dionysium lex divinitatis est: infima per media in suprema reduci. Non ergo secundum ordinem universi omnia aeque ac immediate, sed infima per media et inferiora per superiora ad ordinem reducuntur. Spiritalem autem et dignitate et nobilitate terrenam quamlibet praecellere potestatem oportet tanto clarius nos fateri, quanto spiritalia temporalia antecellunt. Quod etiam ex decimarum datione et benedictione et sanctificatione, ex ipsius potestatis acceptione, ex ipsarum rerum gubernatione claris oculis intuemur. Nam veritate testante spiritalis potestas terrenam potestatem instituere habet et iudicare, si bona non fuerit. Sic de Ecclesia et Ecclesiastica Potestate verificatur vaticinium Hieremiae: Ecce constitui te hodie super gentes et regna, et cetera quae sequuntur. Ergo si deviat spiritalis minor, a suo superiori; si vero suprema, a solo Deo, non ab homine poterit iudicari, testante Apostolo: Spiritalis homo iudicat

omnia, ipse autem a nemine iudicatur. Est autem haec auctoritas (etsi data sit homini et exerceatur per hominem) non humana, sed potius divina, ore divino Petro data, sibique suisque successoribus in ipso, quem confessus fuit, petra firmata, dicente Domino ipsi Petro: Quodcunque ligaveris etc. Quicunque igitur huic potestati a Deo sic ordinatae resistit, Dei ordinationi resistit, nisi duo, sicut Manichaeus, fingat esse principia, quod falsum et haereticum iudicamus; quia testante Mose non in principiis, sed in principio coelum Deus creavit et terram. Porro subesse Romano Pontifici omni humanae creaturae declaramus, dicimus, definimus, et pronunciamus, omnino esse de necessitate salutis. Datum Laterani Pontificatus nostri anno octavo.

654.

Clemens V PP. ad Regem Rassiae, uniri cum Romana Ecclesia volentem, fidei symbolum mittit, in eoque Primatum Ecclesiae Romanae uberius evolvit, a. 1308.

MON. Magnifico viro Urosio Regi Rassiae, Benedictus Deus et Pater D. N. I. C. Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui ubi vult spirat, sic novissime his diebus oculos tuae mentis aperuit radio novae lucis, ut excussa inde tenebrarum caligine in votis habeas ss. Romanae Ecclesiae, matri fidelium et magistrae, in fidei veritate ac unitate coniungi. Multum quippe teneris Deo, Princeps carissime, qui sic te oculo suae pietatis respiciens ad cognitionem et claritatem verae fidei clementer adducit, ex quo magnitudo tua promovebitur ad salutem, et solium tuum stabili vallabitur firmitate. Multum etiam laetari debet mater Ecclesia, et nos profecto multiplici alacritate perfundimur, quod diebus nostris tam nobilis ovis tantusque populus ad ovile reducatur dominicum, et schismate aliisque pulsis erroribus, Christi corporis, quod Ecclesia est, membrum effecti in eo luceant, perficiantur, et vivant. Sane, serenissime

princeps, tu pridem Spiritus S. gratia illustratus viros providos et discretos — cum literis regiis ad nostram praesentiam destinasti, qui huius tui propositi laudabile desiderium coram nobis et fratribus nostris prudenter et fideliter exponentes, a nobis inter alia suppliciter postularunt, ut te tamquam devotum filium ad gremium dictae Ecclesiae et sub protectione ipsius benigne recipere dignaremur, tibique aliquos viros idoneos Apost. Sedis nuntios mitteremus, per quos tu et illi de regno tuo in fide catholica et in via mandatorum Domini possitis salubriter informari. Unde nos, qui Christi Vicarius et Petri Apost. Principis effecti disponente Domino licet immeriti successores ad ea praecipue nostrae curae prorogamus affectum, ac diligenti studio et studiosa diligentia sedulo vigilamus, ut errantes ad viam veritatis adducere, omnesque lucrifacere Deo sua nobis gratia suffragante possimus, habita super his, quae iidem tui postularunt nuntii, cum praedictis fratribus nostris discussione solemni, de ipsorum consensu pie decrevimus huiusmodi votis tuis libenter annuere, ipsasque petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudire, si quod ore profers, corde credas, et quod corde credis, opere compleas evidenter : tibi nihilominus tenore praesentium declarantes, quid tibi ac ceteris sub tua ditione degentibus faciendum incumbit, ut ad sinum eiusdem ecclesiae sano fretus consilio venias reverenter. Quae si inspirante Domino feceris, ipsa Ecclesia mater piissima filio redeunti sinum largissimae pietatis aperiens in tuos laeta properabit amplexus. Fides autem catholica, quam te, clerum et populum regni tui profiteri, et a vobis recipi ac acceptari volumus, haec est : Credimus SS. Trinitatem etc. — *Ipsa quoque ss. Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam catholicam ecclesiam obtinens, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit, sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debet iudicio diffinire, ad quam potest gravatus quilibet in negotiis ad forum eccles. pertinentibus appellare. Sed et in omnibus causis ad examen eccles. spectantibus ad ipsius potest recurri iudicium, et eidem omnes Ecclesiae sunt subiectae, ipsarumque praelati obedientiam et reverentiam*

sibi debent : apud quam sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas et patriarchales praecipue diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen praerogativa tam in generalibus conciliis quam in aliis semper salva. Quae vero circa reditum tuum ad unionem S. Romanae Ecclesiae ac schisma eminus profugandum exigimus, inferius annotantur. — Et quod tu, praelati, clerus, Callogeri, et populus dicti regni tui profiteamini : Romanum Pontificem esse Christi Vicarium et beati Petri Ap. successorem, eandemque potestatem habere ligandi atque solvendi, quam idem Apostolus noscitur habuisse, ac ipsam etiam Romanam Ecclesiam super omnes obtinere primatum et principatum. Quodque tu pro te et pro populo tuo obedientiam et reverentiam eidem promittas Ecclesiae, ac praelati eiusdem regni pro se et clero suo hac prima vice eadem ipsa iurent, omni schismate primitus abiurato. — Datum Pictavis Kal. Aprilis. 1308. — **Theiner** *Vet. Mon. Slavorum.* I. 127.

---

655. 656.

Syn. Posoniensis A. 1309. de Primatu R. P.

655. MON. *Cap. 1.* Cum Apostolicam Sedem, in qua Christus Catholicae fidei posuit fundamentum, Christianorum matrem esse voluerit et magistram, non est dubium, quin Christus ipse graviter offendatur, si matrem filius, et magistram discipulus dehonorat. Quia igitur ipsi Apost. Sedi non est possibile, cunctos filios et devotos materno affectu et suo magisterio praesentialiter confovere : debitum Apostolicae servitutis explere nititur modo per Eppos, modo per AEppos, nonnumquam etiam per Legatos a latere suo missos, quos, quia eius privilegio gaudent, cuius legatione funguntur, a cunctis Christi fidelibus tamquam Apost. Sedem imo Christum, qui in eis se recipi praedicat et audiri, honorari convenit et foveri. Verumtamen fuerunt, et sunt nonnulli, quos termini nostrae legationis includunt, sicut fidedigna relatione percipimus, qui licet glorientur nomine chri-

stiano, ad ipsum tamen Christum et Apost. Sedem debitam reverentiam non habentes, Eppos, AEppos, et Legatos huiusmodi, doctores catholicae fidei et magistros, ipsius Christi vicarios, et legatos, hostiliter insequi, ausu sacrilego capere, et percutere, quandoque nequiter carceri mancipare, nonnumquam inhumaniter perimere non verentur. In quo quantum Christus, fidei nostrae caput, offenditur, Apost. Sedes ipsius fidei magistra contemnitur, et totius fidei devotio minoratur, evidenter intelligit qui prudenter attendit. Proinde nos, qui ex iniuncto nobis legationis officio Sedem Apostolicam licet immeriti repraesentamus, cupientes omnes et singulos nostrae legationi commissos de tam nefandis excessibus coërcere, praesenti decreto statuimus: ut nullus de cetero in Dei offensam, Apost. Sedis contemtum, et catholicae fidei laesionem praesumat tantum facinus attentare. —

656. *Cap. 9.* Cum Apostolica Sedes ad obedientiam omnibus singulari privilegio proponatur, dolemus, quod quidam, quos termini nostrae legationis includunt, bonum obedientiae pervertentes, ipsius Apost. Sedis, vel etiam Legatorum eius, qui in decreta sibi provincia secundum in obedientia et reverentia locum tenent, ipsius obedientiae debito subtracto mandatis sive in recipiendis Canonicis, sive in custodiendis sententiis, sive in quibusvis praeceptionibus observandis, aliorum damnabiliter voluntatem praeponunt; et non attendentes, quod quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriae nolle acquiescere, poenae inobedientiae debitae se supponunt. Proinde nostro commissos regimini in bono perfectae obedientiae, sine qua infidelis quisque convincitur, etiamsi fidelis esse videatur, conservari ferventi desiderio affectantes, monemus omnes et singulos, AEppum, Eppum, electos, Abbates etc. ut non obstante suorum superiorum voluntate contraria, dictae Sedis Legatorumque ipsius mandata sic reverenter recipiant, et obedienter adimpleant, quod meritum obedientiae non amittant; scituri, quod si mandata huiusmodi per inobedientiae vitium non duxerint adimplenda, eos taliter puniemus, quod poena decente cognoscent, quam grave sit eorum iussionibus contraire. — **Péterffy** *Concil. Hung.* I. 137. 142.

657.

Ioannes XXII. PP. damnat errorem sectarum auctoritati Romani Pontificis oppositum. A. 1318.

MON. Gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, quam Christus dilexit, pro qua semetipsum tradidit ut ipsam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae, David propheta cunctis praelatam gentibus spiritu revelante cognovit, et splendorem tantae dignitatis admirans, illam sub similitudine regalis fastigii demonstravit dicens: Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate, nimirum ipsa Christi Sponsa virgo mater Ecclesia, quia inclyto Capiti suo Domino Iesu Christo inviolabilis fidei glutino copulatur, et eius imperio prona obeditione substernitur, cum illo unum effecta tam incomparabilis unionis, merito rebus omnibus more regio principatur. — In hoc igitur vestimento tam mirabili varietate distincto *Minorum fratrum sacer ordo* ab ipso suae fundationis exordio almi confessoris B. Francisci regulari traditione et Apost. Sedis auctoritate atque confirmatione indissolubili quadam textura connexus — per universum orbem claruit. — Verum quia humani generis inimicus ubi virtutum segetes uberius videt exurgere, ibi scandalorum vepres et dissidiorum zizania satagit cumulatius seminare, *nonnulli huius sacrae religionis solo nomine professores* dum altiora se petunt, dum praeposteris et perturbatis gradibus citius ruituri in magnis et mirabilibus supra se ambulare conantur, illius delusi fallaciis, qui se ut alios decipiat in lucis angelum transfigurat, sibimetipsis ruinam, infirmioribus scandalum, solidioribus vero probationem et meritum pepererunt, *pro viribus satagentes tam praeclari ordinis unitatem scindere*, obnubilare famam, perturbare quietem. — — Verum quia sic sunt casus mentis, ut primo quidem infelix animus per superbiam intumescat et exinde in contentionem, de contentione in schisma, de schismate in

haeresim, et de haeresi in blasphemias infelici gradatione imo praecipiti ruina descendat, praedicti temeritatis atque impietatis filii, ut habet fide digna relatio, ad eam sunt mentis inopiam devoluti, quod adversus praeclarissimam et saluberrimam christianae fidei veritatem impie sentiunt, sacramenta Ecclesiae veneranda contemnunt, et *in gloriosum Ecclesiae Romanae primatum* cunctis nationibus percellendum, ab ipso conterendi citius, impetu coeci furoris *impigunt*. Et ne aliquid praedictarum blasphemiarum tolerabile videatur, aut dubium, de plurimis eorum erroribus aliquos, ne latere et perinde nocere valeant, praesentibus duximus annotandos. Primus itaque error, qui de istorum officina tenebrosa prorumpit, duas fingit Ecclesias, unam carnalem divitiis pressam, affluentem divitiis, sceleribus maculatam, cui Romanum Praesulem aliosque inferiores Praelatos dominari asserunt: aliam spiritualem frugalitate mundam, virtute decoram, paupertate succinctam, in qua ipsi soli eorumque complices continentur, cui etiam ipsi spiritualis vitae merito, si qua fides est adhibenda mendaciis, principantur. Quae impietas sic istis sceleratis est propria, ut a nulla haeresi possit esse seiuncta. Quippe omnes impii dum prave in fide sentiunt, dum ab unitate Ecclesiae atque obedientiae per contumaciam separantur, universitatem fidelium carni, seipsos vero spiritui servire frivolis assertionibus mentiuntur: quorum dementiae nihil adiici posse illi manifeste cognoscunt, qui sicut unicum Christum praedicant, sic unam Ecclesiam profitentur, Doctore gentium attestante, qui ait: Ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam quae est corpus eius. *Una est* igitur *sancta universalis apostolica atque Romana Ecclesia, quae non humana praesumtione sub potestate nititur, sed divina et prorsus incommutabili auctoritate fundatur, cuius egregium Primatum si quis impie docendo negat, non solum criminosus aut schismaticus esse convincitur, sed haereticus impietatis suae merito divina etiam atque humana ratione et auctoritate censetur:* quia peccatum paganitatis incurrit quisquis, dum se christianum asserit, Sedi autem Apostolicae obedire contemnit, cui inter cetera dona hoc privata largitione concessum est, ut saluberrima fides, quam beatus Petrus coelesti Patre revelante cognovit, et immensa potestas, quam ei in eodem Apost. Principe Christus indulsit, sic per legitimam Romanam pontificalem successionem illibata

decurrat, ut illam usque ad finem seculi nec perfidia maculet, nec adulterini pastoris pontificium interrumpat. Quam velut validissimam navem divinae gubernationis praesidio communitam nec variarum opinionum atque haeresum turbines a suae unitatis compage divellunt, nec tyrannicae potestatis incursus ad ima deprimit, quin potius et illos auctoritate atque veritate superans, et istos patientiae virtute supplantans inter blanditias terrenae felicitatis et asperitates seculi felici navigatione media graditur, donec ad portum futurae beatitudinis duce Domino veniatur. — — *(Sequitur recensio ceterorum errorum et condemnatio.)* Datum Avenione X Kal. Febr. 1318. — **Bullarium** *edit. Taurin.* IV. 261.

658.

Ioannes XXII PP. in literis ad Georgium Regem schismaticorum Georgianorum, primatum Romanae Sedis fusius proponit, A. 1321.

MON. — Orthodoxorum neminem iam credimus latere, unum in terris Caput esse tantummodo, ex quo totum corpus contexitur militantis Ecclesiae, rerum id exigente natura, quae corpus, si habuerit duo capita, indicat monstruosum. Probat hoc idem ratio exemplaris aeterni, iuxta quod militantem ecclesiam sub utroque tempore disponendam per instructionem evangelicam didicit legislator, Paulo Apostolo referente: ‚Vide, facito omnia iuxta exemplar, quod tibi in monte monstratum est;' ubi divina dispositione hierarchiae per media ultima, ipsaque per primam mediatori omnium connectuntur, quod imitandum fore necessario peregrinanti ecclesiae Scriptura S. tam figuris quam testimoniis asserit atque probat. Unus Adam deputatus ad custodiam paradisi unam est sortitus uxorem; unum Dominum Iesum Christum in iustitia et veritatis sinceritate, eiusdemque unum in terris vicarium, et unicam eius sponsam ecclesiam praefigurans, doctore gentium attestante: ‚sacramentum hoc magnum est, ego

autem dico in Christo et Ecclesia. Lamech vero, quod humiliatum significat, dum uxorem unam divisit in duas, sangvinarius est effectus, et virum in vulnus suum occidit, adinstar cuius qui ecclesiam scindunt, occidunt animas parvulorum. Deinde salutis arcam tantum unam fuisse legimus, quae cuncta vastante diluvio super unius patriarchae remigis potentatu paucas animas sub perfectionis numero reservavit; facti cuius mysterium Pastor Ecclesiae Petrus Apostolus tangens ait: ‚In arca Noe pauci, id est, octo animae salvae factae sunt per aquam, quod et nos nunc similis formae salvos facit baptisma.' Ipsa etiam Veritas gentium vocationem praedicens, asseruit, quod in ovili suo unus tantum debeat esse pastor: ‚fiet, inquit, unum ovile et unus pastor.' Ad hoc ovile Paulus ipse divina clementia revocatus docet et praedicat, unum caput esse tenendum fide pariter et amore; unde schismaticos et ab unitate corporis Ecclesiae per inobedientiam recedentes notans, vitandosque insinuans ait: ‚Nemo vos seducat volens in humilitate et religione, quam non videt, angelorum ambulans, frustra inflatus sensu carnis suae, non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei.' Nulli fideli venit in dubium, quin ipse Christus sit Pastor Ecclesiae atque caput non tantum militantis, sed etiam triumphantis: qui secundum carnis assumtae naturam mortem pro suis ovibus subiturus, et post resurrectionem ad patris dexteram ascensurus, ut quo caput ibat, membra se ire sperarent, ne corpus peregrinantis ecclesiae propter corporalem ipsius absentiam videretur acephalum, remanere sibi successorem substituit vicarium specialem: non quidem Iacobum aut Ioannem, qui columnae videbantur, non Paulum legis scientia praeditum et doctrina, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius, sed Simonem, quem et Petrum cognominavit. Hunc itaque suarum ovium pastorem substituens universalem in terris, earumdem pascendarum curam indistincte commisit eidem tertio dicens: ‚Pasce oves meas', cui ex praerogativa speciali ut nobis ipsum caput fore post se totius ecclesiae demonstraret, promiserat dicens: ‚Tu vocaberis Cephas', quod interpretatur Caput, ut sicut in capite sensuum plenitudo consistit, a quo ad singula membra occultis meatibus pars aliqua tamquam a fonte rivulus derivatur, sic tres fidelium ordines in Ecclesia, Noe, Daniel, et Iob, videlicet praelati, continentes, et coniugati, quos

Ezechiel vidisse legitur in visione, salvandi a Petro indicentur, petra scilicet, super quam non domum saltus Libani, non porticum columnarum, non domum filiae Pharaonis, sed Ecclesiam suam aedificavit Dominus, fidelibus videlicet de omni genere piscium in eius rete conclusis, tamquam a primate primatum, qui de fonte Dominici pectoris fluenta potavit, et suae salutis remedia debent postulare, et cum omni patientia et doctrina, non contentiose vel superbe in aliquo resistentes, a mentis suae tenebris dubietatis scrupulos removere. Nam etsi Paulus ex verbo Domini Petro ceterisque Apostolis universaliter sic dicentis ‚quorum remiseritis peccata etc.' cum Petro fuit ministerium dignitatis exercens: fuit etiam ex verbis eiusdem auctoritatis regulariter Petro propositis ‚quodcunque ligaveris etc.' in Petro auctoritatis officium recognoscens; et ideo ad eum tamquam Primatem et Evangelii dominici fontem venit Ierosolymam, et postmodum cum ipso et aliis secundum revelationem contulit evangelium, ne in vacuum curreret vel etiam cucurrisset. Quae Petri auctoritas ex eiusdem Domini verbis expressius roboratur, cum sibi soli dicitur ab eodem: ‚duc in altum', et postea subinfertur: ‚laxate retia in capturam.' Si ergo Petrus per excellentiam fidei, quae in uno Christo duas naturas divinitus recognoscens, cum dixit ‚tu es Christus filius Dei vivi', claves regni coelestis in terris solus accepit, cum unum sit caput ecclesiae militantis: restat, ut ad regimen generalis ecclesiae, quam ipse cum Paulo et ceteris de gentibus congregavit, caput eiusdem, suumque Dominus per ea, quae praemissa sunt, manifeste ostenderit successorem. Praevidens autem Dominus, quod ecclesia sua conculcaretur a tyrannis, laniaretur ab haereticis, et a schismaticis scinderetur, ait: ‚ego pro te oravi Petre etc.' Ex quo colligitur evidenter, quod ad Sedem Petri omnis sit quaestio referenda. — **Raynaldus** *Ann. Baron.* ad a. 1321.

659.

Eppus Parisiensis supremam Rom. Pontificis auctoritatem disertis verbis profitetur, A. 1324.

MON. Stephanus permissione divina Parisiensis Eppus salutem in omnium Salvatore. Magistra rerum experientia certis indiciis evidenter demonstrat, multa quibusdam temporibus ordinata consulte novis emergentibus causis succedentibus temporibus in contrarium debere consultius immutari. Dudum siquidem mem. fel. quidam praedecessores nostri Parisienses Eppi quosdam articulos, ne forsitan eos male intelligentes caderent in errorem, tamquam erroneos per excomm. sententiam damnaverunt et interdixerunt expresse. Quorum tamen nonnulli doctrinam eximii Doctoris B. Thomae de Aquino de Ord. FF. Praed. tangere ab aliquibus asseruntur. Quam articulorum et sententiarum promulgationem venerabiles viri Decanus et Capitulum Ecclesiae Dominae nostrae sicut veritatis zelatores intimius considerantes, nec non doctrinae ac famae B. Thomae praedicti iniustam denigrationem, veritatis occultationem, et S. Rom. Ecclesiae aliqualem dehonorationem, — nos requisierunt, nobisque supplicaverunt, quatenus vocatis omnibus S. Theol. doctoribus ac cum eisdem communicato consilio, — veritatis viam aperiremus, per quam in praedictis articulis, in quantum doctrinam beati Thomae doctoris egregii tangere possunt, et S. R. Ecclesiae et S. praedicti Doctoris venerabilis honorem ac reverentiam servaremus. Nos igitur attendentes cum eis, *quod sacrosancta Romana Ecclesia mater omnium fidelium, et magistra fidei et veritatis, in firmissima Petri Vicarii Christi confessione fundata, ad quam velut universalem regulam catholicae veritatis pertinet approbatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, et confutatio errorum,* praefatum Doctorem eximium et venerabilem, cuius doctrina fulget Ecclesia ut sole luna, nuper SS. Confessorum catalogo adscribendum decrevit, — etc. supradictam articulorum condemnationem et excomm. sententiam, in

quantum tangunt, vel tangere asseruntur sanam doctrinam S. Thomae, — tenore praesentium totaliter annullamus. — Datum apud Gentiliacum a. 1324. die Iovis ante S. Cineres. — **Car. Du Plessis d' Argentrè** *collectio iudiciorum de novis erroribus.* Paris. 1728. I. 222.

660.

Ioannes XXII. PP. ad Regem Lithvaniae de huius conversione ad fidem salvificam, et peculiariter de Primatu Romanae Ecclesiae, A. 1324.

MON. Missa nobis tuae magnitudinis litera devotione referta verbisque succincta, grata nimirum nostris ac fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium venit affectibus, in qua dum tuam devotionem attendimus, dum advertimus salvationis tuae salubre propositum, dum illum, quem ad Deum ac nos et Romanam Ecclesiam te gerere asseris, devotionis affectum intentae meditationis intuitu contemplamur, auditui nostro gaudii et laetitiae materiam praebuisti. Post primum quidem tuae gratae salutationis alloquium in ipsius primordio literae subiunxisti, *quod omnes fidei christianae cultores auctoritati nostrae debent esse subiecti, quodque tota fides catholica iuxta provisionem Romanae Ecclesiae gubernatur*, declarans nobis, quod quondam praedecessor tuus Mindowe cum toto suo regno fuit ad fidem Christi conversus, sed propter atroces et inimicabiles iniurias dil. fil. Magistri et fratrum Ord. S. Mariae Theutonicorum Ierosolymitani a fide huiusmodi recesserunt, et in errorem pristinum sunt relapsi, — subnectens, quod tu nequaquam christianos impugnas, tamquam fidem velis destruere christianam, sed defendis te ab inimicis tuis; — supplicasti denique nobis, ut ad statum tuum flebilem attendere dignaremur, quia paratus es nobis sicut ceteri Reges Catholici obedire, ac fidem recipere orthodoxam. — Nos igitur tam primis quam secundis huiusmodi literis debita cum eisdem fratribus nostris attentione discussis, Deo Patri Omnipotenti, a quo bona cuncta procedunt, in cuius manu Regum

corda consistunt, — multimodas gratiarum retulimus actiones pro eo, quod Spiritus S. gratia videtur mentales tuos oculos suis fulgoris radiis illustrasse, ac ostendisse tibi viam catholicae veritatis, ut Regalis providentia reformet salubriter fidem ipsam catholicam, quam praedecessor tuus cum suo regno susceperat, licet ab ea deficientes postmodum damnabiliter in errorem pristinum laberentur, praesertim cum et nostrum ex hoc et ipsius Ecclesiae expectemus magnum et salutare desiderium adimplendum, si viderimus eandem Ecclesiam multiplicatae prolis foetu concrescere, variasque gentium nationes sub eiusdem fidei observantia in unum acceptabilem Christo populum congregatas in domo Domini habitare: hanc utique domum, unam videlicet Ecclesiam sibi ex gentibus congregatam, non habentem maculam neque rugam Dominus noster elegit, iuxta quod legitur in Cantico Canticorum: una est sponsa mea, electa mea, immaculata mea. *Ipse* quoque *Dominus unum esse ovile ovium et unum Pastorem in Evangelio protestatur, et in Apost. Symbolo unam esse catholicam et apostolicam Ecclesiam fides catholica profitetur: hanc autem idem Dominus Iesus Christus in semetipso lapide angulari fundavit, hanc et sui pretiosi sangvinis effusione redemit, cuius magisterium Apostolorum Principi, beato Petro Vicario suo et per ipsum suis successoribus singularis privilegii praerogativa commisit:* tu es, inquiens, Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam; *et cum illi post suam resurrectionem verbo tertio repetito dixisset:* Pasce oves meas; *pro cuius etiam fide se orasse fatetur, loquens ad eum in Evangelio:* Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos; *ac ut eiusdem Apost. Principis suorumque successorum universalis esset auctoritas, et introducendi in regnum coelorum indubitata potestas, ad eundem dixit:* Tibi dabo claves regni coelorum etc. Qui ergo se ad huius ovile et sub eiusdem Pastoris cura reduxerint, ac sub eius doctrina et magisterio cursum vitae peregerint, salvationis gratiam merebuntur, qui vero ab eis deviarint, damnationis sententia ferientur. Et ideo paterno desideramus affectu, ut salutis tuae vitato dispendio electorum aggregari consortio merearis, et quae credit, tenet, et servat eadem Romana mater Ecclesia, derelictis omnino schismaticorum erroribus, in quorum observatione deviatur a via lucis, et panditur iter ad tenebras, verae conversio-

nis et conversationis gratiam amplectaris. — **Theiner** *Monum. Polon. ac Lithuaniae.* Romae. 1860. I. 193.

661.

Idem Nuntiis ad Regem Lithuaniae directis articulos fidei, ac inter hos articulum de Primatu Rom. Pontif. explanandos committit. 1324.

MON. Ven. fratri Bartholomaeo Eppo Electensi et dil. filio Bernardo Abbati Monasterii S. Theofredi Aniciensis dioecesis. — Inter praecipuos et praecordiales affectus, qui totum nos possident, illa est nobis cura suprema, ut fides catholica iugiter augeatur, et tunc nobis iuxta cor nostrum consolationis materia praestatur et gaudii, cum audimus orbis principes et magistros dudum ambulantes in tenebris et mortis umbra degentes novi luminis fulgoribus radiatos renasci cupere fonte baptismatis, et perennem amplexari salutem, quae Christus est, et semitam agnoscere veritatis. Sane a magnifico viro Principe Gedeminne Rege Lethwinorum etc. — Vos — ad partes illas ad evangelisandum dicto Regi et genti suae verbum vitae ac viam salutis aeternae duximus destinandos, et ut articulos christianae fidei dictis Regi et genti lucidius explanare et insinuare possitis, ipsos vobis praesentibus annotatos transmittimus, qui tales sunt: ‚Credimus S. Trinitatem etc. — *Ipsa quoque ss. Romana Ecclesia summum et plenum Primatum et principatum super universam Cath. Ecclesiam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro Ap. Principe seu vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; qui sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debet iudicio diffinire; ad quem potest gravatus quilibet in negotiis pertinentibus ad forum eccles. appellare; sed in omnibus causis ad examen eccles. spectantibus ad ipsius potestatis potest recurri iudicium; et eidem omnes ecclesiae sunt subiectae, ipsarumque praelati et obedientiam et reverentiam*

sibi debent; apud quem sic plenitudo potestatis consistit, quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas, et patriarchales praecipue diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen praerogativa tam in Generalibus Conciliis, quam in quibusdam aliis semper salva. — **Theiner** l. cit. I. 197.

662.

Ioannes XXII PP. erroneas Marsilii Patavini et sociorum sententias de Romano Pontifice reprobat et damnat. A. 1327.

MON. Licet iuxta doctrinam Apostoli ob id esse haereses necesse sit, ut fiant, qui probati sunt, aptius manifesti; quia tamen iuxta doctrinam eiusdem Apostoli haereticorum (vulgus) primo ut cancer serpere, id est, a parvo ad maius paulatim tendere consuevit, necesse est, ut talibus eorumque perversis dogmatibus sic celeriter occurratur, quod tam perniciosus morbus neglectus inter initia vires sumere nequeat, sed potius suo praefocetur in ortu. Sane dudum ad nostram audientiam relatione tam verbali quam literali plurium sublimium ac fidelium personarum, nec non fama publica notoriante perducta, quod duo viri nequam, quorum unus Marsilium de Padua, et alter Ioannem de Ianduno se faciunt nominari, quemdam librum composuerunt, multa falsa, erronea, et haeretica continentem, quodque ipsos errores et haereses in Ducatu et terris Bavariae, Ludovico de Bavaria excommunicato Dei et Ecclesiae, fideique Catholicae persecutore manifesto et hoste crudeli, suisque horrendis excessibus et gravibus culpis exigentibus iure, si quod ei ex electione discordi (quae de ipso celebrata dicebatur) ad Regnum Romanum vel Imperium competebat, iusto privato iudicio, eisdem Marsilio et Ioanni favente super his ac etiam adhaerente, dogmatisare publice praesumebant; quibus licet nonnuli Viri Catholici se pro defensione fidei opponentes ostendissent aperte, quod illa doctrina erat erronea et haeretica, velut contraria Evangelicae et Apostolicae veritati, et ut a tali doctrina de-

sisterent, svasissent eisdem, ipsique eorum nollent acquiescere monitis, sed in publicandis suis erroribus perdurarent; tandem tam praefati quam plures Praelati, nec non alii viri Catholici tam perniciosas haereses inter Catholicos dogmatisare publice indecens et periculosum nimium reputantes, nobis certos articulos excerptos de libro praedicto curaverint mittere, ac per se ipsos aliqui praesentare, supplicantes attentius, ut super praemissis curaremus S. Dei Ecclesiae de opportuno remedio providere. Et licet tam cum fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, quam cum multis AEppis et Episcopis, aliisque Ecclarum Praelatis, nec non et cum pluribus S. Theologiae Magistris, ac utriusque Iuris professoribus deliberationem super ipsis articulis praehabuerimus diligentem, ex quorum deliberatione aperte convincitur, quod errores articulorum ipsorum sunt adeo manifesti, quod quicquid ad eorum manifestationem adiicitur, frustra adiici videatur, et quasi sol facibus adiuvari : ut tamen minus periti promtius illos percipere valeant et vitare, quaedam ad ipsos declarandos errores, perfunctorie satis, de Fratrum eorundem consilio, praesentibus duximus inserenda.

Inprimis itaque isti Viri reprobi dogmatisare praesumunt : quod illud, quod de Christo legitur in Evangelio b. Matthaei, quod ipse solvit tributum Caesari, quando staterem sumtum ex ore piscis illis, qui petebant didrachma, iussit dari, hoc fecit non condescensive et liberalitate suae pietatis, sed necessitate coactus. Quod utique doctrinae contradicit Evangelicae, nostrique sententiae Salvatoris. Cum enim sicut in eodem Evangelio legitur, Christus interrogasset Petrum, a quibus Reges terrae accipiunt tributum vel censum, a filiis suis, an ab alienis? et Petrus respondisset, quod ab alienis : ex hoc concludens Christus filios Regum esse liberos, dixit : ergo liberi sunt filii; constat autem Christum secundun carnem fuisse David filium iuxta testimonium Angeli sic dicentis : dabit ei Dominus sedem David patris eius; et per consequens quod ipse a solutione tributi vel census prorsus erat immunis. Hoc etiam patet ex hoc, quod statim subiunxit : ut non scandalisemus eos, vade et da staterem pro me et pro te eis; ubi evidenter patet, quod non ut adstrictus, sed ut evitaret scandalum, staterem tributi exactoribus iussit solvi. Ex praedicto autem dicto suo nituntur concludere praefati viri reprobi : quod omnia temporalia Ecclesiae subsunt

Imperatori, et ea potest accipere velut sua; videntur enim supponere, quod ex hoc, quod Christus tributum solvit ex debito, res temporales eius Imperatori subessent, et per consequens quod res Ecclesiae temporales sint Imperatori subiectae et eas possit recipere velut suas. Quae quidem conclusio nullatenus ex praemissis sequitur, nec sequi potest. Cum enim liqueat ex praedictis Christum fuisse a solutione tributi vel census liberum et immunem, et staterem non solvisse ex debito, sed ut aliorum scandalum evitaret: nullo modo potest concludi, quod res Christi, quales sunt res Ecclesiae, subsint Imperatori. Praeterea etiam si Christus staterem solvisset ex debito, impertinenter concluderetur ex eo, quod res Christi, quales sunt res Ecclesiae, subessent Imperatori; cum Christus non pro rebus, sed pro persona staterem solverit antedictum, quod patet ex eo, quod illum iussit solvi pro se et Petro modo praedicto, non pro rebus suis et bonis; unde non sequitur quod ex eo, quod persona est tributaria, tributaria sint et bona, imo qui pro persona tributum tenetur solvere, habet bona libera et aequa. Et quia haec patent falsa esse per iura imperialia manifeste, supersedimus super hoc plenius allegare.

Secundo, isti filii Belial dogmatisare praesumunt, quod beatus Petrus Apostolus non plus auctoritatis habuit, quam alii Apostoli habuerunt nec aliorum Apostolorum fuit caput; item quod Christus nullum caput dimisit Ecclesiae, nec aliquem Vicarium suum fecit. Quod est totum contrarium Evangelicae et Apostolicae veritati. Quod enim Christus Vicarium suum beatum Petrum constituerit, patet; constat enim quod Christus officium Pastoris gessit in terris, hinc est quod in Ioanne se vocat pastorem, dicens: ego sum pastor bonus; liquet etiam quod curam gregis sui ante ascensionem beato Petro generalem commisit, quando sibi illud Ioannis dixit: Simon Ioannis pasce oves meas, pasce agnos meos; unde cum pastor gregis dominici, scilicet Christus, curam eiusdem gregis b. Petro commisit, quin eum quoad curam gregis suum Vicarium fecerit, nullus debet in dubium revocare. Hoc ille Imperator christianissimus scilicet Constantinus testatus est dicens: b. Petrus videtur in terris Vicarius Dei Filii constitutus. Ex hoc sequitur evidenter, quod Petrus caput universalis Ecclesiae potest dici, iuxta morem illum S. Scripturae, quo rector alicuius multitudinis dicitur esse caput; unde legitur in

Ioële: congregabuntur filii Iudae et filii Israel, et ponent sibi caput unum, id est rectorem. Constat autem, quod b. Petrum eo ipso, quod Christus sibi commisit curam gregis dominici, ipsum eiusdem gregis videtur constituisse Rectorem, et per consequens caput. Fatemur tamen cum Apostolo: quod Christus Ecclesiae est verum caput et principale, sub quo tamen Petrus caput dicitur secundum modum praedictum, secundum quem modum sub Christo capite et Petro multa capita particularia possunt dici, sicut Patriarcha fidelium Patriarchatus sui, et AEppus Archieppatus, et Episcopus Eppatus sui; sic videmus, quod licet Christus sit Ecclesiae principale et primum fundamentum iuxta illud Apostoli: fundamentum autem nemo potest ponere praeter illud, quod positum est, quod est Christus Iesus; et alibi loquens gentilibus conversis dixit: vos estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo lapide angulari Christo Iesu, id est, quod fundamentum est Christus Iesus: tamen etiam Apostoli dicuntur fundamentum iuxta illud Psalmistae: fundamenta eius, id est, Ecclesiae, in montibus sanctis. Et secundum hunc modum Christus videtur Petrum praedixisse futurum Ecclesiae fundamentum, cum dixit: tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Unde sicut Christus dicitur Sanctus Sanctorum, Rex Regum, Dominus dominantium: sic similitudinarie pastor pastorum, et caput capitum, et fundamentum fundamentorum Ecclesiae potest dici. Sic igitur ex praedictis patet, quod Petrus secundum praedictum modum caput est Ecclesiae et vocatur. Et hoc videtur Christus in impositione nominis designasse, dixit enim sibi, sicut legitur in Ioanne, tu vocaberis Cephas; Cephas autem graece interpretatur caput latine; unde Constantinus Imperator de Romana Ecclesia loquens dicit: quod Principatus Sacerdotum et Christianae Religionis caput ab Imperatore coelesti constitutus est Romae. Iustinianus quoque in quadam Epistola Ioanni Papae missa testatur haec dicens: non patimur quicquam, quod ad Ecclesiam pertineat, quamvis manifestum et indubitatum sit, quod innovetur, ut non hoc Sanctitati Vestrae, quae Caput est Ecclesiarum omnium, innotescat. Etiam alibi sic dicit: Summi Pontificatus apicem apud Romanam Ecclesiam esse, ipsamque fore sacerdotii fontem, nemo est qui dubitet, id est qui debet dubitare. Ludovicus autem Imperator beatum Petrum Apostolorum Principem vocat. —

Quod autem b. Petrus plus quam alii Apostoli habuit auctoritatis, ex praedictis etiam concluditur evidenter. Certum est enim, quod maior est auctoritas pastoris quam gregis: Petrus autem totius gregis dominici generalis constitutus est pastor, ut probatum est superius, quod de nullo alio apostolo potest dici. Praeterea constat, quod maior est non limitata auctoritas limitata: omnes autem alii Apostoli receperunt limitatam potestatem, sive supra verum corpus Christi conficiendum, sumendum, et aliis ministrandum; quae quidem auctoritas seu potestas fuit in Coena Domini omnibus Apostolis attributa, et etiam illa, quam post resurrectionem Dominus supra corpus mysticum dedit illis, dicens: quorum remiseritis peccata, remissa sunt, et quorum retinueritis, retenta sunt; sive in Ascensione, quando dixit eis: euntes ergo docete omnes gentes baptisantes in nomine Patris. Petro autem sine limitatione aliqua commisit Dominus curam dominici gregis, cum sibi dixit: pasce oves meas, pasce agnos meos; item sibi soli, ita quod nulli alteri, singulariter dixit: tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis. Haec autem in sancto Lucae Evangelio Iesus videtur satis congrue designasse, ubi loquens Petro et aliis dixit: duc in altum, et relaxate retia in capturam; soli enim Petro dixit, et non ulli alii: duc in altum; significans, quod ad ipsum solum pertineret, in altum, id est in profundum disputationum fidei dubia definire; sibi autem et aliis quod sequitur dixit: laxate retia in capturam, quia omnes Apostolos constituit huiusmodi piscatores iuxta illud, quod in s. evangelio Marci dixisse legitur Christus: venite post me, et faciam vos hominum piscatores. Hoc quoque, scilicet quod Petrus plus ceteris Apostolis receperit auctoritatis, apparet ex multis, quae Iesus sibi et de ipso illis dixit, nec non et ex multis, quae ipsum post Ascensionem Domini dixisse et fecisse Scriptura S. testatur. Ex praedictis itaque patet, quod Petrus a Christo fuit Vicarius constitutus, quando sibi totius gregis dominici curam commisit, et per consequens rector et caput ipsius gregis institutus est et vocatus; ex quibus sequitur, quod sibi a Christo amplior, quam aliis Apostolis, attributa fuit auctoritas, et potestas; hinc est, quod Clemens eiusdem Petri successor et discipulus dixit: nec inter ipsos Apostolos par fuit institutio, sed omnibus praefuit unus, scilicet Petrus.

Tertio, isti filii Belial asserere non verentur: quod ad Imperatorem spectat Papam instituere et destituere, ac punire; quae utique omni iuri obviant et repugnant. De primo quidem post Christum novi Testamenti summo Pontifice Petro patet, quod non ab Imperatore temporali seu terreno constitutus Papa fuerit, sed a Christo, dicente sibi soli illud Ioannis: pasce oves meas, pasce agnos meos; per quae verba ipsum suum vicarium generalem constituit, ut patet ex praedictis. Adhuc de illis summis Pontificibus, qui fuerunt ante Constantinum M. Imperatorem, quod ipsorum institutio ad Imperatores non pertinuerit, satis liquet volenti acquiescere veritati; cum enim fere omnes Imperatores illius temporis fuerint idololatrae ac fidei catholicae et orthodoxorum Pontificum persecutores atrocissimi, adeo quod omnes fere a b. Petro inclusive usque ad bonum Silvestrum effecerunt martyres: quod ad eos Papae institutio potuerit pertinere, nullo modo utique credi debet; nec de ipso Constantino usque ad suam conversionem ad fidem catholicam, quod ad eum Papae institutio pertinuerit, dici potest; nec per conversionem ad fidem hoc assequi potuit, cum per eam Papae filius et discipulus effectus fuerit et subiectus. Praeterea cum Imperator ipse post susceptum baptismum inconveniens reputaverit et iniustum, quod ubi principatus sacerdotum et Christianae Religionis caput ab Imperatore coelesti institutum fuerat, videlicet Romae, illic Imperator terrenus potestatem haberet, ideoque sedem imperialem Silvestro Papae cesserit, et ad partes orientales Imperii et Regni transtulerit potestatem; multo fortius inconveniens et iniustum est censendum, quod ad ipsum Imperatorem Papae potuerit institutio pertinere; et idem patet dicendum esse de Graecis Imperatoribus, qui sibi in Imperio successerunt. Quod autem ad Imperatores Latinos non pertinuerit, nec pertineat institutio supradicta patet. Imperium enim per Papam a Graecis translatum est ad Latinos, nec plus iuris in ipsos, quam apud Graecos existeret. Papam ipsum transferentem legimus transtulisse: Graecis autem Imperatoribus, ut ex praedictis patet, talis non pertinebat institutio, quare nec pertinere poterit ad Latinos. Et si dicatur, quod Papae institutio ad Latinos Imperatores pertinet ex concessione postea ipsis facta per summum Pontificem, vel summos Pontifices: est dicendum, quod nulla concessio facta per Papam aliquem Imperatori seu Imperatoribus debet intelligi,

quod ipsi Imperatores Papam possent instituere seu eligere, sed quod possent electioni summi Pontificis interesse; et quod sic concessiones illae intelligi debeant, satis ex eo liquet, quod in quodam Capitulo legitur, ubi sic dicitur: patet verum, quia Imperatores quandoque modum suum ignorantes non in numero consequentium sed potius distribuentium imo exterminantium esse voluerunt. Item querimonia nuntiorum Ludovici Imperatoris, quibus in Urbe praesentibus electio de Papa Hadriano II. ipsis non vocatis exstitit celebrata, hoc similiter probat; conquerebantur enim dicentes: quod cum praesentes essent, non fuerant invitati, nec optatae meruerunt electioni futuri Praesulis interesse. Adhuc quia nonnulli Imperatores illo privilegio abusi fuerant, et frequenter in haereticorum prolapsi perfidiam catholicae matris Ecclesiae unitatem fuerunt impugnare conati, statuta SS. Patrum contra eos, sanctae ut se electioni Papae non ingererent, prodierunt, ac ut anathematis innodaretur vinculo, quisquis eorum suffragio Ecclesiam obtineret. Nonnulli quoque Imperatores ducti religiosae mentis affectu ex abundanti supradicto renunciaverunt privilegio, ut patet ex tenore canonum super hoc conditorum, per quos et non alios probatur concessio antedicta. Praeterea legant homines isti pestiferi historias approbatas, quis unquam Papa catholicus ab Imperatore institutus fuerit? profecto credimus, quod nullum poterunt reperire; nec dubium, si ad eos talis pertinuisset institutio: quin potestate fuissent usi huiusmodi et quum in historiis de institutione tali mentio haberetur. Dicere autem, quod Papae destitutio seu punitio ad Imperatorem pertineat, est erroneum et insanum; quomodo enim ad Imperatorem pertinebat Papae destitutio, cum eius institutio ad eum non pertineat, ut ex praedictis patet; inde enim etiam secundum iura imperialia privatio debet procedere, unde datio noscitur processisse. Praeterea quomodo Imperator Principem Clericorum destituere poterit vel punire, cum etiam secundum imperiales leges id in simplici clerico nequeat exercere? Audiant isti homines perfidi, quid circa hoc nonnulli Principes Catholici senserint et quid duxerint sanciendum. Theodosius quidem et Arcadius Imperatores Catholici expresse sanxerunt, quod nullus Episcoporum, sive eorum, qui Ecclesiae necessitatibus serviunt, ad ordinariorum sive extraordinariorum iudicium petrahantur; habent enim illi iudices suos, nec quic-

quam eis cum legibus est commune. Item Imperator Constantinus cum querelam Clericorum quorumdam coram se deferendam conspiceret, dixit: vos a nemine laicorum iudicari potestis, qui Dei solius estis iudicio reservati; et si dicatur, si solius Dei iudicio reservantur, ergo nec a iudicibus ecclesiasticis poterunt iudicari: dicendum, quod imo ipsi quidem Pontifices Vicarii licet differenter sint Christi, quia Papa universalis, velut vocatus in potestatis plenitudinem, illi vero particulares velut illi, qui in partem sollicitudinis sunt vocati; unde a Deo videntur iudicari, quia ab eo iudicantur potius quam ab ipsis, cum ille huius auctoritate sic facere videatur, et propter hoc Imperator praedictus signanter dixit: a nemine laicorum. Item Theodosius Imperator cum Romae Concilium convocasset, ut S. Concilium iudicaret de his, quae Papae Symmacho ab adversariis dicebantur impingi, certi Episcopi, qui convenerant, Imperatori dixerunt: quod ad illum, qui impetebatur, scilicet Papam, pertinebat Concilium convocare, quia eius sedi primum Petri Apostoli meritum, deinde secuta iussione Domini Conciliorum venerandorum auctoritas singularem in Ecclesiis tradidit potestatem, nec ante minoris subiacuisse iudicio antistitem dictae Sedis; quo audito Imperator praedictus Deo inspirante respondit: Synodalis esse arbitrii in tanto negotio sequenda praescribere, ac ad se nihil praeter reverentiam de ecclesiasticis negotiis asseruit pertinere; Episcopis etenim Principes Christianos solitum est capita subdere, non de eorum capitibus iudicare. Hinc est, quod Innocentius Papa Arcadium Imperatorem excommunicavit, quia consensit, ut a sua sede S. Ioannes Chrysostomus pelleretur. Plures quoque Summos Pontifices legimus Imperatores pro suis excessibus imperiali dignitate privasse. Beatus quoque Ambrosius, licet Ecclesiae universalis non esset Pontifex, Theodosium M. Imperatorem excommunicans eidem ingressum Ecclesiae interdixit. Ad huiusmodi autem erroris sui fulcimentum, scilicet quod ad Imperatorem pertineat Papam destituere et punire, illud, quod in S. Evangeliis legitur de Pilato, scilicet quod Christum crucifixerit, praesumunt inducere, asserentes ipsum Pilatum tamquam Christi ordinarium crucifixisse ipsum tamquam sibi subiectum. Quod habet duplicem intellectum: aut enim intelligunt, Pilatum crucifixisse Christum de iure, aut de facto. Si de iure, hoc obviat veritati: de iure enim de crimine quis puniri non potest, nisi qui deliquerit vere vel inter-

pretative, vel qui convictus fuerit deliquisse; Christus autem secundum veritatem non deliquit, quia innocens fuit manibus, et mundo corde, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius; et hoc ipse Pilatus fuit expresse testatus; cum enim ipsum Iudaeis tradidit crucifigendum, dixit: mundus sum a sanguine iusti huiusmodi; item non fuit deliquisse convictus, quod idem pluries testatus est; cum enim Iudaei instarent, quod crucifigeret illum, in uno loco dixit: quid enim mali fecit; quasi dicat: nihil invenio eum fecisse mali; et alibi pluries eisdem Iudaeis instantibus, quod crucifigeret illum, dixit: ego nullam in eo invenio causam mortis; quare ipsum de iure non potuit punire. Si autem intelligunt, quod de facto, et iniuste punivit eum innocentem, sicut et veritas se habet: tunc ex hoc non possunt concludere aliud nisi quod Imperator Papam de facto potest interficere et iniuste, quod utique non solum de Imperatore concedimus, sed etiam de privato, sicut et plures Imperatores a privatis personis, et summos Pontifices a non suis iudicibus, sicut omnes martyres legimus interemtos.

Quarto, dicunt isti vaniloqui, imo falsiloqui: quod omnes sacerdotes, sive sit Papa, sive Archiepiscopus, sive sacerdos simplex, sunt, ex institutione Christi auctoritatis et iurisdictionis aequalis; quod autem unus plus alio habeat, hoc est secundum quod Imperator concedit uni vel aliis plus et minus; et sicut concessit alicui, sic potest illud etiam revocare: quae utique doctrinae sacrae obviant, et haereticam sapiunt pravitatem. Quod enim sacerdotum simplicium et non simplicium ex ipsa institutione Christi non existat aequalis potestas, patet tam in his, qui fuerunt in Testamento veteri, quam in his qui fuerunt in novo. In veteri siquidem Testamento per Moysem ex praecepto Domini Aaron in summum Pontificem, filii vero eius uncti fuerunt in simplices sacerdotes; quorum potestas, ut patet, inaequalis extitit, quia ex simplicibus sacerdotibus velut ad superioris auctoritatis et potestatis honorem, ad Pontificium sunt assumti; tumque licebant quaedam Pontifici, utpote in sancta sanctorum ingredi, quae non licebant simplici sacerdoti. In novo vero Testamento Pontificum et simplicium sacerdotum ab ipso Christo ex eo assumsisse videtur exordium, quod duodecim Apostolos, quorum typum gerunt Pontifices, ac 72 discipulos instituit, quorum typum gerunt simplices sacerdotes. Constat autem ex multis,

quae de ipsis in sanctis leguntur Evangeliis, quod Apostolorum et discipulorum auctoritas dispar fuit. Adhuc quod potestas aliorum quorumcunque sacerdotum potestati Papae par non sit, nec aequalis, patet evidentius ex praedictis. Quod aliorum Episcoporum, Patriarcharum, AEpporum par potestas non sit nec fuerit, patet; inferior siquidem potestas superiori non est par potestati; constat autem Patriarchas esse superiores respectu AEpporum, et AEppos respectu Epporum, et Eppos respectu simplicium sacerdotum. Et si dicant isti homines reprobi, quod istorum Epporum distinctio ab Imperatore processit, non a Christo: dicimus, quod imo processit ab ipso; ille enim cuius auctoritate fit aliquid, illud fecisse videtur: beatus autem Petrus Christi Vicarius et gregis dominici caput attendens, quod aucto grege sine ipsius augmentatione custodiae gregi non poterat salubriter provideri, auctum gregem post ascensionem Domini considerans, et aucturum amplius praevidens in futurum, gradus praedictarum potestatum instituit et distinxit. Quare cum auctoritate Christi praedicta distinctio facta fuerit, Christo debet adscribi. Hanc autem potestatem dandam Ecclesiae Scriptura diu ante praedixerat dicens: Pro patribus nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram; ubi Patres Ecclesiae vocant Apostolos, et filios Ecclesiae fideles per Apostolos ipsos conversos; ubi satis aperte Ecclesiae pastori attributa potestas intelligitur instituendi diversos gradus Principum, cum expedire perciperet Ecclesiae sanctae Dei. Audiant insuper isti perversi homines, quid Iustinianus Imperator Catholicus super hoc dixit: cum enim circa gradus praedictos Episcoporum, eorumque superioritatem et subiectionem constituisset aliqua, subiunxit, dicens: nos haec secundum sacrarum regularum explanationem Apostolicamque Traditionem constituimus; ex quibus colligitur evidenter, non ab Imperatore distinctionem et auctoritatem Pontificum originaliter et principaliter, sed ab auctoritate Apostolica processisse, Imperatoremque, ut illa servarentur melius, iuxta statuta apostolica, eadem statuisse. Considerent etiam, quae et quanta ex his, si vera essent, inconvenientia sequerentur. Sequeretur utique, quod usque ad tempus Constantini nulla potestas esse potuerit in Ecclesia sancta Dei, cum illo tempore Imperatores fere omnes gentiles fuerunt, persecutores Ecclesiae, ac Praelatorum eiusdem; de quibus dici non potest, quod Praelatis Ecclesiae potestatem

concesserint aliquam, ut ex praedictis patet. Ex praedictis insuper sequeretur, quod universalis Ecclesia, quae Spiritu S. regitur, erret, et erraverit ipsos honorando pro sanctis : quod est utique contra illud, quod Christus discipulis in Ascensione sua, ut in S. Evangelio Matthaei legitur, promisit, dicens : ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi; secundum enim istos diaboli filios pro illo tempore vera Christi promissio non fuisset, nec aliquis illorum Pontificum, qui a paganis fuerunt eo tempore interfecti, sancti fuerunt, nec pro sanctis honorari deberent; hoc quoque est expresse contra illum articulum, unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam; quia secundum eos nec sancta fuit pro illo tempore, nec potuit dici sancta. Utrum autem in omnibus Apostolis, ac in simplicibus et non simplicibus sacerdotibus fuerit ordinis potestas aequalis : dicimus, quod quantum ad ordinis dignitatem, pares sunt et fuerunt; aeque enim sacerdos quilibet sacerdotalem characterem recepit, rite et secundum formam Ecclesiae ordinatus; potestas autem ipsius ordinis par quoad sacramentum altaris, omnino non existit nec extitit simplicis et non simplicis sacerdotis: quod patet, quia potestas ligabilis et suspensibilis illi, quae ligari vel suspendi nequit, nequaquam par potest dici. Constat autem quod Papa potuit ligare aliorum sacerdotum et suspendere potestatem sic quod licite uti dicta potestate non poterunt, licet effectus subsequatur si usi fuerunt, et ipsi sunt ex hoc merito puniendi; nullus autem aliorum sacerdotum potestatem Papae ligare vel suspendere potest, quod etiam de aliis superioribus et inferioribus patet; ex quo sequitur evidenter, quod potestas ordinis superiorum et inferiorum sacerdotum omnino par iudicari non potest. Concedimus tamen, quod si sine probatione aliqua minores usi fuerint huiusmodi ordinis potestate, puta hostiam consecrando, par sequitur effectus : aeque enim prolatis verbis illis : hoc est corpus meum, a simplici sacerdote fit transsubstantiatio panis in corpus Christi, sicut si ea superior protulisset; quod ex eo contingere noscitur, quia unus et idem est sacerdos interior, videlicet Christus, qui prolatis verbis praedictis a sacerdote quolibet animo consecrandi, transsubstantiationem huiusmodi facit; et ideo non est mirum, si par effectus sequi debeat verbis praedictis a quocunque sacerdote prolatis, cum unus et idem actor huiusmodi esse noscatur effectus.

Adhuc isti blasphoemi dicunt, quod tota Ecclesia simul iuncta nullum hominem punire possit punitione coactiva, nisi concedat hoc Imperator: quod utique doctrinae Evangelicae noscitur obviare. Constat enim, quod a Christo Petro, et in persona Petri Ecclesiae potestas coactiva concessa, vel saltem promissa extitit; quae quidem promissio fuit postea adimpleta, cum sibi Christus dixit: quodcunque ligaveris super terram; ligantur enim non solum voluntarii, sed inviti. Adhuc constat, sicut ibi legitur in Matthaeo, quod si aliquis damnum alii indebite dederit, illudque ad mandatum Ecclesiae noluerit emendare, quod Ecclesia per potestatem a Christo sibi concessam ipsum ad hoc per excommunicationis sententiam compellere potest, quae quidem potestas est utique coactiva. Circa quod est advertendum, quod cum excommunicatio maior nedum excommunicatum a perceptione sacramentorum removeat, sed etiam a communione fidelium ipsum excludit, quod corporalis etiam a Christo coactio Ecclesiae est permissa, cum etiam secundum imperiales leges gravius reputetur inter homines conversari, ipsorumque privari suffragio, quam ab hominibus separari; ex quo sequitur potestatem coactivam non ab imperatore terreno, sed ab ipso Christo fuisse originaliter Ecclesiam consecutam. Praeterea b. Petrus post Ascensionem Domini in personam Ananiae et Sapphirae uxoris suae sine imperiali concessione — mortis sententiam promulgavit: quae quidem sententia non processit de ipsorum coniugum voluntate. Item b. Paulus Elimam magum, Sergium, Paulum a fide quaerentem avertere, ad tempus luce corporali privavit; illum quoque fornicatorem Corinthium in carnis interitum tradidit satanae, ut eius spiritus salvus esset. Item Corinthiis scribens, dixit idem Apostolus: quid vultis, in virga ad vos veniam? an in caritate et in spiritu mansvetudinis? in quo satis expresse coactivam potestatem supposuit se habere. Item scribens eisdem alibi dixit: arma militiae nostrae non sunt carnalia sed potentia Deo id est a Deo concessa ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus sententiam Dei; et sequitur: in promtu habentes ulcisci omnem inobedientiam. Ex quibus patet, Paulum non ab Imperatore, sed a Deo habuisse potestatem etiam coactivam, cuius contrarium blasphoemi praesumunt dicere supradicti. Rursus advertant nequam isti homines, quomodo audent dicere, quod ab Imperatore

terreno Ecclesiarum Praelati coactivam vel aliam receperint originaliter potestatem; cum, ut supradictum est, Imperatores usque ad Constantinum M. fere omnes pagani fuerant, et idololatrae, et persecutores, imo exterminatores, quantum fuit in eis Ecclesiae sanctae Dei. Quomodo ergo illi talibus coactivam vel aliam concederent potestatem, utique nullus sapiens hoc credere debet.

Et quia ne tantorum auctores et doctores errorum plures in ipsorum errorem pertraherent devium, ipsique propter impunitatis audaciam nequaquam fierent nequitiores, licet nos cum eorum excessus adeo forent notorii, quod nulla poterant tergiversatione celari tunc possemus procedere ad sententiam contra eos; de benignitate tamen Apostolica, quae conversionem desiderat perversorum, nos ipsos, Marsilium et Ioannem — per edictum citavimus publicum — et contra ipsos procedere usque ad diem praesentem duximus differendum. Sed considerantes attente, quod praemissi — ad redeundum in sinum Ecclesiae se non praepararent, sed potius ut in sui erroris devium alios pertrahant, elaborant, nec non ad memoriam reducentes, quod dudum cum hostis humani generis ad impugnandum sinceritatem fidei, haereticorum fallaciam subinduceret fraudulentam, sancti Patres praedecessores nostri contra ipsos viriliter insurgentes eorum prava dogmata cum suis auctoribus condemnarunt, sicut patet de Ario, et Manichaeo, Nestorio et Dioscoro, eiusque complicibus, et pluribus aliis; ac volentes eorundem Patrum vestigiis inhaerere, et insuper attendentes, probabiliter formidari, quod in praemissis mora periculum et damnum dissimulatio forent procul dubio allatura, non intendentes eos ulterius expectare, sed reputantes ac decernentes potius contumaces: ad laudem et gloriam sanctae et individuae Trinitatis, consolationemque fidelium, et fidei Catholicae firmamentum, de fratrum nostrorum consilio, Dei nomine invocato, Articulos praedictos, videlicet: quod illud, quod de Christo legitur in Evangelio b. Matthaei, quod ipse solvit tributum Caesari, quando staterem sumtum ex ore piscis, illis, qui petebant didrachma, iussit dari hoc fecit non condescensive et liberalitate suae pietatis, sed necessitate coactus, item quod b. Petrus Apostolus non fuit plus caput Ecclesiae, quam quilibet aliorum Apostolorum, nec habuit plus auctoritatis, quam habuerunt alii Apostoli; et quod Christus nul-

lum caput dimisit Ecclesiae, nec aliquem fecit Vicarium suum; rursus quod omnes sacerdotes, sive sit Papa, sive AEppus, sive sacerdos simplex quicunque, sunt aequalis auctoritatis et iurisdictionis ex institutione Christi, sed quod unus habeat plus alio, hoc est secundum quod Imperator concessit plus vel minus, et sicut concessit, revocare potest; ultimo quod Papa vel tota Ecclesia simul sumta nullum hominem quantumcunque sceleratum potest punire punitione coactiva, nisi Imperator daret eis auctoritatem: — velut S. Scripturae contrarios, et fidei catholicae inimicos, haereticos seu haereticales et erroneos, nec non et praedictos Marsilium et Ioannem haereticos, imo haeresiarchas fore manifestos et notorios sententialiter declaramus. — — Datum Avenione decimo Cal. Novembris a. 1327. Pontif. nostri anno duodecimo. — **Bullarium R.** *edit. Luxemb.* T. IX. p. 167.

663.

Benedictus XII. PP. in Constitutione, qua quaestionem de visione animarum iustorum post mortem diremit, supremam auctoritatem Romanae Sedis diserte commendat, A. 1335.

MON. Benedictus Deus in donis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, *qui sacrosanctam Romanam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam, quam ut vineam plantavit dextera sua, quamque ut praecipuam in Ecclesiarum omnium Caput erexit ut victricem, dicente Domino ad Petrum:* Tu es Petrus etc. *sua miseratione non deserit: sed per beatos Apostolos suos, praecipue Petrum et Paulum*, singulares eiusdem Ecclesiae defensores, *pia benignitate et continua pietate custodit, quatenus eisdem rectoribus gubernata in se stabilis maneat, fundata supra firmam petram, omnesque christianae fidei cultores illi obediant, illi pareant, illi intendant, sub illius magisterio degant, sub eius disciplina et correctione consistant:* non in illa dogmatisetur improvidum, inseratur incautum, in fide temerarium ingeratur, sicque declinent homines a malo et faciant bonum,

ambulent per vias rectas, et ad meliora per sancta desideria proficiscantur. — *Quodsi secus a quoquam fuerit attentatum, id protinus sua auctoritate, poenis etiam adiectis, prout expedire viderit, prorsus evellat. Pro qua, ut in se ipsa subsistens alios informaret, passionis suae tempore Salvator noster Iesus Christus Patrem exorasse perhibetur, dicens:* Simon ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. *(Sequitur definitio dictae quaestionis.)* Datum Avenione IV Cal. Febr. Pont. nostri a. II. (1335.) — **Du Plessis d' Argentré** *coll. Iudicior.* I. 321.

664.

Conc. Graecorum Cypri Nicosiense, A. 1340. de Primatu.

MON. *Confessio fidei.* Quoniam in regno Cypri, in singulis civitatibus et dioecesibus permixti sunt populi diversarum lingvarum, habentes sub una fide, sicut experimento didicimus, varios ritus et mores, qui a suis episcopis et praesulibus iuxta diversitates rituum et lingvarum verbo instituendi sunt pariter et exemplo: ut in salubri doctrina praefati praesules expulsa omni errorum caligine possint in lumine verae lucis, quae catholicos professores illuminat, ambulare, et suos subditos seu populos commissos eisdem clarius informare, decrevimus fidei professionem explicite declarare, quam sacrosancta Romana ecclesia firmiter tenet, docet, et praedicat, ut ipso verae lucis lumine mediante queant veritatis semitam imitari et varios errores expellere. — — Quicunque autem cupit salvus fieri et catholicus reputari, tenere debet, fateri et publice confiteri, quod ipsa sacrosancta Romana ecclesia est mater omnium fidelium et magistra, et super universam catholicam ecclesiam plenum principatum obtinet et primatum, quem memorata Ecclesia ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe seu vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum plenitudine potestatis recepisse, humiliter et veraciter recognoscit. Cuius

Romani Pontificis, si quae subortae fuerint quaestiones et causae maiores, suo debent iudicio diffiniri; ad quem potest quicunque gravatus in negotiis ad forum eccles. pertinentibus appellare, et in omnibus causis ad examen eccles. spectantibus ad ipsius potest recurri iudicium; et eidem omnes ecclesiae sunt subiectae, ipsarumque praelati obedientiam et reverentiam sibi debent, qui in partem sollicitudinis sunt vocati. — Praescriptam igitur purissimam, certissimam, solidissimam Romanae Ecclesiae et orthodoxae fidei veritatem, evangelicae doctrinae consonam, a sanctis patribus traditam et Romanis Pontificibus — roboratam, ab universis et singulis regni Cypri — firmiter teneri, et simpliciter absque varietatis inconstantia, et sine scrupulo cuiuslibet dubietatis agnosci — auctoritate praesentis Concilii — praecipimus et mandamus. — Memorati Graecorum, Maronitarum, et Armenorum Eppi, et praemissarum aliarum nationum maiores pro se et subditis suis, intellectis omnibus supradictis, — clare, aperte, distincte et explicite recognoverunt, humiliter — confessi sunt, illa omnia et singula vera esse, et quod illa firmiter credant, adiicientes rationem, quod ita erat ab omnibus catholicis absque dubietate credendum, et quod sacrosancta Romana ecclesia erat mater omnium fidelium et magistra, super omnes ecclesias plenum principatum obtinens et primatum; et quod sanctissimus in Christo pater D. Benedictus divina providentia Papa XII successor beati Petri et in terris Vicarius Iesu Christi, erat cunctorum fidelium pater, et pastor, et dominus, cui singuli praelati ecclesiarum omnium debent reverentiam humilem, ipsique reverentiam eidem et obedientiam promittebant, petentes humiliter, quod eis liceret in suis ritibus fidei non contrariis permanere, ac deprecantes D. AEppum (Eliam), ut devotionem eorum intimare Domino summo Pontifici dignaretur. Acta sunt haec Nicosiae A. 1340. — **Harduini** *Concil.* VII. 1753.

665.

Clemens VI PP. ad praesules Graecos de Primatu Rom. Pontif. A. 1343.

MON. Salvator noster Dominus Iesus Christus, pro redemtione humani generis sub forma servi vestem nostrae mortali-

tatis assumens, reprobata quondam propter ingratitudinem perfidia Iudaeorum, et oblato synagogae, quae tempus visitationis suae non cognovit, libello repudii, sacrosanctam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam, congregatam in unum ex gentibus et Iudaeis, qui oculos illuminatos habentes viam veritatis et fidei cognoverunt, ipse lapis angularis utrumque coniungens parietem et utraque unum faciens, in Sponsam sibi specialiter praeelegit: eamque sanctificans, et mundans aquae lavacro in verbo vitae, gloriosam exhibuit, ac sanctam, et immaculatam effecit, iuxta quod in Canticis Canticorum legitur: ‚Una est sponsa mea, electa mea, immaculata mea.' Ipse quoque Dominus Iesus Christus unum esse ovile ovium et unum pastorem in Evangelio protestatur; et in Apostolorum symbolo unam esse catholicam ecclesiam fides catholica profitetur, quam ipse Dominus in se ipso lapide angulari probato, pretioso, vivo, ab aedificantibus reprobato, a Deo tamen electo et honorificato fundavit, et eius magisterium Apostolorum principi, beato Petro videlicet, cui licet insufficientibus meritis in apostolatus successimus dignitate, concessit inquiens: Tu es Petrus etc. et paulo post subdidit: Et tibi dabo claves etc. et nihilominus ovium suarum curam non solum alicuius gregis determinati, sed omnium ad ovile suum dominicum pertinentium universaliter verbo tertio repetito commisit dicens: Pasce oves meas; et quod eius fides numquam deficeret, se orasse fatetur, loquens ad eum in evangelio: Ego pro te rogavi etc. ut patenter ostenderet, non solum ovium, sed etiam pastorum omnium ipsum vicarium deputare pastorem. Quod etiam significanter ostendit, cum, ipso apparente post resurrectionem discipulis, Petrus per mare, ceteri vero discipuli navigio pervenerunt. Cui soli alibi dixisse ipse Dominus legitur: Duc in altum. Cum enim singuli determinatas habeant sibi provincias, soli Petro et eius successoribus ipsa tota commissa est universalis Ecclesia toto orbe diffusa, nempe signum singularis pontificii Petri, per quod non navem unam, ut ceteri quique suam, sed seculum ipsum gubernandum suscepit: mare siquidem seculum est, naves ecclesiae designantur. Quae quidem Graecorum populus provide non attendens; aliam sibi confinxit Ecclesiam, cum sit unica tantummodo ut est dictum, et ab Apostolicae Sedis unitate recessit: nec constitutionem Domini, nec Petri magisterium imitatur, et inconsutilem vestem Domini, cui crucifixorum

manus in aliarum vestium divisione pepercit, scindere usque ad haec tempora per frusta conatur; non advertens prudenter, quod una Noe tantum extitit arca, intra quam sub uno rectore quicunque fuerunt, leguntur in cataclysmo salvati, qui autem extra ipsam inventi sunt, omnes in diluvio perierunt. Sane quia nos libenter adinstar illius pastoris evangelici, qui ovem perditam et extra gregem errantem requirens sollicite et ipsam repertam imponens super humeros reportavit, ne bestiarum dentibus devoraretur, ad gregem, pro Graecorum ad eandem unicam ecclesiam reunione Deo placita, mundo acceptabili, et animarum saluti non modicum profutura, si ad hoc gratia perveniente divina disponeretur materia, laboraremus studiis operosis: super iis tam magnifico viro Ioanni Imp. Graecorum Palaeologo, quam Principibus, Baronibus, et nobilibus imperii Graecorum, ac populo civitatis CPnae literas scribimus opportunas. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus, et hortamur in Domino, quatenus praemissa, et quod extra dictum ovile dominicum, cuius est unus pastor, non est alicui gratia neque salus, diligentius attendentes, vos, qui eiusdem Graecorum populi eminentiam praesulatus gerere videmini, ad reunionem praedictam vestra studia dirigentes, tam Imperatorem quam principes, barones, nobiles et populos vestris monitis et exhortationibus salubribus ad reunionem, ut vobis et ipsis perennis vitae patere valeat aditus, inducatis, sciturі pro certo, quod ex iis vel aliis vestra vel sua non quaerimus, sed tantum vestrarum et ipsorum animarum salutem paterna sollicitudine sic zelamus, quod si ad unitatem ecclesiae redieritis, vestra recipere non intendimus, sed vobis potius dare nostra, et etiam si oportuerit nosmetipsos. — **Raynaldus** *Ann. Baron.* ad a. 1343.

666.

Idem PP. in epistola ad Patriarcham Armenorum nonnullas de Primatu quaestiones uberius evolvit, A. 1351.

MON. Super quibusdam capitulis pro pleniori eruditione tua et ecclesiae Armenorum in fide recta et vera sanctae Roma-

nae ac universalis Ecclesiae, quae favente Domino (qui eam fundavit, rexit, et regit, quique ut fides eius non deficeret, exoravit) per veritatis viam impolluto calle incessit et graditur, dudum per ven. fr. nostrum Ioannem AEppum Pisanum tunc electum Coronensem, et bonae memoriae Antonium Eppum Gaietanum — responsiones tuas et ecclesiae minoris Armeniae — recepimus, et super eis cum ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus et nonnullis patriarchis etc. aliisque — doctoribus habita deliberatione mutua, non potuimus nec possumus ex responsionibus huiusmodi quoad plura elicere, quid tu et eadem ecclesia sincere et pure credatis ac etiam teneatis. Et ideo quia confessio sanctae et catholicae fidei simplex esse debet et clara, sicut Salvator et Redemtor noster nos edocet: ‚qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo facta sunt; qui male agit, odit lucem etc.‘ nos de tua ceterorumque Armenorum, sicut aliorum quoque fidelium, quorum curam providentia nobis divina commisit, salute ex paternae caritatis affectu attente solliciti, ut nostrum hac in parte debitum impleamus, quibusdam ex tuis responsionibus, ex quarum aliquibus conditionata, ex quibusdam vero diminuta vel imperfecta, et ex nonnullis forsitan scriptoris vel interpretis vitio minus vera confessio manifeste colligitur, interrogationes providimus salubriter subnectendas, ut tu et Ecclesia Armeniae non in tenebris, sed in luce ad illas pure et simpliciter respondentes, effecti lucis filii, illius luminis veri de lumine, quod indeficiens perseverans omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, in aeternae beatitudinis patria felici visione perfrui valeatis.

In *primo* igitur *capitulo* responsionis tuae, in quo pro fundamento ipsius catholicae fidei praemittis, quod tu et ecclesia Armenorum, quae tibi obedit, creditis et tenetis, promittitis tenere et dicitis, quod eadem Ecclesia Romana, cuius Summus Pontifex est Papa Romanus, est sola catholica, et in ea sola est vera salus et una vera fides, et unum verum baptisma, et vera remissio peccatorum: *quaerimus* primo, si creditis, omnes illos, qui in baptismo eandem fidem catholicam receperunt, et postmodum a communione fidei eiusdem Romanae Ecclesiae, quae una sola catholica est, recesserunt, vel recedent in futurum, esse schismaticos et haereticos, si pertinaciter divisi a fide Romanae Ecclesiae perseverent? Secundo petimus: si creditis,

quod nullus homo viatorum extra fidem ecclesiae et obedientiam Pontificum Romanorum poterit finaliter salvus esse? In *secundo Capitulo* dicis te credere et tenere, quod solus Pontifex Romanus habet plenitudinem potestatis, quam beatus Petrus Apostolus habebat, et quod Pontifex Romanus solus est universalis Christi Vicarius; et quod tu, Catholicon Armenorum, es et esse debes obediens Pontifici Romano, propter hanc tamen obedientiam non vis te vel tuam ecclesiam in aliquo minorare vel perdere, nec diminuere gratias, libertates, curas, dioeceses, iura et potestatem iubendi omnibus Armenis, quae tui praedecessores et ecclesia Armenorum receperunt et tenuerunt ab ipsa Romana Ecclesia; imo deprecaris, quod tibi et ecclesiae tuae nos, qui sumus Romanus Pontifex, accrescere faciamus libertates et iura, quantum secundum Deum fieri potest, ad nostri memoriam sempiternam. Iterum dicis, te credere et tenere, quod Antistites de catholica et apostolica ecclesia debent esse obedientes Romano Pontifici, quia Christus plenitudinem potestatis dedit beato Petro pro se et pro locum tenentibus eius. Item dicis te credere, quod quilibet Pontifex Romanus, qui summus est, praeteritus, praesens et futurus, erat est et erit locumtenens beati Petri, quia fuit et est et erit immediate universalis Christi Vicarius. Item promittis, quod, quantum in te erit, facere curabis omnes subditos tuos ecclesiasticos et seculares praedicta omnia et singula firmiter credere et tenere. Super his ergo *quaerimus:* 1. Si credidisti, credis, vel credere es paratus cum ecclesia Armenorum, quod beatus Petrus plenissimam potestatem iurisdictionis acceperit super omnes fideles Christianos a Domino Iesu Christo; et quod omnis potestas iurisdictionis, quam in certis terris ac provinciis et diversis partibus orbis specialiter et particulariter habuerunt Iudas Thaddaeus et ceteri Apostoli, subiecta fuerit plenissime auctoritati et potestati, quam super quoscunque in Christum credentes in omnibus partibus orbis beatus Petrus ab ipso Domino Iesu Christo accepit, et quod nullus Apostolus vel quicunque alius super omnes Christianos, nisi solus Petrus plenissimam potestatem accepit? 2. Si credidisti, tenuisti, vel credere ac tenere paratus es cum Armenis tibi subiectis, quod omnes Romani Pontifices, qui beato Petro succedentes canonice intraverunt et canonice intrabunt, ipsi beato Petro Romano Pontifici successerint et succedent in eadem plenitudine, iurisdictione

potestatis, quam beatus Petrus accepit a Domino Iesu Christo super totum et universum corpus ecclesiae militantis? 3. Si credidistis et creditis, Romanos Pontifices, qui fuerunt, et nos, qui sumus Pontifex Romanus, ac illos, qui in posterum successive erunt, tamquam legitimos et potestate plenissimos Christi vicarios, omnem potestativam iurisdictionem, quam Christus ut caput conforme in humana vita habuit, immediate ab ipso Christo super totum ac universum corpus militantis ecclesiae accepisse? 4. Si credis, quod omnes Romani Pontifices ex plenitudine potestatis et auctoritatis potuerunt immediate de omnibus tamquam de iurisdictioni suae subditis iudicare, et ad iudicandum quoscunque voluerint ecclesiasticos iudices constituere et delegare? 5. Si credis, quod in tantum sit suprema et praeeminens auctoritas et iuridica potestas Romanorum Pontificum, ut a nemine iudicari possint, sed soli Deo indicandi serventur, et quod a sententiis et iudiciis eorum non possit ad aliquem iudicem alium appellari? 6. Si credis, plenitudinem potestatis Romani Pontificis se extendere in tantum, quod Patriarchas, Catholicon, AEppos, Eppos, Abbates, et quoscunque praelatos alios de dignitatibus, in quibus fuerint constituti, possit ad alias dignitates maioris vel minoris iurisdictionis transferre, vel exigentibus eorum criminibus ipsos degradare et deponere, excommunicare et satanae tradere? 7. Si credis, pontificalem auctoritatem non posse nec debere subiici cuicunque imperiali et regali aut alteri seculari potestati, quantum ad institutionem iudicialem, correctionem, vel destitutionem? 8. Si credis, Romanum Pontificem solum posse sacros generales canones condere, plenissimam indulgentiam dare visitantibus limina Apostolorum Petri et Pauli, vel ad terram sanctam accedentibus, aut quibuscunque fidelibus vere et plene poenitentibus et confessis? 9. Si credis, omnes, qui se contra fidem Romanae Ecclesiae erexerunt et in finali impoenitentia mortui fuerunt, damnatos fuisse, et ad perpetua infernorum supplicia descendisse? 10. Si credis, Romanum Pontificem circa administrationem sacramentorum ecclesiae, salvis semper illis, quae sunt de integritate et necessitate sacramentorum, posse diversos ritus ecclesiarum Christi tolerare, et etiam concedere, ut serventur? 11. Si credis, Armenos, qui Romano Pontifici in diversis partibus orbis obediunt, et formas et ritus Romanae Ecclesiae in administratione sacramentorum et in eccles.

officiis, ieiuniis et aliis ceremoniis studiose et cum devotione observant, bene agere, et illa agendo vitam aeternam mereri? 12. Si credis, neminem de dignitate eppali ad aeppalem, patriarchalem, vel catholicon posse transferri auctoritate propria, nec etiam auctoritate cuiuscunque Principis secularis, sive Rex fuerit, sive Imperator, vel quicunque alius fultus qualicunque potestate et dignitate terrena? 13. Si credis, solum Romanum Pontificem dubiis emergentibus circa fidem catholicam posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhaerendum, finem imponere, et esse verum et catholicum, quidquid ipse auctoritate clavium sibi traditarum a Christo determinat esse verum, et quod determinat esse falsum et haereticum, tale sit censendum? 14. Si credis, novum et vetus testamentum in omnibus libris, quos Romanae Ecclesiae nobis tradidit auctoritas, veritatem indubiam per omnia continere? — **Raynaldus** *Ann. Baron.* ad a. 1351.

667.

Gregorius XI PP. damnat, ‚Speculum Saxonum' seu leges et scripta iuribus Ecclesiae et Rom. Pontificis adversa, A. 1374.

MON. Salvator humani generis D. N. I. C. cuius licet indigni vices tenemus in terris, cernens ipsum genus, quod ad delicias paradisi creaverat, ex lapsu protoplasti diabolica fraude decepti per peccatum inobedientiae corruisse, et in perpetuae damnationis descendisse profundum, ac sine intermissione descendere, sua ipsi generi ineffabili pietate compatiens, et miseratione subveniens, ut illud pretiosissimo suo cruore redimeret, et secum in coelestibus collocaret, descendit in mundum misericorditer factus homo in eo, quod praesentia corporali consistens suam sacratissimam fidem et mandata salubria docuit discipulos, quos elegit, ut ea per illos in terram transfunderentur universam, et cuncta humana creatura praemisso iam redemta sangvine pretioso, fideque firmata et salubribus consiliis et mandatis instructa, per ipsam fidem et iustitiae opera ad perpetuae

salvationis gratiam perveniret. Iidemque discipuli plenitudine Spiritus S. recepta, mandata dominica promtis affectibus et effectibus exequentes huiusmodi doctrinam, continentem fidem, spem et caritatem, aliaque virtuosa opera, necnon consilia et mandata salubria, bonosque mores universi orbis populis praedicarunt, documentisque sanctissimis, per quae credentium et fatentium ea certa et aeterna salvatio provenit, universam Ecclesiam instruxerunt. Et quia futurorum praescius Deus praevidebat inter satum purissimum triticum hostem mundum seminaturum zizania, ac inter sancta profana, inter sincera fermentum, et inter recta inique, machinatione hostica callidisque suis astutiis positurum: cultores agri sui, videlicet beati Petri apostolorum principis, cui et suis successoribus per eundem tradidit plenissimam potestatem, aliorumque apostolorum et discipulorum successores, scilicet Ecclesiarum praesules, qui supernatum evellerent lolium, ne inficeret semen bonum, agrumque praefatum purgarent assidue, ut in eo fructus uber et svavis excresceret in suum horreum inferendus, ineffabili providentia substituendos esse providit, ut proprii sanctis patribus filii nascerentur, futuri spirituales principes per climata orbis terrae. Ideoque ad nostrum principaliter aliorumque praelatorum Ecclesiae sanctae Dei spectat officium, ut animarum saluti solerti sollicitudine intendentes, et agrum huiusmodi, cum expedit, saepius expurgantes, ea, quae noverimus dictae saluti contraria, studio pastoralis sollicitudinis evellamus.

Sane fidedigna et admodum molesta pluriesque inculcata relatio plurimorum ad nostrum perduxit auditum, quod in Saxonia et nonnullis aliis partibus quaedam detestabilia scripta, leges, seu ‚Speculum Saxonum' vulgariter appellata et inferius annotata, apud nonnullos tam nobiles quam plebeos reperiuntur, quae iudices et incolae partium earumdem omissis canonibus, aliisque Scripturis S. contemtisque naturae ac civilibus legibus, et bonis moribus procul pulsis, a longis citra temporibus observant, et servant etiam de praesenti, ex quorumque observantia Deus offenditur, proximus gravatur, vera iustitia et aequitas rumpitur, canones et leges contemnuntur enormiter, rectum iudicium subvertitur, veritas impugnatur, contra bonos mores et legem naturae agitur, dehonestatur honestas, libertas ecclesiastica calcatur, et, quod est deterius, apostolica denegatur potestas, et

veritati catholicae fidei derogatur. Nos igitur de iis tanto dolentes amarius, quanto exinde illa servantium animae longioribus temporibus et strictioribus laqueis alligatae fuerunt, et propterea paternis desiderantes affectibus tot et tantis malis et periculis obviare, ne nobis praedicta dissimulantibus sangvis per ipsa peccantium de nostris manibus a Domino requiratur, ipsa scripta, seu leges, quae nos mature vidimus, et per nonnullos ex fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus et alios etiam in sacra pagina magistros ac utriusque iuris doctores diligenter examinari fecimus, habita super eis deliberatione matura, tamquam falsa, temeraria, iniqua, iniusta, et in quibusdam eorum haeretica et schismatica et contra bonos mores existentia, periculosaque nimium animabus, de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica tenore praesentium reprobamus, damnamus, ac decernimus irrita et inania ac carere omni robore firmitatis. —

Tenor autem dictorum scriptorum seu legum, sive effectus eorum talis est: Primus articulus continet, quod quidquid homo fecerit extra iudicium, quantumlibet hoc sit notorium, se liberare poterit per suum iuramentum, nec contra tale valet aliquod testimonium. Secundus est, quod Papa non potest nec aliquis alius Imperatorem excommunicare, postquam consecratus vel alias inunctus est, nisi solum in tribus casibus, si dubius sit in fide, repudiet uxorem legitimam, vel destruat ecclesias. Tertius, quod excommunicatio neminem debilitat in iure terrae vel feudi, nisi sequatur regalis proscriptio. Quartus, quod Papa non potest aliquod ius concedere vel statuere, per quod valeat ius, hoc est, statum terrae vel feudi Saxonum deteriorare. — Datum Avenione, sexto idus Aprilis A. 1374. — **Bullarium** *edit. Taurin.* IV. 574.

668—670.

Gregorius XI PP. ad AEppum Cantuariensem et Eppum Londinensem, item ad Universitatem Oxoniensem de erroribus **Wiccleffi**, Primatui adversis. A. 1377.

668. MON. Regnum Angliae, gloriosum nempe potentia et abundantia facultatum, sed gloriosius pietate fidei, et sacrae paginae claritate coruscum, consvevit viros producere divinarum scripturarum recta scientia praeditos, maturitate graves, devotione praeclaros, et pugiles fidei orthodoxae, qui non solum proprios sed alienos populos documentis instruebant verissimis, et in mandatorum Domini semitam dirigebant. Et sicut ex effectu contingentium temporis antiqui colligitur, dicti regni praesules in specula sollicitudinis positi, proprias excubias exercentes sollicite, non permittebant aliquid oriri erroneum, quod posset inficere oves suas, sed si oriretur zizania ex inimici hominis sparsione, illam protinus evellebant, crescebatque assidue purum triticum in horreum Dominicum inferendum. Sed proh dolor, nunc apparet, quod in ipso regno officio vigiles negligentia vero desides non circumeunt civitatem, dum hostes ingrediuntur in eam, animarum thesaurum pretiosissimum praedaturi, quorum latentes ingressus et patentes aggressus prius sentiuntur in Roma, intercapedine longa remota, quam eis in Anglia resistatur. Sane plurium fidedignorum significatione admodum dolenter audivimus, quod Ioannes Wiccleff, rector ecclesiae de Luttlerworth, Lincolniensis dioecesis, sacrae paginae professor, utinam non magister errorum, in illam detestabilem vesaniam dicitur temere prorupisse, quod nonnullas propositiones et conclusiones erroneas et falsas, in fide male sonantes, quae statum totius ecclesiae subvertere et enervare conantur, quarumque aliquae licet aliquibus mutatis terminis sentire videntur perversas opiniones et doctrinam indoctam damnatae memoriae Marsilii de Padua et Ioannis de Ganduno, — non veretur in praefato regno asserere, dogmatisare, et publice praedicare,

nonnullos Christi fideles maligne inficiens, ac a fide catholica, sine qua non est salus, faciens deviare. De quibus sic subortis et non exstirpatis, seu saltem eis nulla facta resistentia, quam sciamus, sed transactis seu toleratis conniventibus oculis, vos et aliqui quoque praesules Angliae, cum debeatis esse columnae Ecclesiae dictaeque fidei defensores attenti, scilicet quadam conniventia tam negligenter transeundo, non immerito debetis rubore perfundi, verecundari, et in propriis conscientiis remorderi. Quare cum tam perniciosum malum, quod non praecisum seu radicitus exstirpatum serpere posset in plurimos in animabus eorum, quod absit, lethali contagione necandos, nolumus sicut nec debemus sub dissimulatione transire : fraternitati vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus receptis praesentibus vos de dictarum propositionum et conclusionum assertione — vos secrete informantes, si inveneritis ita esse, praefatum Ioannem faciatis auctoritate nostra capi, et carceribus mancipari, eiusque confessionem — recipere studeatis, ac ipsam et quaecunque dictus Ioannes dixerit seu scripserit — et quidquid feceritis in praemissis, — nobis per fidelem nuncium transmissuri, eundem Ioannem sub fida custodia teneatis in vinculis, donec a nobis super hoc aliud receperitis in mandatis, contradictores per censuram eccles. appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. —

669. *Ad Studium Oxoniense.* Mirari cogimur et dolere, quod vos propter gratias et privilegia vestra, Studio Oxoniensi ab Apost. Sede concessa, et propter scientiam Scripturarum, in quarum pelago felici remigio dante Domino navigatis, tamquam pugiles et propugnatores orthodoxae fidei (sine qua salus animarum non provenit) esse deberetis, lolium inter purum triticum campi gloriosi Studii vestri praedicti, per quamdam desidiam et ignaviam permittitis pullulare, et, quod est perniciosius, etiam adolere, nec circa exstirpationem huius lolii, sicut nuper apud nos insonuit, curam aliquam adhibetis, non sine clari nominis obfuscatione, et animarum vestrarum periculo, et contemtu Ecclesiae Romanae, et memoratae fidei detrimento. Et quod nos torquet acerbius, prius de incremento lolii praedicti sentitur in Roma, quam in Anglia, ubi tamen exstirpationis remedium apponeretur. Multorum siquidem fidedignorum insinua-

tione, admodum dolentium, nostris est auribus intimatum, Ioannem Wiccleff, rectorem Ecclesiae de Luttleworth Lincolniensis dioecesis, sacrae paginae professorem, utinam non magistrum errorum, in illam detestabilem erupisse vecordiam, ut nonnullas propositiones et conclusiones erroneas et falsas ac pravitatem haereseos sapientes, quae statum totius Ecclesiae et etiam secularem politiam subvertere et enervare nituntur, quarumque aliquae licet quibusdam mutatis terminis sentire videntur opiniones et doctrinam indoctam damnatae memoriae Marsilii de Padua et Ioannis de Ganduno, — in regno Angliae nempe glorioso potentia et copia facultatum, sed gloriosiore pietate fidei rutilante, sacrae paginae claritate consveto viros producere divinarum scripturarum recta scientia illustratos, morum gravitate maturos, devotione conspicuos, et catholicae fidei defensores, — dogmatisare et publice praedicare, seu potius de virulento claustri sui pectore evomere non vereatur, nonnullos Christi fideles earum respersione commaculans, et a fidei praefatae recta semita in praecipitium perditionis abducens. — Universitati vestrae per apost. scripta in virtute s. obedientiae, et sub poena privationis omnium gratiarum, indulgentiarum, et privilegiorum vobis ac Studio vestro a dicta Sede concessorum districte praecipiendo mandamus, quatenus conclusiones et propositiones in bonis operibus et fide male sentientes, licet eas proponentes sub quadam verborum sive terminorum curiosa implicatione nitantur defendere, de cetero non permittatis asseri vel proponi; dictumque Ioannem auctoritate nostra capiatis seu capi faciatis, et ipsum ven. fr. nostris AEppo Cantuariensi et Eppo Londoniensi, aut eorum alteri sub fida custodia transmittatis. —

670. *Propositiones sive conclusiones Wiccleffi, quatenus contra Primatum diriguntur.* 1. Totum genus humanum citra Christum non habet potestatem simpliciter ordinandi, ut Petrus et omne genus suum dominetur politice in perpetuum super mundum. 2. Deus non potest dare homini pro se et haeredibus suis in perpetuum civile dominium. 3. Chartae humanitus adinventae de haereditate perpetua sunt impossibiles. 4. Quilibet existens in gratia gratum faciente finaliter, nedum habet ius ad rem, sed pro suo tempore ius in re, super omnia bona Dei. 5. Homo potest solum ministratorie dare tam naturali filio quam filio imitationis temporale dominium et aeternum implicitum. 6. Si

Deus est, domini temporales possunt legitime ac meritorie auferre bona fortunae ab Ecclesia delinquente. 7. Numquid Ecclesia est in tali statu vel non, non est meum discutere, sed dominorum temporalium examinare, et posito casu confidenter agere, et sub poena damnationis aeternae eius temporalia auferre. 8. Scimus, quod non est possibile, ut Vicarius Christi pure ex bullis suis, vel ex illis cum voluntate et consensu suo aut sui collegii quemquam habilitet vel inhabilitet. 9. Non est possibile hominem excommunicari ad sui damnum, nisi prius et principaliter excommunicetur a se ipso. 10. Nemo ad sui deteriorationem excommunicatur, suspenditur, vel aliis censuris cruciatur, nisi in causa Dei. 11. Maledictio vel excommunicatio non ligat simpliciter, nisi quantum fertur in adversarium legis Christi. 12. Non est exemplificata potestas a Christo vel suis discipulis excommunicandi subditos, praecipue propter negationem temporalium, sed e contra. 13. Discipuli Christi non habent potestatem coacte exigere temporalia per censuras. 14. Non est possibile de potentia Dei absoluta, quod si Papa vel alius christianus praetendat se quovis modo solvere vel ligare, eo ipso solvit vel ligat. 15. Credere debemus, quod solum tunc solvit vel ligat simpliciter Christi Vicarius, quando se conformat legi Christi. 16. Hoc debet credi catholice, quod quilibet sacerdos rite ordinatus secundum legem gratiae habet potestatem, secundum quam potest sacramenta ministrare, et per consequens sibi confessum de quocunque peccato contritum absolvere. 17. Licet Regibus in casibus limitatis a iure auferre temporalia a viris ecclesiasticis, ipsis abutentibus habitualiter. 18. Sive domini temporales, sive sancti Papae, sive Petrus, sive Caput Ecclesiae, qui est Christus, dotaverint Ecclesiam bonis fortunae vel gratiae, et excommunicaverint eius temporalia auferentes, licet tamen propter conditionem implicitam delicto proportionabili eam temporalibus spoliare. 19. Ecclesiasticus imo et Romanus Pontifex potest legitime a subditis et laicis corripi et etiam accusari. — **Harduini** *Concil.* VII. 1867. et: **Ruever Groneman** *diatribe in I. Wiccleffi reformationis prodromi vitam, ingenium, scripta.* Trajecti. 1837. p. 125.

671.

Urbanus VI PP. de professione fidei, signanter quoad Primatum Romani Pontificis, ab iis elicienda, qui ad Ecclesiae unitatem redeunt, A. 1385.

MON. Ad propagationem catholicae fidei, super cuius custodia sumus licet insufficientibus meritis a Domino deputati, et quorumlibet gloriantium nomine christiano sed *deviantium a gremio ss. Romanae ac catholicae et apostolicae Ecclesiae, matris et magistrae cunctorum christianorum fidelium,* cui auctore ipso Domino praesidemus, reductionem ad obedientiam et reverentiam ipsius Ecclesiae pastorali sollicitudine intendentes, viam et formam omnibus huiusmodi deviis tenemur ostendere, per quas salubriter ad dictum gremium possint accedere, in eoque perpetuo commorari. Sane cum, sicut laetanter audivimus, nonnulli reges, principes, et alii christiani tam clerici et ecclesiasticae personae, — quam laici, qui extra obedientiam dictae ecclesiae, extra quam non est salus, damnabiliter permanserunt hactenus et permanere noscuntur, ad dictae Ecclesiae redire seu venire desiderant unitatem ac obedientiam et reverentiam debitam et devotam: nos volentes eos dictae fidei professionem, quam debent facere, salutari edocere doctrina, infrascriptam formam, quam in talibus servare consvevit dicta Ecclesia, praesentibus fecimus annotari, volentes ac mandantes, quod quilibet, qui fuit seu est schismaticus et praecisus a praefatae Ecclesiae unitate, et ad eam redire voluerit, dictam professionem in manibus alicuius praelati vel clerici aut religiosi catholici et praefatae ecclesiae communionem habentis faciant in ipsa forma, quae talis est: „Ego — profiteor etc. — *Ipsa quoque ss. Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam Cath. obtinet, quae se ab ipso Domino in beato Petro apost. principe seu vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum plena potestate recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae ceteris tenetur*

fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio diffiniri; ad quam potest gravatus quilibet in negotiis ad forum eccles. pertinentibus appellare, et in omnibus causis ad examen eccles. spectantibus ad ipsius recurri potest iudicium, et eidem omnes Ecclesiae sunt subiectae. Ipsarum Eppi obedientiam et reverentiam sibi debent; apud quam sic plenitudo potestatis consistit, quod Ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit; quarum multas, patriarchales praecipue, diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen praecellenti dignitate et superioritate tam in generalibus conciliis, quam in quibuscunque aliis semper salva. Unde suprascriptam fidei veritatem, prout plene scripta et lecta est et fideliter exposita, veram, sanctam, et orthodoxam fidem esse recognosco etc. — *Primatum quoque ipsius ss. Romanae Ecclesiae, prout in praemissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiae obedientiam spontaneus veniens fateor et recognosco, accepto et sponte suscipio,* et me omnia praemissa tam circa fidei veritatem quam circa eiusdem Ecclesiae Romanae primatum et ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observantiam et perseverantiam servaturum praestito corporaliter iuramento promitto et confirmo. — Datum apud montem Flasconem Calendis Augusti 1385. — **Bullarium** *edit. Taurin.* IV. 594.

---

672. 673.

Facultas Theologica Parisiensis de suprema Romani Pontificis potestate in rebus fidei, A. 1387. et 1396.

672. MON. A. 1387. — Pro vestris humilibus filiis (Clementem VII Papam per legatos alloquitur Facultas) Universitatis praedictae, et pro nobis eorum nuntiis, qui suis hac in parte obsequimur mandatis, et documentis innitimur, corde et ore unanimiter protestamur, quod quidquid hactenus in hac causa per eos (Doctores Parisienses) peractum est, et quidquid in ea nunc vel alias pro eis acturi aut dicturi sumus, totum correctioni et iudicio Sedis Apostolicae, et sedentis in ea Summi Pontificis hu-

militer submittimus, dicentes cum beato Hieronymo: haec est fides, quam in Ecclesia Catholica didicimus; in qua si minus perite aut parum caute forte aliquid positum est, emendari petimus a te, qui Petri fidem et sedem tenes. *Non ignoramus* enim, *sed firmissime tenemus, et nullatenus dubitamus, quod S. Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, super quam,* eodem Hieronymo teste, *fundata est Ecclesia.* Et sicut dicit Cyprianus, de qua Sede in persona Petri Apostoli in ea sedentis dictum est: Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Haec est igitur, ad quam determinatio fidei, et approbatio veritatis catholicae, ac haereticae impietatis detestatio maxime pertinet. —

673. A. 1396. — Demum Petro tamquam unico Vicario et singulari successori tradidit (Christus Dominus) gubernandam (Ecclesiam), nec non claves Ecclesiae, ut ligandi et solvendi potestatem haberet. Et quamquam commiserit Petro, ipsam non deseruit, nec deseret in secula seculorum, ipso dicente: Petre rogo pro te, ut non deficiat fides tua; regimine non fundatione, quia ipse fundavit eam Altissimus. — *Una unius Capitis, unius Vicarii, unius Eppatus S. Romanae Ecclesiae, una Petri navicula, quae non turbatur, non mergitur, non vacillat,* quamvis naves ceterorum vacillarint. — Certum est, Sedem Romanam et Eppum eius Apostolorum Petri et Pauli meritis primatiam Patriarchalium Sedium, ac Vicariatum Iesu Christi in terris obtinuisse, ceterasque sedes ipsarumque Eppos eidem Sedi humiliter obedivisse tamquam primae Sedi et eius Eppo, Iesu Christi Vicario Generali. *Certum est, Eppum Romanum tamquam Vicarium Christi non habere superiorem, cum Christus non habuerit, et Ecclesiam Catholicam a se et per se fundatam Petro tamquam Capiti tradiderit gubernandam.* — **Bulaei** *hist. Univ. Paris. ad a. 1387. 1396.* et: **Cartier** *auctoritas et infallibilitas Summ. Pontificum.* Aug. Vind. 1738. p. 257. 261.

SECULUM DECIMUMQUINTUM.

INTR. Cum Seculo XV tum in Conciliis, tum in eruditis lucubrationibus principia proponerentur supremae Romani Pontificis auctoritati haud faventia: opportunum censemus, tam ex ipsis Conciliis quam aliunde praecipua deligere testimonia pro eo, quod suprema Pontificia auctoritas etiam in medio ferventium disputationum mascule propugnata extiterit.

674.

Sententia **Universitatis Tolosanae** in Gallia de suprema R. Pont. auctoritate, initio Sec. XV. paulo ante C. Pisanum depromta, in epistola ad Regem Galliae.

MON. — Quis sanae mentis pertinaciter affirmabit, quemquam sine auctoritate Sedis Apostolicae, cui in solidum praeest Papa, ad examinandam potissime causam criminalem ipsius Romani Praesulis posse generalem aut particularem Synodum congregare? Nec legitur praeter Apostolici Apicis sanctionem aliquid fuisse constitutum super causis maioribus, sed tantum praefatae Sedis arbitrio terminatum. Acephalum enim liquet esse Concilium, ubi de tanta persona agitur, et minorum sententia expectatur. Huius causas isthic arguere praesumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus, a nemine iudicandus est, nisi deviaret a fide. Qua conscientia subtraheretur Papae, qui est Christi Vicarius, et qui praeest in spiritualibus universo? aliorum quidem status, cum firmus non sit, deficere potest; huius tamen fundamentum nec ferrum conterens, nec delens aqua, nec terra vorans, nec labens tempus, nec ignis rei productae consumtor a Petrae stabilitate deiicient, quia nec deficiet in aeternum: hunc enim in consortium individuae unitatis assumtum id,

quod ipse Dominus erat, voluit nominari, dicens: ‚Tu es Petrus dictus a petra Christo, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; ubi videlicet aeterni templi aedificatio mirabili Dei munere in Petri et successorum suorum stabilitate consistat, hanc Ecclesiam sua firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec contra illam portae inferi praevalerent. Maneamus igitur iuxta S. Cyrillum Patriarcham Alexandrinum ut membra in Capite nostro throno Apostolico Pontificum Romanorum, a quo nostrum est quaerere, quid credere et quid tenere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes pro omnibus, quoniam ipsius solius est reprehendere, corrigere, statuere, disponere, solvere, et ligare loco illius, qui ipsum aedificavit, et nulli alii dedit, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit, cui omnes iure divino caput inclinant, et primates mundi obediunt tamquam Iesu Christo. — **Cartier** *auctoritas et infallib. Summ. Pontif.* 1738. p. 307.

675.

Sententia Doctorum **Univ. Pragensis** de Rom. Pont. 1408.

MON. — Pragensis Studii doctores confitentur, quod *in omni materia catholica et ecclesiastica standum est fidei, sententiae et determinationi Sedis Apost. et Romanae Ecclesiae.* — Pragenses Doctores pro certo sumebant, Romanum Pontificem seorsim consideratum ut hominem errare posse, sive cum privatim docet vel agit sine consilio fratrum. Sed *solemnibus iudiciis Ap. Sedis, quae communem sententiam Romanae Ecclesiae declarant et repraesentant, summam auctoritatem ab omni errore immunem attribuunt, quia scilicet Romana Ecclesia, in qua legitimus Principatus beati Petri adhuc viget, a vero aberrare non potest super rebus a Deo revelatis,* quas una cum suburbicariis Ecclesiis Occidentis sibi praecipue subditis concordissime tenet tamquam ab Apostolis traditas. — Itaque ipsum iudicium Ap. Sedis illud esse censebant, quod iudiciali more et apostolica auctoritate Romanus Pontifex pronunciabat ex sententia fratrum

Epporum, vel in generali Concilio, vel ex consensu Epporum Romanae Ecclesiae, vel certe secundum sententiam S. Collegii Cardinalium, ad quam suburbicariorum Epporum Occidentis consensus accedat. — Sed cum Romanus Pontifex ex consilio fratrum sententiam profert, quae Romanae Ecclesiae constantem fidem declarat, hoc est Apost. Sedis verissimum iudicium. Quale fuit decretum Ioannis PP. XXIII. in Romano Concilio a. 1414. adversus impia scripta et dicta Wiccleffi, quibus Ioannes Huss adhaerebat. Nihil aliud Pragenses Doctores volebant, quoniam testantur hanc sententiam communem esse omnium fidelium in Ecclesia Catholica, nec Apost. Sedis sententiam super dogmatis fidei a communi doctrina Romanae Ecclesiae separant. — **D' Argentré** *Coll. Iudicior.* I. 2. p. 174.

676.

Conc. Oxoniense A. 1408. pro suprema R. Pont. auctoritate.

MON. *Praefat.* Reverendissimae Synodo iniuriam fecisse dignoscitur, qui semel ibidem discussa atque diffinita revolvit; et cum quis de principali terreno iudicio disputare praesumens sacrilegii poenae subiicitur, prout civilis sapientiae et legis humanae manifeste tradit auctoritas: multo magis qui praecepta legum et canonum *ab aeternae vitae et mortis Clavigero, vicem non puri hominis, sed veri Dei gerente in terris, et cui ipse Deus coelestis imperii iura commisit,* rite edita, canonice promulgata, ac etiam a S. Patribus praedecessoribus nostris usque ad gloriosam sangvinis effusionem, et cerebri voluntariam sparsionem firmiter observata, suae innitentes prudentiae temere violare praesumunt, ac eisdem doctrinis variis contraveniunt, ipsaque verbis et factis contemnunt, sunt poena graviori plectendi, et tamquam membra putrida a corpore militantis Ecclesiae celeriter abscindendi. Considerare enim deberent, quod in antiquo traditur Testamento: ‚Moyses et Aaron in sacerdotibus eius', id est, primi inter eos fuerunt; ac in Novo inter Apostolos discretio quaedam fuit: et licet omnes essent Apostoli, Petro ta-

men a Domino concessum est, et ipsi Apostoli inter se voluerunt id ipsum, ut reliquis omnibus praecesset Apostolis, et dictus Cephas, id est, Caput, principatum Apostolorum teneret, cui dictum est: Tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Quasi diceret: si dubium inter eos emerserit, ipsorumve aliquis in via fidei, iustitiae, morum aut rectae conversationis erraverit, tu ipsum confirmes in bono. Quod profecto non dixisset Dominus, si alios sibi minime decrevisset obedire. — **Nat. Alexander** *Hist. Eccl. Sec. XV et XVI. Cap. 6.*

677.

Sententia **Conc. Constantiensis** A. 1414. ss. de auctoritate Summi Pontificis in rebus fidei.

MON. — *Censura propositionum Wiccleffi.* 1. 2. 3. — Exclusa omni differentia et dubietate, securi et certi sint, quidquid Sedes Apostolica et Ecclesia Romana tenuerit et determinaverit pro fide catholica, quod hoc sit fides recta et quemcunque articulum determinaverit esse haereticum vel erroneum, quod sit talis. *Impossibile est enim, quod Sedes Apostolica et Romana Ecclesia, in qua Papa vice Christi et Successor Petri ut Caput residens*, et collegium Cardinalium ut corpus, succedens aliis similiter Apostolis, in officio definiendi et determinandi circa universam materiam catholicam et ecclesiasticam, et errores contrarios exterminandi, impossibile, inquam, est, quod talis Sedes et talis Romana Ecclesia *aliquid determinet, et teneat pro fide catholica, et recta, quod non esset fides recta.* Alias in tali casu Sedes illa Apostolica et Romana Ecclesia esset haeretica et erronea, tenens tenaciter non fidem pro fide, aut fidem pro non fide. Quomodo ergo ipsa esset mater et caput omnium Ecclesiarum, in omnibus tamquam magistra sequenda, ad quam in dubiis et arduis est recurrendum, quando circa fidem in aliquo dubitatur? quomodo ipsa non habebit maculam neque rugam? quomodo eius auctoritati maximae debet cedere usus seu consvetudo? quomodo ei post Deum maxime erit obediendum, ideo, quia ipsa est mater et caput omnium ecclesiarum, contra quam si quis derogando loqui-

tur, haereticus reputatur? quomodo ipsa valebit omnes iudicare, de ea autem nullus iudicare permittitur? quomodo christianus, qui ei obedire contemnit, peccatum infidelitatis incurret? Et ita de quamplurimis laudabilibus in corpore canonum de ea digestis, si ea appareret erronea et haeretica? quomodo ipsa esset securum et certum refugium omnium ecclesiarum et universitatis christianorum visibile in humanis, ad quod secure haberent confugere in omni materia catholica, et ecclesiastica? quale refugium requirunt et necessario exposcunt omnes Ecclesiae et christianorum communitas, cum Christus sponsus totius suae Ecclesiae tale infinite sciat, et immense faciliter potuit illi sponsae ordinasse, ipsa tali refugio valde indigente. — 9. Oportet secundum Scripturas sapienter simul comportatas et secundum rationem esse unum certum et securum refugium visibile in humanis, ad quod universitas populi christiani de universis mundi partibus habet recurrere secure et respicere in difficilibus et ambiguis, in fundamento fidei, et in universa tota materia catholica et ecclesiastica. Et quid potius erat tale, quam Sedes Apostolica et Romana Ecclesia, ubi Papa et Collegium Cardinalium Cathedram Petri et aliorum tenent Apostolorum? — 36. Ecclesia Romana est anima Ecclesiae Catholicae, et in illa easdem functiones exercet, quas anima in corpore humano; — principalis ac praecipua auctoritas in hac Ecclesia sita est, atque ab ea fidei Ecclesiae certitudinem omnes accipiunt. Quomodo quis certus esset, nisi credulitate explicita vel implicita securitatem haberet, quod in tota illa Ecclesia per orbem terrarum diffusa est quaedam summa capitalis compendiosa Ecclesia, in qua est summus principatus, summa plenaque auctoritas, et potestas visibiliter in humanis cognoscendi et definiendi, approbandi, docendi, assecurandi universaliter, quid credendum, quidve discredendum. Et quod talis Capitalis Ecclesia per se vel etiam cum aliis in partem sollicitudinis vocatis assecuravit, id assecurat tota Scriptura S. et habet securare de tota materia credendi; — ipse beatus Petrus fuit immediatus et proximus Christi Vicarius in suprema et altissima auctoritate et potestate ecclesiastica. — In hoc certe summo principatu et summa auctoritate, potestate et dignitate sic legitime canonice principandi fuit S. Petrus immediatus et proximus Vicarius Summi Principis Christi: cum sibi et non S. Mariae fuit dictum: Tibi dabo claves regni coelorum etc. Et

item fuit sibi non partialiter et particulariter, sed indefinite et indifferenter dictum: Pasce oves meas, non particulariter istas vel illas, sed generaliter has, istas, et illas. Omnes totius orbis Ecclesiae, universus clerus, cunctique doctores agnoscunt hanc potestatem S. Petro traditam ad successores ipsius Romanos Pontifices transmissam fuisse. — — 38. Quia Sedes Apostolica et Romana Ecclesia habent eandem auctoritatem et easdem claves regni coelorum in universa materia catholica et ecclesiastica cognoscendi et definiendi quae vera et catholica sint, quae falsa et erronea, quae bona et eligenda — quas habuerunt Apostoli, presbyteri et seniores tunc in Ierusalem: igitur sicut illi auctoritate et clavibus illis habuerunt ius cognoscere et definire, et per decretales epistolas cognita definita et decreta mittere: sic Sedes Ap. et Romana Ecclesia. — 41. — *Quia necesse est permanente universitate Christianorum in terris remanere Ecclesiam supremam in officio et auctoritate docendi et praecipiendi, ad quam populum christianum oportet in arduis et difficilibus recurrere et ei obedire, et talis — vocatur et est Romana Ecclesia, ubi Papa Caput est, et collegium Cardinalium corpus; igitur de necessitate salutis est credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter omnes Ecclesias.* — **Van der Hardt,** *Acta C. Constant.* t. 3. p. 218. et **Cartier** *cit. op.* p. 135.

678.

Constitutio **Martini V. Papae** de 30. April. 1418. usum Placeti, durante Magno Schismate Episcopis concessi, revocans.

MON. Quod antidota morbis, hoc praestare solent statuta negotiis: sed plerumque contingit, ut quod profuturum putabatur iudicio, noxium inveniatur experimento. Sane cum dudum in exordiis pestiferi et antiquati schismatis iam per Dei gratiam exstincti, ad tollendum scandala, quae propter executionem diversarum literarum, quae ab iis, qui pro Romanis Pontificibus in diversis Obedientiis se gerebant, in nonnullis partibus oriebantur, Urbanus VI. in sua Obedientia nuncupatus concesserit quibusdam Praelatis, quod in eorum Civitatibus et Dioecesibus

non posset fieri executio aliquarum literarum apostolicarum, nisi huiusmodi literae Praelatis ipsis vel eorum Officialibus ad hoc deputatis exhiberentur, et per ipsos approbatae forent; verum quia etiam deinde ipsi Praelati seu Officiales in consuetudinem traxerunt, et aliqui praetextu statutorum Provincialium seu Synodalium similiter servant, et servari faciunt, quod Literas Apostolicas nullus exequi audeat, nisi postquam Praelati seu Officiales ipsi per suas literas, quas „Vidimus," seu „Placet" nuncupant, mandant et concedunt, quod possint exequi per iudices in eis deputatos, propter quod executio Literarum Apostolicarum plus debito plerumque retardata fuit, et saepe ipsae Literae Apostolicae executione caruerunt totaliter in gravem iniuriam Sedis Apostolicae, et enorme impetrantium praeiudicium et gravamen: Nos igitur censentes rationi consonum, ut quod huiusmodi schismatis calamitas introduxit, pacis tempore auferatur, concessionem praedictam et quaecunque statuta circa praemissa quomodolibet facta auctoritate Apostolica tenore praesentium hoc sacro Constantiensi approbante Concilio revocamus, cassamus, et etiam annullamus. Ac volumus et decernimus, quod iudices et executores quibuscunque in literis apostolicis deputati et deputandi et alii quicunque, ad quos spectabit, nec non notarii et tabelliones super iis requisiti vel requirendi, absque huiusmodi litera „Vidimus" seu „Placet" nuncupata, ac etiam licentia vel assensu quorumcunque Praelatorum, Patriarchali, aut alia quavis dignitate insignitorum et locorum Ordinariorum aut officialium eorumdem libere huiusmodi Literas Apostolicas exequi debeant atque possint. Nos enim eadem auctoritate decernimus, omnes et singulas sententias, quas praedicti Praelati et scriptores aut eorum Officiales contra huiusmodi iudices vel executores, seu impetrantes propter excommunicationes huiusmodi per eos faciendas forsan inflixerint, et promulgaverint, irritas, et inanes, ac nullius existere roboris vel momenti. Nec non quemcunque, qui contra praemissa aliquid attentare praesumserit, ab exercitio iurisdictionis ecclesiasticae per tres menses ipso facto suspensum. — Datum Constantiae secundo Kal. Maii, a. 1418. Pontificatus nostri anno primo. — **Van der Hardt** op. cit.

679.

Eiusdem Martini PP. constitutio de non appellando a Romano Pontifice, A. 1418. Sessioni 45-ae Concilii Const. nemine reclamante inserta ac promulgata.

— Nulli fas est, a Supremo Iudice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice Iesu Christi Vicario in terris appellare, aut illius iudicium in causis fidei, quae tamquam maiores ad Ipsum et Sedem Apostolicam deferendae sunt, declinare. — **Sfondrati** *Gallia vindicata.* 1702. p. 777.

680.

Gregorius Metropolita Kioviensis, A. 1423. pro Primatu.

MON. *In Concione publica 29. Iunii:* Mirandum! Petrus Moyse praestantior, omnibus excellentior! enimvero Moyses uni populo Hebraeorum praelatus fuit: Petrus universo orbi. Herodes apposuit comprehendere Petrum: Petrum designatione divina delecti exercitus ducem ac principem supremum, ipsum caput Apostolorum. Quid agis Herodes? Petrum vis ab apostolis separare? Ecclesiae fundamentum Petrum concludere in carcere? coelorum clavigerum? Frustra niteris! gladius Petrum nihil offendet, nam fortior ipse adamante. Quid dico? gladius! Portae inferi non praevalebunt adversus eum. — **Rothensee** *der Primat des Papstes. III.* 46.

681—683.

Conc. Basileense, A. 1431. ss. et **Florentinum,** A. 1437. ss. multiplicia suppeditant argumenta exercitae et agnitae supremae potestatis Rom. Pontificis, per schismatica attentata ac molimina neutiquam eversae.

681. MON. **Martinus V PP.** *deputat Legatos ad Concilium Generale, primo* **Papiam** *indictum, A. 1431.* Nuper siquidem cupientes generale Concilium iuxta deliberationem et ordinationem sanctae Synodi Constantiensis ad deputationem loci olim eadem approbante synodo per nos factam, in civitate Papiensi auctore Domino celebrari, ut illa in eo statuerentur et ficrent, quae cederent ad laudem Dei et bonum publicum ecclesiae suae sanctae: vos — Petrum AEppum Cretensem, et Iacobum Eppum Spoletanum, ac dil. filios Petrum abbatem de Rosatio S. Petri Aquileiensis dioecesis, nec non Leonardum de Florentia Ord. Praedic. — ad civitatem praedictam pro futuro ibidem tenendo et celebrando concilio generali nostros et Ap. Sedis nuntios de fratrum nostrorum consilio providimus destinandos: vobis inter cetera nomine et auctoritate nostris ipsi Concilio praesidendi, et inibi pro vestra sapientia illa providendi, deliberandi, statuendi, decernendi et concludendi, quae ad conservationem et augmentum religionis et fidei Christianae, et reformationem Cleri et status ecclesiastici pertinent, potestatem plenariam concedentes. — Datum Romae octavo Kal. Martii pontif. nostri anno sexto.

682. *Idem Martinus ad Conc.* **Basileam** *translatum deputat legatum Iulianum Cardinalem, a. 1431.* Dum onus universalis gregis Dominici superna dispositione nobis iniunctum diligenter attendimus, et quod singulis christianae reipublicae occurrentibus per nos ipsos debitum apostolicae servitutis exequi non possumus, animo nostro revolvimus: nonnumquam viros fide ferventes, dignitate ac scientia praeditos, et rerum agendarum ex-

perientia conspicuos in partem nostrorum et Ecclesiae Romanae negotiorum assumimus, ut, dum tempus postulat, eorum operationibus vices nostras supplentes ministerium nobis commissum divina assistente gratia iuxta vires nobis ex alto concessas exequi valeamus. Dudum siquidem sacrum generale Constantiense Concilium — statuit et decrevit, ut primum generale Concilium in quinquennium extunc proxime futurum, secundum vero a fine illius immediate sequentis concilii in septennium et deinceps de decennio in decennium perpetuo foret celebrandum in locis per Romanum Pontificem — approbante et consentiente concilio, vel in defectu ipsius per ipsum concilium deputandis ac assignandis, ut illa, quae circa statum et bonum publicum Ecclesiae sanctae Dei agenda et expedienda restabant, matura possent deliberatione compleri, prout, quantum in nobis fuit, in concilio Senis ultimo celebrato factum extitit: in quo per nostros et Sedis Apost. nuntios tunc in dicto concilio Senensi praesidentes eodem approbante Concilio civitas Basileensis pro loco proxime futuri — concilii deputata extitit. Cum autem finis huiusmodi septennii, quo concilium ipsum in eadem civitate Basileensi tenendum et celebrandum fore statutum fuit, instare noscatur, cumque propter notoriam aegritudinem nostram in — Concilio — iuxta desiderium cordis nostri interesse non possimus, te vitae integritate et sapientia praeclarum et magnitudine consilii conspicuum, ac in maximis nostris et praefatae ecclesiae negotiis diuturna experientia comprobatum, Legatum cum plena et omnimoda potestate legati de latere de fratrum nostrorum consilio auctoritate Apostolica facimus, constituimus et etiam ordinamus, teque ad civitatem Basileensem pro futuro ibidem — concilio generali — tamquam angelum pacis destinandum providimus. Et cum super omnia in ipso futuro concilio ad reformandum statum ecclesiasticum, qui hoc tempore indigere videtur, abundante nequitia et frigescente caritate hominum, suscitatis inter fideles bellis et discordiis, ac invalescente in pluribus mundi partibus haeretica pravitate, ad huiusmodi haereses exstirpandas, et pacem inter catholicos principes et ceteros Christianos componendam animum efficaciter intendamus: — tibi nomine et auctoritate nostris ipsi concilio praesidendi etc. *ut superiori in litera.* — Datum Romae Kal. Febr. pontif. nostri anno XIV.

683. **Eugenius IV PP.** *dissolvit Concilium Basileense,*

et aliud **Bononiam** *indicit. 1431.* Quoniam alto et incomprehensibili Domino reddere constituimus vota nostra in conspectu omnis populi et in atriis sanctis eius, postquam claves Domini suscepimus et beati Petri naviculam gubernamus, suppressi magno pondere inter procellosos mundi motus esse videmur constituti. Contuemur enim subortam ista tempestate profanam haeresim Bohemorum quasi venenum inficere praecordia fidelium, inque dies mortali contagio serpere, taxareque animos titubantium populorum; et Graecorum errores, ad quorum exstirpationem salubribus experimentis providebatur, propter emergentia incommoda perdurare; hostes adorandae Crucis ab Asia et Africa inter Europam vasta caede atque calamitate invalescere contra populum christianum, et per ipsos principes populosque fidelium inter se concertantes desaevire; et clerum in diversis mundi partibus reformatione plurima indigere. His igitur profanis malis afflictati clamare cogimur ad Dominum: ‚Excita potentiam tuam et veni, ut salvos facias nos! Deus converte nos, ostende faciem tuam et salvi erimus, Domine Deus virtutum converte nos.‘ His et aliis cogitationibus laniantibus mentem nostram alta nos cura sollicitat, quomodo tot malis obstare et christianae saluti providere possimus. Et dum affectionem nostram flagrantissimam attendimus, vehementissime concitamur; dum vero gerendarum rerum magnitudinem, loca et tempora mensuramus, necessitatem conditionis humanae recordamur, quoniam res tam arduas tamque difficiles lustrare brevi spatio non valemus; attento maxime, quod dum fel. rec. Martinus PP. V praedecessor noster dil. fil. nostrum Iulianum S. Angeli diaconum Cardinalem pro celebratione Basileensis Concilii ad ipsam civitatem Basileensem destinasset, dum nulla adhuc ibi congregatio praelatorum facta foret, ipse Cardinalis, ne interim tempus vacuum deduceret, versus Bohemiam se transtulit, sicut habuerat in mandatis; sicuti demum facta occulto Dei iudicio Catholicorum fuga, — Cardinalis ad civitatem Basileensem profectus, requisitisque praelatis partium diversarum parvaque ibidem Cleri congregatione habita, de consensu eorum dil. filium Ioannem Pulcripatris canonicum Bisuntinum ad nos transmisit, qui nobis inter cetera facunde et prudenter explicavit, significavitque deformationem cleri in partibus illis et nefandam ipsius haeresis pestem pullulare in dies, et iam usque ad partes Basileae pro-

ximas advenisse, secutis inde scandalis et cladibus abominandis, nam haeresis praedictae imitatores Clerum insequentes aliquos turpiter expulerunt, et nonnullos inhumaniter trucidarunt. Addidit etiam discrimina principatus guerrae inter dil. filios Philippum Burgundiae et Fridericum Austriae duces, aliasque difficultates, ex quibus tamen novam praelatorum vocationem ad Basileam affectare videbatur. Nos quidem examinantes conditionem mundi, temporum et locorum, — super haec omnia, quae animo nostro versabamus, quia propter certas conventiones unionis et reductionis Graecae orientalis ecclesiae in Romana et universali ecclesia initas et tractatas inter ipsum praedecessorem nostrum et S. R. E. Cardinales, de quorum numero eramus, et oratores Ioannis Palaeologi Imperatoris CPni, et ven. fratris nostri Ioseph apud Graecos CPni Patriarchae, ipsi his diebus ad nos — oratores transmiserunt, requirentes, — dignaremur in loco eis apto generale concilium facere convocari; — considerantes itaque praedicta, et quod in tota republica Christianorum nihil sanctius et optabilius esse posset, quam Graecam Ecclesiam, olim tot sanctis et viris ecclesiasticis clarissimis illustrem, dimissis erroribus reductam videri ad ritum Romanae ecclesiae: comprehendimus necessarium esse ad conveniens spatium temporis in *Bononiam* generale concilium convocari. Nam si praelati Basileam de novo vocarentur, qui convenire non possent sine temporis intervallo, utrumque Concilium fere uno tempore concurreret, et sic utrumque minoris auctoritatis haberetur, nec praelati in utroque possent interesse, nec posset utrumque generale concilium nominari. Unde pro ipsorum commoditate, — nos de consilio et assensu ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium — per literas nostras directas ipsi Cardinali S. Angeli legato Concilium, si quod in Basilea congregatum videretur, ex causis praedictis dissolvendum, et aliud — in civitate Bononia celebrandum, — et sequens aliud Concilium in decennio a die dissolutionis C. Basilcensis iuxta ordinationem Constantiensis synodi in Civitate Avenionensi enunciandum et statuendum decrevimus. — Itaque exnunc tenore praesentium de ipsorum nostrorum fratrum Cardinalium consilio et assensu Concilium, si quod (ut praemittitur) Basileae congregatum videatur, de Apostolicae potestatis nostrae plenitudine dissolvimus et totaliter liberamus, aliudque Concilium in anno cum dimidio a die

datae praesentium computando in praefata civitate Bononiensi — indicimus. — Datum Romae XV Kal. Ianuarii 1431.

684. *Idem Pontifex ad AEppum Coloniensem scribens uberius explicat causas dissoluti C. Basileensis, 1431.* Quoniam ex multorum relatione sentimus murmurare nonnullos, audita dissolutione Concilii, si quod esse congregatum videbatur in civitate Basileensi, opinantes forsitan nos subterfugere velle concilium, quod semper optavimus fieri et optamus : nos fraternitatem tuam avisatam facimus per praesentes, quod illa fecimus cum maturo consilio et deliberatione, iustis ex causis in literis nostris expressis, quae non fuerunt fictae, ut aliqui garriunt, sed verae et efficaces fuerunt etiam. Et sunt aliae causae, quas nolumus specifice exponere, quia manifestari non poterant sine quorumdam principum nota. Sed si omnes aliae causae defuissent, una potissima fuit per se omnibus nota, infirma scilicet corporis nostri valetudo. Nos enim, qui in minoribus constituti in Constantiensi Concilio reformari Ecclesiam cupiebamus, iam in Pontificatu nostro desiderium illud nostrum perficere, et in tam pio opere laborare personaliter plurimum affectamus. Ideo Concilium indiximus in civitate Bononiensi. Neque enim cum agendum sit de reformatione universalis ecclesiae, cuius directio et cura principaliter ad nos pertinet, et de nonnullis aliis gravissimis rebus concernentibus statum reipublicae christianae, nobis conveniens visum est tantam rem fieri debere per legatum sine nostra praesentia et ven. fratrum nostr. S. R. E. Cardinalium. Sed, sicut ei placuit, cuius inscrutabilia consilia sunt, gravissima personae nostrae supervenit infirmitas, a qua licet paulatim convalescere incipiamus, tamen non omnino liberati sumus, ita ut possimus sine certo mortis periculo ad remotiores partes accedere. Igitur in loco magis vicino concilium celebrare, et in eo praesidere decrevimus. Quare nemo, succensere nobis iuste potest, si ex omni voluntate Dei, quam ostendit in nobis, illud elicimus, quod ei gratum et utile ecclesiae suae fore non dubitamus. Miramur itaque, ven. frater, de quibusdam, qui magis quaerentes evertere et deformare, quam stabilire et reformare ecclesiam, haereses fovere et bella suscitare, prout hactenus notorie fecerunt, quam praemissa exstirpare et in dulcedine pacis reducere, obloquuntur et student contra voluntatem et decretum nostrum episcopos et praelatos in Basilea sub nomine Con-

cilii congregare, non ut ibi per eos reformetur, sed ut penitus obruatur status ecclesiae et fides catholica confundatur. Licet AEppi et Eppi quoad reformationem in vita et moribus diffinitivas voces habeant in Concilio generali, tamen ex iuramento prius praestito parere et obedire mandatis Apostolicis sunt adstricti, nec remanere Basileae, qui erant, nec de novo accedere, sed potius ad veniendum Bononiam se praeparare debuissent, postquam decreti nostri notitiam habuerunt. Plerique stare et accedere sunt coacti, in quibus nec vis nec auctoritas concilii generalis consistit, quorum voces et deliberationes minime liberae sunt, cum ab eorum, qui compulerunt, voluntate dependeant. Itaque digni non sunt, neque habiles, qui dent legem ecclesiae, neque aliis nationibus, neque religioni christianae. Nos enim in Concilio proxime celebrando Bononiae in tempore constituto vel citius, quamprimum sufficiens numerus praelatorum aderit, videbimus et iudicabimus cum consilio in talibus opportuno super causa eorum, qui Basileae remanserunt, vel illuc noviter accesserunt, et inspirante nos Domino, qui inspirat iusta et sancta consilia, in his, ad quae concilium Basileae fuit principaliter ordinatum, salubriter providere conabimur. Quare, ven. frater, cum tibi etiam, qui in ecclesia Dei notabile membrum existis, solers immineat cura praemissorum, qui de veritate rerum et statu personae nostrae es plenius informatus, qui vides in hoc turbine fluctuantium voluntatum sub hac informitate asserti concilii rem ecclesiae periculose committi, quae maioribus consiliis indigeret, quibus utinam omnes debito in tempore sufficere possemus, et sentire potes, non per universalem Christianorum voluntatem, sed per aliquos conspiratores ad perniciem ecclesiae praelatos fictis rationibus coloratisque argumentis induci, et nonnullos exquisitis modis et comminationibus impelli, ut ad id assertum Concilium vadant, quod et lapsu temporis et nostra auctoritate est dissolutum: fraternitatem tuam in Domino exhortamur, quatenus per nuntios et literas tuas, quomodocunque noveris aptius convenire, retrahere procures praelatos circumstantes et temporales dominos exhortari, ut ipsos retrahant a dicto asserto concilio Basileensi. — Datum Romae 3 Id. Febr. 1431.

685. *Idem Papa Legato Iuliano Cardinali committit, ut de statu rerum C. Basileensis informationem praestet. 1431.* Quamprimum fuimus divina favente clementia ad apicem summi Apo-

stolatus assumti, venit nobis in mentem, quantum mundo utilis et necessaria ecclesiae legatio tua, cum qua fuisti per Sedem Apost. destinatus ad Alemanniae et nonnullas alias partes, pro causa fidei et ordinatione concilii generalis, et aliis commissionibus specialibus de rebus magnis et arduis datis circumspectioni tuae. Propterea placet nobis et volumus, et legationem huiusmodi pro causa fidei et aliis specialibus commissionibus tibi factis, quantum tibi gratia divina concesserit, continues atque perficias, cum illis modo et forma, potestate et facultatibus tibi datis atque concessis per fel. rec. Martinum PP. V praed. nostrum, prout in eius literis plenius continetur. Circa vero negotium concilii generalis, quia in pluribus mutationem esse factam sentimus, omnia quae emerserint, vel ad notitiam tuam pervenerint, celeriter nobis scribas, cum consilio tuo, qualiter in talibus providendum et agendum esse videatur, significando nobis omnem illarum rerum statum particulariter et distincte. Datum Romae 4 Id. Martii 1431.

686. *Idem Papa annuit, ut concilium Basileae porro celebrari valeat. 1432.* Ad sanctam Petri sedem divina disponente clementia evocati, salutem, tranquillitatem et pacem totius gregis Dominici nobis ex alto crediti iuxta pastoralis officii debitum indefessis studiis affectantes, ad ea maxime dirigimus aciem mentis nostrae, per quae licet diversis consiliis, prout rerum et temporum varietas persvadet, ad eundem tamen salutis optatae finem, hoc est, ad unitatis ecclesiae praeservationem, extirpationes haeresum, ciusdemque reformationem, pacem et salutem Christifidelium ac christianae reipublicae valeamus sublatis dissensionum fomentis auctore Altissimo pervenire. Sane licet in septennium per generalium Constantiensis et Senensis conciliorum statuta, ordinationesque fel. rec. Martini PP. V praed. nostri Basileense Concilium absque alia vocatione congregari debuisset, et nullatenus prorogari, ac dil. filius noster Iulianus S. Angeli diaconus Cardinalis per ipsum praedecessorem ad exstirpandam perfidam haeresim Bohemorum principaliter destinatus extitisset cum potestate ipsi Basileensi concilio praesidendi, si in tempore congruo et decreto praelatorum ibi condecentem copiam reperiret, ac subsequenter per nos post nostram ad apostolatus apicem assumtionem ad praedicta peragenda confirmatus fuisset: tamen pluribus exactis mensibus etiam post septennium

antedictum pauci tamen tam praelati quam doctores et magistri in dicta Basileensi civitate convenerant, prout percepimus ex relatu dil. filii Ioannis Pulcripatris *(de quo vide epistolam superiorem de dissolutione C. Basil.)* — Praeterea dum eramus in minoribus — constituti, nos voto adstrinximus illo in loco concilium celebrare sive celebrari facere, in quo maiori parti fratrum nostrorum magis utile expediensque et opportunum videretur; ac dictis fratribus visum fuerit melius, concilium ad Civitatem Bononiensem commutari: idcirco ex praedictis causis et aliis, quas honestatis gratia tacuimus, commoti — concilium ad praefatam civitatem Bononiensem commutavimus. — Verum quia, ut ex plurimorum fidelium relatione accepimus, plurima, quae tunc Basileae Concilii celebrationem impediebant, utique cessaverunt: (nam primum Domino concedente ipsorum Ducum bella sublata sunt, et aliqui pro parte Bohemorum Basileam venisse dicuntur, quod nobis est gratissimum, si contingat eos ad catholicam fidem reverti, quodque etiam ibidem nunc est praelatorum ac magistrorum maior solito numerus), et nobis per Romanorum Regem ac Ven. fratres et dil. filios nobiles viros electores Romani Imperii extiterit supplicatum, ut consentire vellemus Basileae generale concilium celebrari pro bono universalis ecclesiae militantis: nos iudicantes non esse reprehensibile, si secundum varietatem temporum statuta quandoque variantur humana, ne bonum, si quod Basileae fieri posset, aliquatenus impediatur, dicta dissolutione concilii iam facta non obstante, statuimus, volumus, et mandamus, quod Basileae sacrum generale concilium per nostros legatos illuc quantocius transmittendos, et qui nomine nostro ibidem praesideant, celebretur. — Datum Romae XVI Kal. Martii 1432.

687. *Idem Pontifex duplici bulla revocat et retractat, quaecunque pro favore C. Basileensis fecerat, et quaevis Concilii facta, iuribus suis adversa, rescindit. A. 1433.* Bulla *prior:* Inscrutabilis divinae providentiae altitudo ad hoc nos maximae potestatis desuper plenitudine nobis tradita super universum gregem Dominicum in Praesulem constituit, ut ad removendum atque exstirpandum de agro Dominico vepres, ex quibus possent ecclesiae suae sanctae et christianae reipublicae dissensiones et scandala provenire, cura assidua et pervigili intendamus. Sane cum dudum ex certis et rationabilibus causis Concilium, quod

nonnulli Basileae congregatum esse dicebant, dissolventes, illud ad civitatem nostram Bononiensem duxerimus commutandum: postmodum cessantibus dictis causis praefatum concilium in ipsa civitate Basileensi decrevimus per nostros legatos, qui ibidem nostro nomine praesiderent, continuari debere, prout in diversis desuper confectis nostris literis plenius continetur. Cum autem qui Basileae congregati erant, prout sunt, etiam post dissolutionem et decretum huiusmodi ac etiam ante adventum dictorum legatorum, non ad communem utilitatem, sed ad privatas passiones intenti, nullaque auctoritate Sedis Apost. suffulti, multa et gravia, etiam praeter illa tria, propter quae fuerat ibi principaliter Concilium a principio constitutum, tamquam haberent generales synodi nobis etiam contradicentibus potestatem, disponere, ordinare, statuere, sancire, declarare, et mandare praesumserint in nostrum et Sedis Apostolicae ac ven. fratrum nostrorum Cardinalium et aliorum nobis adhaerentium grave praeiudicium praeter et contra ss. patrum decreta et canonicas sanctiones: nos attendentes, quod ea, quae per eos sic perperam statuta, facta et ordinata existunt, si sub dissimulatione et silentio praeterirent, in magnum atque evidens praeiudicium ecclesiae atque apost. sedis et grave scandalum plurimorum verosimiliter redundare possent, cum non ad reformationem sed ad deformationem, non ad unitatem sed scissuram ecclesiae, non ad haereses tollendas sed nutriendas, non ad pacem fidelium sed discordiam seminandam spectare videantur; ac propterea volentes, prout ex debito pastoralis officii tenemur, quantum Altissimus permiserit, futuris scandalis celeri remedio providere: omnia et singula gesta, facta etc. per praefatos Basileae congregatos et existentes — de nobis seu contra nos, iura et libertatem nostram et Sedis Apost. — irrita esse et inania, nullumque effectum debuisse aut debere sortiri auctoritate apostolica — declaramus, decernimus, et pro infectis haberi volumus et mandamus. — Datum Romae IV Kal. Augusti 1433. — Bulla *posterior*: In arcano nostrae mentis saepissime cogitantes, quod nisi superinvalescenti hominum malitiae, qui ecclesiam Dei variis quaesitis coloribus perturbare conati sunt, auctoritas Romanorum Pontificum restitisset, diversa in ecclesia Dei scandala emersissent, non solum debitum sed etiam necessarium reputamus, ut nos quoque ea, quae in ecclesiae scandalum, nostrumque et Sedis Apost. con-

temtum et dedecus fieri conspicimus, debitis remediis comprimamus. Sane cum ad nostram notitiam nuper pervenisset, quoddam praetensum decretum datum Basileae tertio Idus Iulii 1433 emanasse, in quo inter cetera contineri videtur, nos infra 60 dierum spatium dictis congregatis pure et simpliciter adhaerere debere; vener. autem fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus nec non quibuscunque in Romana Curia existentibus mandari dicebatur, ut post ipsum terminum lapsum infra 20 dies proxime sequentes sub poena privationis omnium beneficiorum suorum — Romanam Curiam relinquerent; omnes insuper causas in curia pendentes ad se eo casu advocabant: — nos ex incumbenti nobis cura officii pastoralis adstricti ad tuendam nostram Sedisque Apost. auctoritatem, Cardinalium quoque — asserentium dicti decreti nullitatem ex defectu potestatis condentium, ac in hac parte supplicantium, ut super praemissis providere vellemus, gravi querela commoti, auctoritate D. N. I. C. qui nos suum in terris Vicarium constituit, ac de potestatis nostrae plenitudine pronunciamus, decernimus ac etiam declaramus: praemissum assertum decretum — nullum et inane penitus extitisse et existere, nulliusque auctoritatis, valoris vel momenti, ipsumque et quaecunque in eo contenta eadem auctoritate revocamus, cassamus, irritamus, et pro infectis haberi volumus et mandamus. — Datum Romae Idibus Septembris 1433.

688. *Idem Papa revocando priores bullas profitetur se adhaerere Concilio Basileensi, 1433.* Dudum sacrum generale Basileense Concilium, per generalium Constantiensis et Senensis conciliorum statuta, ordinationesque fel. rec. Martini PP. V ac nostras pro exstirpatione haeresum, pace populi christiani, ac generali reformatione ecclesiae in capite et in membris et pertinentibus ad ea legitime inchoatum, ex certis causis in aliis nostris literis expressis de fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio et assensu dissolvimus. Verum cum ex dicta dissolutione ortae sint graves dissensiones, et graviores oriri possent, nihilque magis optemus, quam quod praedicta sancta opera debitum sortiantur effectum: de consilio et assensu ven. fratris Iordani Eppi Sabinensis, et dil. fil. nostr. Antonii S. Marcelli, Francisci S. Clementis, Angeloti S. Marci presbyterorum, ac Lucidi S. Mariae in Cosmedin, et Ardecini SS. Cosmae et Damiani diaconorum S. R. E. Cardinalium, decernimus et declaramus: praefatum gene-

rale concilium Basileense a tempore praedictae inchoationis suae legitime continuatum fuisse et esse, prosecutionemque semper habuisse, continuari, ac prosecutionem habere debere ad praedicta et pertinentia ad ea, perinde ac si nulla dissolutio facta fuisset. Quinimo praefatam dissolutionem irritam et inanem de consilio et assensu simili declarantes, ipsum sacrum generale concilium Basileense pure, simpliciter, et cum effectu ac omni devotione et favore prosequimur, et prosequi intendimus. Praeterea ut mentis nostrae integritas ac devotio, quam ad universalem ecclesiam et sacrum generale concilium Basileense gerimus, omnibus constet evidenter, duas nostras literas pridem in palatio Apostolico promulgatas, (nam tertias, quae dicuntur incipere ‚Deus novit', cum a nobis aut de scitu nostro numquam emanarint, licet superfluum videatur quod non exstat revocare, tamen quia petitum est, et ad cautelam, si ullo unquam tempore apparerent *) : et alias quascunque, et quidquid per nos aut no-

*) Hae literae sequentis sunt tenoris: ‚Deus novit secretorum omnium optimus perscrutator, quod usque adeo summopere atque diligenti studio procuravimus, ne sacrilegum schisma in Dei ecclesia nasceretur, quod pauci etiam S. R. E. Cardinales Basileae convenientes ipsum possent verisimiliter, si ab inceptis non desisterent, inducere, nos etiam ad illa humiliando, ut scandala vitarentur, ac ipsis plurima permittendo, ad quae de iure minime tenebamur, credentes ut exinde pacati, pax et tranquillitas inter nos et ipsos, imo verius in christiana religione, oriretur. Sed non profuerunt, sive prodesse possunt, per nos pie, mansvete, ac modeste cum ipsis gesta et dicta, ut potest notorie animadvertere Christicola quilibet orthodoxus, quin ipsi velint se a S. Sede Apost. scindere, et divinum Corpus Dominicum, id est, sanctam matrem ecclesiam, Christi tunicam inconsutilem lacerare, ac scissuram pestiferam in ipsa conficere, nosque Petri successorem legitimum licet immeritum pro posse confundere: quas res hactenus christianae religionis principibus patefacere non curavimus, sperantes nostra cum mansvetudine et patientia omnia ad debitae iustitiae semitas posse deducere, ac ipsos ab eorum conatibus et erroribus revocare. Sed proh dolor! nimium iste morbus eorum cancerosus invaluit, et quotidie convalescit, quia nostra clementia et nimia benignitas ipsos contra nos quotidie reddit magis elatos. Et quamvis eorum desideriis condescendentes mandaverimus iterum debere Basileae concilium celebrari, ipsi tamen, quoniam nobis oppido sunt infesti, et quos tolerasse, et ipsis suarum contra Sedem Apost. rebellionum indulgentiam obtulisse non profuit, eorum tamen intentionem executioni gaudent et cupiunt praecipue demandare, nos falso de variis criminibus impetentes, ut valeant inhumaniter omni Pontificali potestate nos proturbare; quorum callide dicta et gesta opus est refellere, ne falsis detractionibus de nobis confictis valeant christianam circumvenire religionem, ac omnibus Christi-

stro nomine in praeiudicium aut derogationem praedicti sacri concilii Basileensis seu contra eius auctoritatem factum et at-

---

fidelibus eorum gesta, dicta et facta horrenda sapere posse in futurum schisma et pestiferam haeresim ostendamus, nostris his literis singulariter eorum obiectis respondentes.

Obiiciunt igitur primum, de nobis obloquentes, quod scandali et perturbationis causa in Ecclesia Dei introducendi perperam conati sumus sacrum Basileense dissolvere concilium, quodque ex hoc universalem ecclesiam conturbavimus, nec sine consensu concilii dissolutionem illam facere valuimus. Quae cuncta veritati iuris et facti penitus sunt adversa: quoniam primum nostra numquam fuit aut erit intentio sacrum dissolvendo exinanire concilium, ac nolle secundum Constantiensis et Senensis Conciliorum statuta ipsam sacram synodum celebrari, in qua perfidae haereses evellerentur, et Deo militantium in ecclesia mores improbi reformarentur, ac alta pax et dulcis tranquillitas christiano populo traderetur; quin potius hoc tam salubre negotium semper insedit et residet cordi nostro. Et his de rebus cupientes ut ipsum per apostolicae nostrae solertiae studium finem debitum consequeretur, in nostrae ad summi apostolatus apicem assumtionis principio mandavimus per dil. fil. Iulianum S. R. E. Cardinalem ibidem Basileae sanctam synodum celebrari. Verum quoniam postmodum — iustis de causis — nos informati veridica relatione percepimus, quod Basileae protunc sine magno temporis intervallo ipsius sanctae synodi celebratio non esset possibilis, concilium ipsum penitus non dissolvimus, ut ipsi non bene interpretati sunt, sed ad nostram Bononiensem civitatem commutavimus, sic, quod ipsum in sua essentia consistere voluimus, ac a Basileensi civitate solum exolvimus. Quare nos indebite criminantur, quod scandala in ecclesia Dei introducendi causa concilium dissipavimus, cum ipsum a Basilea commutare necessitatibus urgentibus coacti fuerimus. Et quamvis nunc nobis ipsas causas per praefatum oratorem intimatas inficiari non vereantur, orbi tamen toti notissimum est, illas causas celebrandi concilii impeditivas extitisse veras. Nam fere octo menses effluxerunt, postquam initiari debuit s. synodus, nec adhuc Basileae convenerant tres Eppi aut alii in toto numero decem praelati, regumque et principum procuratores sive nuntii pauci sive nulli aderant, cum quibus de christianorum pacatione sive concordia possent aliqua pertractari, ut in conciliis primum est decens inquirere. Doctorum et magistrorum fere nulli intererant, qui haereticorum versutiis resistere possent, ac argumenta eorum sophistica scirent refellere et confutare. Locus ipse Basileensis civitatis minime tutus videbatur tum propter armatam finitimam haeresim Bohemorum, tum propter subortam guerram inter Burgundiae et Austriae duces. Iis igitur et aliis causis — commutationem — fecimus; praesertim his etiam de causis moti, quia sperabamus, quod in Italia consistente Sigismundo Romanorum rege, nos facilius ambo potuissemus Bononiae convenire, adessentque ibidem — praelati et principes in numero copioso, — cum quibus melius et graviori maturitate singula in conciliis agenda expedirentur, — quam illa, quae per

tentatum seu assertum est, cassamus, revocamus, irritamus, et annullamus. — Nos autem deinceps a novitatibus et gravamini-

---

paucos Basileae convenientes fieri forsitan contigisset. Nescimus ergo quomodo ipsam audent commutationem reprobare, cuius ipsi plurimi fuerunt auctores praecipui. Damnant namque eorum gesta, non nostra, quia tunc eramus gravissima corporali infirmitate gravati, cum ipsi dissolutionem et translationem svadebant, proponebant et efficere studebant, nobis praecipue ad memoriam reducentes et his rationibus compellentes, quod dum eramus in minoribus constituti, una cum ipsis — voto et iuramento nos adstrinximus, quod in illo loco concilium teneremus, in quo maiori parti Cardinalium magis expediens videretur, cum Basileae non speraretur posse concilium celebrari temporibus a iure decretis, iam fine temporis instante et impedimentis subsistentibus, sicque ipsi mutationem sive translationem necessariam esse dicentes, et ut alio in loco transferremus, sedulo requirentes. Tandem fuit causa finalis, ut ipsam translationem faceremus, quam et iustam fuisse, et nobis solis cum ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus facere licuisse etiam absque alterius consensu concilii nemo sanae mentis ambigere debet. Nam etsi canon Constantiensis Concilii, qui incipit ‚Frequens,' (Sess. 36.) ab ipso concilio editus et a fel. rec. Martino praed. nostro non improbatus, locum mutare vel tempus inceptionis concilii prorogare nobis sine concilii consensu prohibere videatur, non tamen debet sic abusive interpretari, ut causa imminente nobis etiam solis ademta fuerit circa loci mutationem, temporis prorogationem dispensandi facultas: cum etiamsi a Martino editus extitisset, illa non fuisset sive esse debuisset prohibentis intentio, quae successoribus suis nullum potuit in hac parte praeiudicium generare, pari post ipsum potestate functuris: et infertur, prout est secundum omnia iura, in hac parte concilium inferius summo Pontifice, Papamque ipsis priorem nequeunt solvere vel ligare, sed nos in his concilio superiores ipsum possimus pro libitu regulare. Nam hoc de iure notissimum est, quod possumus quaecunque statuta — per praedecessores nostros vel per quaecunque concilia, dummodo in ipsis fidei fundamenta non existant, sive ex hoc universalis ecclesiae bonum principaliter non turbetur, ut Vicarius Christi et irreprehensibiliter pro nostro amovere et corrigere libitu voluntatis, et contra sentire non esset longaevum ab haeresi. Velle ligare manus Vicarii Iesu Christi et in terris Dei legati, sive ipsius gesta iudicare vel improbare, quod sacrilegii crimen habet? Sed, quaesumus, nobis dicant qui nobis detrahunt. quae haeresis, quae universalis ecclesiae turbatio ex hac translatione loci surgere poterat, si nos s. synodum Bononiae commutavimus, ut eius bonum non frustraretur ulterius, quod iam mensibus octo sine fructu aliquo extiterat prorogatum, et ipsius initiandi postmodum Basileae vestigia commoda nulla videbantur. Profecto nullus per iuris tramites ambulans, et non passione seductus, assereret, quod ecclesiae fecerimus perturbationem, sed salutem, nec celebrationem concilii frustravimus, sed id accelerare concupivimus. Taceant ergo hi, qui sic nobis inhumaniter detrahunt, quoniam non ad christianorum et ecclesiae noxam commutatio-

bus seu praeiudiciis inferendis ipsi sacro concilio, vel supposi-tis eius et adhaerentibus eidem, realiter et cum effectu desiste-mus. — Datum Romae 18 Kal. Ianuarii (Decembr.) 1433.

---

nem fecimus, sed pro salute tutissima, ut citius quae in concilio forent agenda finem debitum sortirentur. Fuit igitur a Basileensi civitate legitima protunc nostra concilii dissolutio, ac ipsius ad Bononiam iustissima translatio, et asserentes contra sunt penitus ab omni veritate ac fide catholica alieni.

Nos insuper criminantur et diffamant, quod sacro concilio pure et simpliciter non adhaeremus, sed quotidie magis et magis contemnimus et despicimus, quodque nos modeste et mansvete moneri curaverint, ut scan-dalosam dissolutionem et ecclesiae Christi perturbationem amovere debere-mus, quas res inquiunt nos pertinaciter recusare, et has ob causas nos ci-tare et monere non sunt veriti, et tandem, quod est deterius, si eorum vota infra 60 dies non adimpleverimus, nos ab omni Pontificali dignitate suspen-disse profitentur. Quae quantum contra omnia sint divina iura pariter ac humana, ac haeresim manifeste nutrientia, breviter ostendemus. Nam dis-solutionem, quam scandalosam et ecclesiam perturbantem esse dicunt, le-gitimis de causis et necesssariis iure fecimus, ut ante retulimus. Quod igi-tur scandalum, quod iuste et honeste et urgente necessitate factum extitit, potuit generare? Profecto nullum, quum omnia, quae ad salutem christianae religionis debuissent in Basileensi concilio expediri, et quae protunc, cum ipsam s. synodum commutavimus, ibidem Basileae fieri non poterant, me-lius, celerius et commodius in Bononiensi synodo perfici potuissent. Quam etiam ecclesiae turbationem fecimus, cum, ut paulo ante narravimus, illo in tempore, quo concilium commutavimus, fere nulli praelati convenerant? non poterant igitur perturbari qui non aderant, quia quod concilium Basileae fieret, non curabant. Nam si affectassent, ibidem in tempore convenissent. Nec quoad illos, qui convenerant, quia ita pauci numero erant, quod sine nostra auctoritate ecclesiam universalem repraesentare non poterant, quam-vis ipsi eam repraesentare se dixerint. Concilio igitur ad Bononiensem civi-tatem legitime translato, ibidem postmodum Basileae convenientes velut lo-custae acephali canonicum sine nostris praesidentibus non fecere concilium cum auctoritate carerent Apostolicae Sedis.

Nec verae sunt quas faciunt excusationes, quod Constantiensis Se-nensisque Concilii ac fel. rec. Martini et nostra auctoritate ipsorum conci-lium vires habuerit et habeat. Nam nos praedictis causis veris subsistentibus et nostram et piae memoriae Martini et ipsorum conciliorum auctoritates, ut iure fecimus, revocare potuimus, ut patule supra insinuavimus: quare post canonicam dissolutionem et auctoritatum praedictarum revocationem abs-que ulla apostolica auctoritate conveniebant sive conveniunt. Unde verum non est dicere, canonicum post nostram dissolutionem et sine nostris prae-sidentibus fuisse vel esse concilium, quoniam nulla rata est vel unquam erit synodus generalis, quae Summi Pontificis non fuerit auctoritate suffulta. Nec etiam eorum Spiritus S. est Caput, cum misericors Iesus Christus su-per omnia Summum Pontificem ecclesiae post transitum Verbi ad Patrem

689. *Idem Pontifex Basileenses patres synodales ad continuandum Concilium exhortatur, A. 1434.* Existimaret forsitan

caput et principem instituerit ecclesiae, nos videlicet, qui locum retinemus ipsius vicarii Iesu Christi, quamvis immeriti. Sacrilegum igitur a nobis postulant et haereticum, ut declarare velimus: retroactis temporibus Basileae continuo fuisse concilium, cum post nostram dissolutionem sine nostris praesidentibus regulare non facerent concilium, quia eorum dicta, gesta et facta omnia contra divina iura pariter et humana perperam sunt confecta, et quae per nos nullatenus sunt debita comprobari. Et in hoc est, quod christianam religionem circumvenire cupiunt, ut sub colore quod continuo Basileae concilium fuisse declaremus, omnia eorum gesta et facta comprobemus: quae adeo sunt minus bene composita, ut etiamsi ab habentibus potestatem promulgata fuissent, essent irritatione, annullatione et revocatione dignissima. Nam quod numquam est lectum, ipsi in civitate nostra Avenionensi et contra nostram voluntatem constituere legatum ausi sunt, illam tyrannidi unius Cardinalis nuper cum eis convenientis subiiciendo, spreto vero legato de latere per nos et Apost. Sedem constituto, unde tot guerrarum strages, tot rapinae, tot homicidia, tot incendia suborta sunt. Sed tandem clementissimus Deus sua misericordia favit parti iustiorem causam habenti, quia nostro vero dominio et sub nostro legato civitas est subiecta. Ipsi insuper de singulis Romanae Curiae officiis inter seipsos disponere non sunt veriti; — causarum etiam auditores a seipsis constituerunt, quod nusquam visum est Pontifice summo Romanam Curiam tenente; — exercitium etiam Vice-Cancellariatus officii uni ex ipsis contra nostram voluntatem tribuere praesumserunt, ac etiam generalia sive publica consistoria celebrare, omniaque attentare non formidant, quae tantum sunt nobis et Sedi Apost. specialiter reservata, perinde ac si universae carnis viam essemus ingressi, vel si omnis Pontificalis summae dignitatis potestas esset nobis adhuc viventibus et in Petri Sede legitime constitutis ad ipsos devoluta: quod asseverare est haereticum et profanum, cum potestas apud nos et ipsos, et sic duos, in solidum esse non possit; quia imaginari non possumus, qua auctoritate, quo iure nobis in Sede Apost. consistentibus beneficia conferant, nisi quod usurpant contra iustitiam iura nostra, et, quod detestabilius est, illa, quae in nostris praedecessoribus malefacta damnant, monasteriorum religiosorum secularibus clericis concessas administrationes, ipsi ad instantiam cuiusdam principis secularis fecerunt. — Postremo tandem ultra aliud, quod nos et plurimos fratres nostros S. R. E. Cardinales citare conati sunt, etiam postquam decrevimus iterum ibidem Basileae debere concilium agitari, nos etiam ab administratione Summi Pontificatus suspendere freti sunt, ut ad ipsos possent saltem de facto ipsam nostram Summi Pontificis potestatem advocare et eius administrationem exercere, conferendo beneficia vel officia, et alia faciendo, quae nobis tantum sunt a iure concessa vel permissa. Istae sunt ergo causae, quare continuo Basileae fuisse concilium per nos declarari cupiunt. Isti sunt, qui, quoniam eorum vota pati non volumus, de nobis tot mendacia confingunt. Istae sunt haereses, quas extirpare cupiunt. Istae sunt

aliquis, ex his, quae superiori tempore praecesserunt, mentes nostras non usquequaque sine nubilo existere: sed si quaecun-

reformationes debitae quas in ecclesia Dei introducunt, et pax et tranquillitas, quas universis Christifidelibus disponunt: quia inter se ipsos potestatem nostram dividunt, et sibi ipsis adscribere cupiunt, ut quae beneficia vel officia sive honores, quos a nobis consequi non valuerunt, scindendo Dei ecclesiam consequantur. Absit igitur a nobis, ut talem declarationem faciamus et quod talia gesta comprobemus. —

Obiiciunt etiam nobis, et admirari videntur, quod Basileae iussimus sacram synodum celebrari ac mandavimus cum concilii consilio agenda per praesidentes perfici. Dicimus quod concilium dumtaxat potens est, ipsos autem praesidentes sequi necesse est: et ideo si concilium dictaret sive consuleret aliquid ecclesiae expedire, praesidentibus vero non placeret, hoc ipsum minime fieri posset, sic quod de iudice concilium consiliarius formaretur. Sed hi sic dicentes, si nulla iura vidissent, satis esset. Nam si ipsi omnia mundi iura percontentur, omnia volunt, quod quae concilio statuuntur declarantur seu sanciuntur, a Papa vel eius legato constituantur atque promulgentur sacro concilio consulente sive etiam approbante. Nam si Papa vel legatus eiusdem nollet disponere aliqua, contra Concilium affectaret: Papae sententia vel eius legati personam Summi Pontificis repraesentantis, non Concilii voluntas sequenda foret, cum super omnia concilia habet potestatem Papa; nisi forte quae statuenda forent, catholicam fidem respicerent, vel si non fierent, statum universalis ecclesiae principaliter perturbarent: quia tunc Concilii sententia esset potius attendenda. Verba igitur nostrarum literarum secundum iuris formam interpretanda sunt, ut quae ad solum concilium spectarent, quae sunt numero plurima, cum concilio expediantur et fiant, alii vero iuris tramitem imitentur. Et hoc est, in quo potissime falluntur qui Basileae conveniunt. Nam credunt in singulis agendis esse iudices supra Pontificem, quod eorum actiones demonstrant. Nam in singulis se nobis superiores reputant, quod tamen asseverare est haereticum et profanum.

Obmutescant igitur et noscant, quod etiam sic cum concilio fieri mandavit fel. rec. Martinus noster proximus praedecessor: nec velint nostram puram intentionem in singulis lacerare, quam etiam cum aliis lacessere conantur, asseverantes nostram ad summi apostolatus apicem non fuisse canonicam electionem. Sed o misericors Deus! cur oculos tuae piae iustitiae contra praefatos non convertis? nam plurimi ex his, qui talia proferunt, sunt, qui nos in Petri cathedram inthronisaverunt, isti nos consecraverunt, isti nos coronaverunt; et aliqui ex eis, ut a vero Christi vicario pontificatus insignia susceperunt, alii vero ex eis fere omnes gratias sive beneficia plurima sunt adepti et nos annis plurimis pro summo vero Pontifice venerati sunt. Igitur imaginari non possumus, qua fronte, qua audacia, quo colore possint nostram canonicam electionem in dubium revocare, praesertim cum ipsorum allegent maximam turpitudinem. Quare, Principes christiani religiosissimi, vosque alii Christicolae orthodoxi, per viscera misericordiae Iesu Christi praefatos Basileae convenientes adhortemini, ut

que per oratores nostros — vobis offerri iussimus, recte intueri voluerit, serenitatem pectoris nostri, ut de nobis loquamur, satis intelliget. Neque id efficere difficile nobis fuerat, qui vobiscum in eundem finem semper processimus: solum in loco celebrandi concilii salva semper pietate dissensimus. Nec mirum, cum Paulus et Barnabas propter Ioannem cognomento Marcum invicem dissentientes separati sint, quos tamen Christi Evangelium copulabat. Optavimus pacem, optavimus ecclesiae reformationem: ob hanc rem non solum cessimus vobis, sed etiam per literas nostras decreto vestro, quemadmodum dictastis, annuimus. Post haec maiorem in modum, ut praefati sumus, aperuimus cor nostrum. Iterum replicamus: Hoc nostrum propositum est, hic noster affectus, vos amare ut filios, observare ut fratres, et in benedictionibus dulcedinis una vobis praecipua caritate constringi. Sic etiam de vobis confidimus, ut non alii apud vos sitis, sed pro ipsius Sedis Apost. reverentia fideles et devotos animos ad nos habeatis. Huius siquidem confidentiae signa perspeximus: primo, quod ex nostro consensu ad sacrum generale Basileense concilium plurimum laetati estis; iterum quod praesidentes nostros affectu et opere amodo sic vobis coniunctos, ut pene unum invi-

---

desistentes ab inceptis velint nostros praesidentes admittere, ut canonicam synodum facientes possint bona illa, propter quae sacrum concilium est institutum, debitae executioni demandare. Quod si secus fecerint, et Dei ecclesiam scindere, ut hactenus sunt conati, concupiverint, nec praesidentibus intendere reformationi ecclesiae studuerint: tunc vos Christicolas, Principes iterum per eiusdem misericordiam obsecramus, qui pro nobis mortem subiit temporalem, ut velitis eorum improbis conatibus pro posse resistere, praesertim ne schisma nefandissimum in Dei ecclesia oriatur. Nam hoc ad Principes seculi Christianos pertinet, ut eorum temporibus pacatam velint esse matrem ecclesiam, unde sunt spiritualiter nati. Quod psalmographi verbum ostendit, cum inquit: ‚Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, servite Domino in timore et exultate ei cum tremore.‘ Sed quomodo serviunt Principes in timore, nisi ea, quae contra sanctam matrem ecclesiam et iussa Domini sunt, religiosa severitate prohibendo atque plectendo? Agite igitur, viriliter agite adversus Christi vineam et agrum Dominicum devastare cupientes, nec permittere velitis, quod sine auctoritate Pontificis conciliabula, non concilia fiant: quomodo in futurum posset esse exemplum perniciosissimum, ut decem sive plures ad libitum sine Sedis Ap. auctoritate aliquo in loco praelati convenirent, scandalisarentque populum Christianum orthodoxum, ac contra Christi Vicarium pro libitu resilirent: ut resistentes malis actionibus, aeternam gloriam mereamini. Datum Romae Idibus Septembris 1433.

cem esse videamini, audimus. Ex his congratulamur plurimum devotionibus vestris, congratulamur ecclesiae sanctae, cui profectum evenire speramus. Congratulamur et ipsi Apost. Sedi, quae diu, non quidem defectu nostro, sed, ut ita dicamus, temporis malignitate afflicta et angustiata, consolari et honorari a vobis exspectat. Ut enim interea veluti diu vulgata praetereamus, quis sine dolore et lacrimis transeat, quae his diebus Romae passi sumus? Non enim incognitum est, quid conspirationis in nos actum sit, quid in ven. fratres nostros S. R. E. Cardinales, quid denique in nostros et curiales omnes, quo etiam consilio, quibus mediis, quo auctore, aut quo fine omnia ista processerint. Quid ultra haec in aliis terris Ecclesiae Romanae quotidie machinetur, satis perspicuum est. Christus pro sua pietate eos omnes ad frugem melioris vitae convertat. Ob has et alias iustas causas censuimus malignitati esse cedendum. Itaque ex Urbe profecti, cum galeis et aliis navigiis Deo propitio in portum Pisanum devenimus. Deinde sani et incolumes ipso Deo iuvante hodie huc applicuimus. In quem locum multo honore, reverentia et devotione suscepti sumus. Superest, ut eo affectu, quo coepistis, in Deum quotidie succrescentes ad generalem ecclesiae reformationem sine ulteriori mora vigiles sitis. Sic devotiones vestras exhortamur in Domino. Nostis enim, quantum ea indigeat Religio Christiana: quia, ut ait propheta, a planta pedis usque ad verticem non est in ea sanitas. Non multa disputatione opus est, sed observatione et exemplo. Quibus veluti quodam optimo rectore ea, quae a s. patribus divino spiritu constituta sunt, dirigantur, suumque attingant effectum. Horum s. patrum imitatores estote, sicut veri condiscipuli et filii Dei carissimi. Si qua igitur pietas, si qua consolatio in Christo, implete desiderium et gaudium nostrum, imo et bonorum omnium. Non deerit vobis gratia divina, neque bonorum subsidia: sic in Domino confidimus. Quantum autem ad nos pertinet, omnes operas nostras pro his rebus libenter offerimus, nihil pro nostro officio praetermittentes, quo gloriam Deo, pacem et salutem populo christiano ex his sanctis operibus vindicemus. Datum Florentiae nono Kal. Iulii 1434.

690. *Idem Papa in solemni sessione Concilii generalis* **Florentino-Ferrariensis** *denuo irritat omnia acta Concilii Basileensis a. 1437.* Exposcit debitum pastoralis officii, cui di-

vina favente clementia licet insufficientibus meritis praesidemus, ut nefarios malignorum excessus, illorum praesertim, qui tranquillum ecclesiae statum in varias periculosasque, nisi obvietur, procellas et perturbationes impellere satagunt, et Petri naviculam fluctibus mergere moliuntur, opportunis remediis opprimamus, ac ne in sua malitia gloriantes aliis occasionem malignandi praebeant, pro excessibus per eos commissis debitae ultionis poenam infligamus. Nam ut canonicae continent sanctiones, in culpis, quae multorum trahunt iacturam, culpa est relaxare vindictam. Sane cum in sacro Basileensi Concilio de loci electione pro futuro oecumenico concilio ageretur, et per eos, ad quos potestas eligendi locum erat devoluta, factum esset decretum, ipsumque ambasiatores carissimi filii Ioannis imperatoris Graecorum et ven. fratris Iosephi Patriarchae CPni ibidem existentes acceptassent, aliis vero Avenionem vel alium locum nominantibus, ad quem praefati oratores nullo modo ire velle protestabantur, asserentes pro certo Imperatorem et Patriarcham ad dictum concilium, nisi personaliter interessemus, nullatenus accessuros, praedicti qui Avenionem petebant, veriti Graecos ipsos ad eos nequaquam ituros, quoddam decretum sive libellum famosum, quod monitorium appellant, adversus nos, licet nulliter et de facto in grave scandalum et scissuram Ecclesiae, in tamque sancti operis, unionis videlicet Graecorum, perturbationem conflare temere ausi sunt: nos pro unitate Ecclesiae conservanda et dicta unione consequenda praedictum Basileense concilium ex iustis, rationabilibus, necessariis ac urgentibus causis de consilio et assensu ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quamplurimis ven. fratribus et dil. filiis AEppis, Eppis etc. apud S. Sedem Apost. existentibus id laudantibus et consulentibus ad civitatem Ferrariensem et Graecis et nobis accomodam transtulimus; ipsi vero omnem viam iuris spernentes, et in suo obstinato proposito perseverantes, literasque dictae translationis — parvipendentes, ac mala malis cumulantes non solum rationabilem translationem nostram — non acceptarunt, sed ut infra certum tempus et sub suspensionis poena praedictam translationem revocaremus, monere iterato temerarie sunt ausi. Quod quidem nil aliud erat, quam ut tanti sancti operis, tantum Christianis omnibus optabilis, prosecutionem deserere cogeremur. Iis vero non sine displicentia animi nostri intellectis,

cum ea omnia non solum in destructionem tam sancti operis, sed in manifestam ecclesiae scissuram tendere videremus, translationem per nos tam necessario factam ac ipsum Ferrariense Concilium inchoari et legitimam prosecutionem habere debere — declaravimus, ad illudque inchoandum dil. fil. nostrum Nicolaum S. Crucis in Ierusalem S. R. E. presbyterum Cardinalem nostrum ac Sedis Ap. legatum destinavimus. Quod quidem non parvo praelatorum numero legitime congregatum, in publica Sessione translationem et declarationem praedictas legitimas, iustas et rationabiles, ac urgente necessitate ad tollendum impedimentum praefatae sanctissimae unionis occidentalis et orientalis ecclesiae, etiam ad evitandum scissuram in Dei ecclesia nunc imminentem, pro evidentique utilitate totius reipublicae christianae fuisse et esse factas solemniter declaravit. — Interea certiores facti, praedictos Imperatorem et Patriarcham, et Graecos littoribus Italiae appropinquare ad ipsum Ferrariense Concilium, Deo duce ea intentione et firmo proposito venimus, ut non solum hoc sanctae unionis opus, sed illa etiam, propter quae concilium Basileae fuerat congregatum, realiter et cum effectu adiuvante Domino prosequeremur. Atque etiam advertens dil. filius noster Iulianus S. Sabinae presbyter Cardinalis Ap. Sedis legatus, cum praedictos, ut a tam manifestis scandalis abstinerent, plurimis validissimis rationibus hortaretur, et pro ipsorum obstinata mente nullatenus exaudiretur, sed eos magis ad ipsa scandala in Dei ecclesia perpetranda paratos inspiceret, ne illorum impietatibus assistere videretur, inde discessit. Illi vero neque id considerantes, et nescientes in semitis pacis et iustitiae dirigere gressus suos, iamque certiores effecti Graecos ad eos nullatenus accedere velle, ac littoribus Italiae appropinquasse, in sua cordis duritia perseverantes cum dictam Graecorum unionem, pro qua nobiscum totis viribus, ingenio et industria laborare et nobis assistere debuissent, aliter impedire et disturbare nequirent, peiora peioribus adiicientes ad tantum temeritatis et audaciae sunt progressi, ut nos a papali administratione suspensos esse, plurimis regum et principum oratoribus, qui Basileae erant, tam nefandum scelus execrantibus et in contrarium protestantibus, ausu sacrilego declarare et ad alia plura, licet nulliter et de facto, procedere praesumserint. Nos igitur attendentes excessus eorum adeo notorios, ut non possint aliqua tergiversatione ce-

lari, quodque error, cui non resistitur, approbari videtur, et latum pandit delinquentibus iter is, qui eorum conatibus non resistit, ac nequeamus absque gravi offensa D. N. I. C. et suae sanctae ecclesiae tot et tantos excessus, qui praesertim sanctam et optatissimam unionem Graecorum impedire, turbare, et penitus tollere videntur, ulterius tolerare: adversus praefatos in Basilea existentes, hoc sacro approbante concilio, in virtute Altissimi decernimus iustitia mediante, quantum oporteat, procedendum. Quapropter matura deliberatione praedictos convenientes et tam scandalosa et nefaria praesumentes, — poenas excommunicationis, privationis dignitatum etc. — incidisse decernimus et declaramus, decernentes atque etiam insuper declarantes irritum et inane, et nullius roboris vel momenti, quidquid per eos tam circa praedicta, quam Curiam nostram sequentes, vel in sacro concilio existentes, a die translationis per nos factae sub nomine Concilii vel alias attentatum fuerit, vel in posterum quomodolibet contigerit attentari. — Datum Ferrariae XV Kal. Martii 1437.

691. *Idem Papa unionem Graecorum, et solemnem de Primatu Rom. Pontificis definitionem in eodem Concilio Florentino factam annunciat, 1439.* Laetentur coeli et exultet terra: sublatus est enim de medio paries, qui *occidentalem orientalemque* dividebat ecclesiam, et pax atque concordia rediit, illo angulari lapide Christo, qui fecit utraque unum, vinculo fortissimo caritatis et pacis utrumque iungente parietem, et perpetuae unitatis foedere copulante ac continente, postque longam moeroris nebulam et dissidii diuturni atram nigramque caliginem serenum omnibus unionis optatae iubar illuxit. Gaudeat et mater Ecclesia, quae filios suos hactenus invicem dissidentes iam videt in unitatem pacemque rediisse, et quae antea in eorum separatione amarissime flebat, ex ipsorum modo mira concordia cum ineffabili gaudio Omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur ubique fideles per orbem, et qui christiano censentur nomine, matri catholicae Ecclesiae collaetentur. Ecce enim Occidentales Orientalesque Patres post longissimum dissensionis atque discordiae tempus, se maris ac terrae periculis exponentes, omnibusque superatis laboribus, ad hoc sacrum oec. Concilium desiderio sacratissimae unionis et antiquae caritatis redintegrandae gratia laeti alacresque convenerunt et intentione sua nequaquam

frustrati sunt. Post longam enim laboriosamque indaginem tandem Spiritus S. clementia ipsam optatissimam et sanctissimam unionem consecuti sunt. — Convenientes enim Latini et Graeci in hac ss. oec. synodo, magno studio invicem usi sunt, ut inter alia etiam articulus ille de divina Spiritus S. processione summa cum diligentia et assidua inquisitione discuteretur. *(Post uberiorem de hoc articulo et ceteris controversis deductionem, sic continuat Pontifex :)* Item diffinimus, *Sanctam Apost. Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse*, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur. Renovantes insuper ordinem traditum in canonibus ceterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patr. CPnus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, et quintus Hierosolymitanus, salvis videlicet privilegiis omnibus et iuribus eorum. Datum Florentiae in sessione publica synodali pridie Nonas Iulii a 1439.

692. *Idem Pontifex promulgat decretum Concilii Florentini contra sententiam Synodi Basileensis de superioritate Concilii supra Papam, 1439.* Moyses vir Dei, populi sibi commissi salutem zelans, timensque ne ob seditiosorum schisma Core, Dathan, et Abiron, ira Dei in ipsum populum, si illos consequeretur, insurgeret, iussu Domini dixit ad plebem universam: ‚Recedite a tabernaculis impiorum hominum, et nolite tangere quae ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.‘ Senserat enim ipso Domino inspirante, seditiosos et schismaticos illos ultionem gravissimam excepturos, sicut postmodum rei monstravit eventus: dum nec ipsa terra eos potuit sustinere, sed iusto Deo iudicio illos absorbuit, ut descenderent in infernum viventes. Sic et nos, quibus licet immeritis Dominus Iesus Christus populum suum committere dignatus est, audientes illud execrabile scelus, quod quidam perditi homines Basileae commorantes ad scindendam sanctae ecclesiae unitatem proximis diebus machinati sunt, metuentesque ne quos incautos seducant fraudibus et venenis

inficiant, ad ipsum D. N. I. C. populum nobis creditum clamare pari voce compellimur: Recedite a tabernaculis hominum impiorum, cum longe amplior sit plebs Christiana quam illa tunc Iudaeorum, ecclesia sanctior quam synagoga, et Christi Vicarius ipso Moyse auctoritate et dignitate superior. Quam Basileensem impietatem dudum praevidere coepimus, quandoquidem illud tunc Basileense concilium intuebamur iam in tyrannidem prolabi: dum multi etiam inferioris gradus ad illuc veniendum standumque pro libitu, factionis auctorum cogerentur, dum nonnullorum vota et iudicia diversis artibus extorquerentur, dum conspirationibus, coniurationibus, monopoliis et conventiculis pene omnia cederent, et pro ambitione Papatus diuturna protractio ipsius concilii quaerebatur; ubi denique innumerae novitates, inordinationes, deformitates, et quasi infinita patrabantur mala; ad quod etiam laici et clerici infra sacros ordines constituti, ignorantes, inexperti, etc. fugientes, nobis et suis superioribus rebelles, et reliqua istiusmodi hominum monstra concurrerant, qui et ab ipsis scelerum magistris in omnem corruptionis labem facile trahebantur. *Refert dein paucis Pontifex historiam translati Concilii Basileensis ad civitatem primum Ferrariensem dein Florentinam, et recenset gesta Concilii post hanc translationem in praeiudicium Papatus, tum prosequitur:)* Postremo memorati scandalorum duces, numero quidem paucissimi, quorum plerique conditionis infimae et nominis, verae pacis odiosissimi, iniquitatem super iniquitatem apponentes, ut non intrarent in iustitiam Domini, dum Spiritus S. gratiam de Graecorum unione iam in nobis operari conspicerent, a recta linea per anfractus erroris exorbitantes, praetensam quamdam XVII Kal. Iunii proxime praeteriti sessionem fecerunt: (33.) in qua quibusdam decretis, licet per unam tantum ex tribus obedientiis post recessum Ioannis XXIII sic in eadem obedientia nuncupati Constantiae schismate tunc vigente editis, inhaerere se dicentes, tres propositiones, quas fidei veritates vocant, quasi nos et omnes principes et praelatos et alios fideles et devotos Apostolicae Sedis haereticos facerent, protulerunt, quarum tenor sequitur in haec verba: „Veritas de potestate concilii generalis universalem ecclesiam repraesentantis supra Papam et quemlibet alterum, declarata per Constantiense et hoc Basileense generalia concilia, est veritas fidei catholicae, veritas haec, quod Papa concilium generale universalem ecclesiam re-

praesentans actu legitime congregatum super declaratis in praefata veritate, aut aliquo eorum, sine eius consensu nullatenus auctoritative potest dissolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, est veritas fidei catholicae; veritatibus duabus praedictis pertinaciter repugnans, est censendus haereticus.“ In hoc perniciosissimi dum suam malignitatem sub veritatis fidei fuco colorant, Constantiense Concilium in malum ac reprobum sensum et a sana doctrina penitus alienum pertrahunt, ceterorum schismaticorum et haereticorum falsam doctrinam sequentes, qui confictos errores et impia dogmata ex divinis Scripturis et S. patribus perverse intellectis semper sibi adstruere moliuntur. Deinde avertentes penitus sensum suum et declinantes oculos suos, ne viderent coelum, neque recordarentur iudiciorum iustorum, more Dioscori et damnatae Ephesinae synodi ad quamdam venenatam execrabilemque assertae declarationis seu privationis sententiam a dignitate et officio summi apostolatus inexpiabili quodam scelere processerunt, cuius tenorem omni piae menti horribilem habere hic volumus pro sufficienter expresso, nihil omittentes, quantum in eis fuit, quin hoc incomparabile unionis bonum in totum everterent. O miseros et degeneres filios! O pravam et adulteram generationem! Quid hac impietate ac iniquitate crudelius, quid detestabilius, horribilius atque insanius excogitari poterat? Dixerant olim, nihil melius, gloriosius atque fructuosius hac sanctissima unione ab exordio nascentis ecclesiae in populo christiano visum vel auditum fuisse, neque expedire in re illa de loco contendendum fore, sed pro ea consequenda nedum huius mundi substantiam, sed et corpus atque animam exponi debere, pro hac toto orbe clamantes, et ad id commoventes populum christianum, veluti in suis decretis et epistolis plene continetur. Nunc vero tam furiose, tam impie, quantum in eis est, id idem prosequuntur, ut ad illud Basileense latrocinium totius orbis daemonia confluxisse videantur. Et licet illorum iniquitatem sibi semper mentitam Omnipotens Deus hucusque praevalere non permiserit, cum tamen ad eam complendam usque ad abominationem desolationis in Dei ecclesia viribus omnibus studeant: nos, qui sine gravissima Dei offensa ac imminenti periculo confusionis et abominationis in Dei ecclesia talia dissimulare nullo modo valemus, iuxta pastoralis officii nostri debitum, multis etiam zelo Dei succensis nos ad hoc ipsum im-

pellentibus, tantis malis obviare volentes, ac, quantum in nobis est, optime et salubriter providere, execrabilemque impietatem ac pestem perniciosissimam a Dei ecclesia eliminare, praedecessorum nostrorum sequentes vestigia, qui, ut scribit sanctae memoriae Nicolaus Papa, soliti sunt concilia etiam universorum Pontificum nequiter celebrata cassare, sicut in universali contigit Synodo Ephesina secunda, quam beatissimus Leo Papa submovit, et Chalcedonensem instituit: solemne et salubre declarationis decretum contra sacrilegos ipsos auctoritate Apostolica in sacro Ferrariensi generali Concilio XV Kal. Martii per nos editum, hoc sacro approbante concilio, innovamus: per quod quidem inter alia omnes et singulos Basileae sub praetensi concilii nomine, quod verius conventiculum esse diximus, contra translationem et declarationem nostram contravenientes, et illa scandalosa et nefaria praesumentes, — excommunicationis etc. poenas — incidisse declaravimus. — Datum Florentiae in sessione publica synodali — pridie Nonas Septembris A. 1439.

693. **Nicolaus V PP.** *rescindit acta omnia discordiarum inter Eugenium IV PP. et Concilium Basileense, a. 1449.* Tanto nos pacem et tranquillitatem cunctorum fidelium procurare et amplecti convenit, quanto desideramus fructus uberrimos inde sequi. In eo quippe cor nostrum svavissime delectatur, quod diebus nostris sanctam Dei Ecclesiam in pacis et unionis pulchritudine ac debita integritate florentem videre valeamus. Cum itaque superioribus temporibus propter divisiones subortas inter fel. rec. Eugenium Papam IV praedecessorem nostrum, et tunc Basileense Concilium, plurimum turbata ac variis modis afflicta fuerit Ecclesia Dei; iam autem divina favente ac dirigente clementia, tractatu oratorum cariss. in Chr. fil. nostr. Francorum, Angliae, et Siciliae Regum, nec non Delphini Viennensis primogeniti Francorum regis, pacem Ecclesiae redditam agnoscimus, dum percipimus vener. et cariss. fratrem nostrum Amedeum, primum Cardinalem Eppum Sabinensem, in nonnullis provinciis Ap. Sedis legatum vicariumque perpetuum, Felicem Papam V tunc in obedientia nuncupatum, iuri, quod in Papatu asserebat se habere, ad huiusmodi pacem Ecclesiae obtinendam cessisse: eos vero, qui Basileae, postmodum Lausannae, sub nomine generalis concilii hactenus permanserunt, ordinasse ac publicasse, nobis tamquam unico et indubitato Pontifici summo obediendum esse a cunctis

fidelibus, et praefatam Lausannensem dissolvisse congregationem. Cupientes igitur, quantum Omnipotens donaverit, id agere, quo universi Christi fideles ipsius pacis iucunditate fruentes, animorum coniunctione sibi invicem cohaereant, et reiectis, quae ex discordia orta fuerant, status uniuscuiusque honor, fama et reputatio illaesi et integri remaneant: literas, processus, mandata et decreta quaecunque — per praefatum Eugenium praedecessorem nostrum — data, — etiamsi cum expressione, approbatione Ferrariensis seu Florentini aut alterius concilii generalis, sive per nos, sive per alium, — contra dictum Basileense concilium, et eos, qui sub nomine generalis concilii tam in Basileensi quam in Lausannensi civitatibus fuerunt: — motu proprio, ac de Sedis Ap. potestatis plenitudine, nec non de ven. fr. nostr. S. R. E. Cardinalium consilio et assensu decernimus et declaramus nullum effectum penitus sortiri, sed perinde habere, ac si nullatenus emanassent. — Datum Spoleti XIV Kal. Iulii, 1449. — **Harduini** *Concil.* VIII. 1109. ss. 1571. ss. IX. 421. 734. 1004. 1337. — Item **Bullarium** *edit. Taurin.* V. 40.

694—696.

Eugenii IV PP. decretum super unione **Armenorum** cum Ecclesia Romana, A. 1439.

694. MON. Exultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob omnes, qui ubique nomine censemini christiano. Ecce enim iterum recordatus Dominus misericordiae suae, alium dissidii lapidem nongentis et amplius inveteratum annis de Ecclesia sua auferre dignatus est, et qui facit concordiam in sublimibus, et per quem in terra pax est hominibus bonae voluntatis, optatissimam *Armenorum* unionem sua ineffabili miseratione concessit. — Nam et pridem magnam illam Graecorum unionem, multas longe lateque continentium nationes et lingvas, hodie vero hanc ipsam Armenici populi, qui per Septemtrionem et Orientem in magna copia diffusus est, in eodem fidei et caritatis vinculo cum Sede Apostolica stabilivit. — Laudemus iugiter et toto corde benedicamus Domino, qui fecit mirabilia magna solus, ipsique psallamus spiritu, psallamus et mente, oreque et opere, quantum sinit humana fragilitas, pro tantisque muneneribus gra-

tias agamus, orantes et obsecrantes, ut quemadmodum ipsi Graeci atque Armeni unum cum Ecclesia Romana effecti sunt, ita fiant et ceterae nationes, praesertim Christi charactere insignitae, et totus denique populus christianus omnibus odiis bellisque extinctis mutua invicem pace et fraterna caritate quiescat et gaudeat. Ipsos autem Armenos magnis laudum praeconiis dignos esse merito censemus. Utprimum enim a nobis ad Synodum accersiti sunt, tamquam ecclesiasticae avidi unitatis, spectabiles, devotos et doctos oratores suos cum sufficienti mandato, de suscipiendo videlicet quidquid Spiritus S. hanc S. Synodum illustraverit, ex remotissimis regionibus per multos labores marisque pericula ad nos et hoc S. Concilium destinarunt. Nos vero tota mente, ut nostrum pastorale decebat officium, cupientes tam sanctum perficere opus, saepe cum ipsis oratoribus de hac sancta unione contulimus, et ne prava huic sanctae rei dilatio fieret, deputavimus de omni statu huius S. Concilii viros iuris divini et humani doctissimos, qui cum omni cura, studioque et diligentia rem istam cum istis pertractarent oratoribus, ab eis accurate inquirentes eorum fidem, tam circa divinae unitatem essentiae et divinarum personarum Trinitatem, quam D. N. I. C. humanitatem, et septem Ecclesiae Sacramenta, et alia ad fidem orthodoxam et ritus universalis Ecclesiae pertinentia. Multis itaque adhibitis disputationibus, collocutionibus, et tractatibus, post non mediocrem testimoniorum inspectionem, quae ex sanctis Ecclesiae Patribus et doctoribus deducta sunt, et earum, de quibus agebatur, rerum discussionem tandem expedire iudicavimus, ne ulla in futurum de fidei veritate apud ipsos Armenos haesitatio esse valeat, atque idem per omnia sapiant cum Sede Apostolica, unioque ipsa stabilis et perpetua sine ullo scrupulo perseveret, ut sub quodam brevi compendio orthodoxae fidei veritatem, quam super praemissis Romana profitetur Ecclesia, per hoc decretum sacro hoc approbante Florentino Concilio, ipsis oratoribus ad hoc etiam consentientibus, traderemus. *(Sequitur compendium doctrinae catholicae, et demum Papa sic concludit:)* — His omnibus explicatis praedicti Armenorum oratores nomine suo et sui patriarchae et omnium Armenorum hoc saluberrimum synodale decretum cum omnibus suis capitulis etc. omnemque doctrinam in ipso descriptam, nec non *quidquid tenet et docet S. Sedes Apostolica et Romana Ecclesia,* cum omni devotione et obedientia

acceptant, suscipiunt et amplectuntur. Illos quoque doctores et s. patres, quos Ecclesia Romana approbat, ipsi reverenter suscipiunt. Quascunque vero personas, et quidquid ipsa Romana Ecclesia damnat et reprobat, ipsi pro reprobatis et damnatis habent; profitentes tamquam verae obedientiae filii ipsius Sedis Apost. ordinationibus et iussionibus fideliter obtemperare. Datum Florentiae a. 1439. decimo calendas Decembris. (22. Nov.) — **Bullarium** *edit. Taurin.* V. 44.

695. *Eiusdem PP. decretum super unione* **Iacobitarum** *in Aegypto. A. 1441.* Cantate Domino, quoniam magnifice fecit; annunciate haec in universa terra; exulta et lauda habitatio Sion, quoniam magnus in medio tui S. Israel. Cantare profecto et exultare in Domino decet Ecclesiam Dei pro hac grandi magnificentia et gloria nominis sui, quam hodierna die clementissimus Deus operari dignatus est. — Ecce enim nondum exacto triennio, in hac s. oec. synodo saluberrimam trium magnarum nationum unionem Dominus N. I. C. pro sua infatigabili pietate ad commune perenneque totius christianitatis gaudium tam copiose effecit: unde actum est, ut totus fere Oriens, qui gloriosum Christi nomen adorat, ac non parva Septemtrionis portio post longa dissidia cum S. Romana Ecclesia in eodem fidei et caritatis vinculo iam convenerint. Primo etenim Graeci et ii, qui subsunt quatuor patriarchalibus sedibus, multas gentes nationesque et idiomata continentibus; deinde Armeni, multorum populorum gens; hodie vero *Iacobini,* magni etiam per Aegyptum populi, S. Sedi Apostolicae uniti sunt. — Et quoniam qui opus Dei diligenter exercet, non modo meritum ac retributionem in coelis expectat, sed apud homines amplam gloriam laudemque meretur, ven. fr. nostrum Ioannem Iacobinorum Patriarcham huius sanctae unionis cupidissimum a nobis et tota Ecclesia merito laudandum et extollendum, ac communionum christianarum favore cum tota sua gente dignum iudicamus. Is enim a nobis per nostrum oratorem ac literas excitatus, ut ad nos et hanc S. Synodum legationem mitteret, et se ac suam gentem in eadem cum Ecclesia Romana fide uniret, dil. fil. Andream natione Aegyptium, Abbatem monasterii S. Antonii apud Aegyptum, in quo et habitasse et mortuus esse ipse S. Antonius perhibetur, religione et moribus non mediocriter institutum ad nos et ipsam Synodum destinavit, cui devotionis zelo accensus imposuit atque

commisit, ut fidei doctrinam, quam S. Romana Ecclesia tenet et praedicat, nomine ipsius Patriarchae et suorum Iacobinorum reverenter susciperet, deferendam postea per eum ad ipsum Patriarcham et Iacobinos, ut et ipsi eandem agnoscerent, ratamque haberent et in suis regionibus praedicarent. Nos igitur, quibus voce Domini commissum est pascere oves Christi, ipsum Andream Abbatem per nonnullos huius tam sacri concilii insignes viros super articulis fidei et sacramentis Ecclesiae et quibuscunque ad salutem spectantibus diligenter examinari fecimus, et tandem, quantum visum est fore necessarium, exposita eidem Abbati S. R. Ecclesiae fide catholica, et per ipsum humiliter acceptata, hanc, quae sequitur, veram necessariamque doctrinam hodie in hac solemni sessione sacro approbante Oec. Concilio Florentino, in nomine Domini tradimus. *(Sequitur fusa expositio doctrinae catholicae, tum prosequitur Pontifex:)* — His omnibus explicatis praedictus Andreas Abbas nomine dicti Patriarchae ac proprio et omnium Iacobinorum hoc saluberrimum synodale decretum — nec non *quidquid tenet et docet S. Sedes Apostolica et Romana Ecclesia,* cum omni devotione et reverentia suscipit et acceptat. — Lecto solenniter in praesenti synodo hoc decreto latino sermone, mox in arabico praefatus Andreas Abbas ipsorum Iacobinorum decretum publice ibidem perlegit, atque infrascripta verba in scriptis arabice subiunxit, quae in continenti latine recitata sunt: „Beatissime Pater, Domine Eugeni, S. Rom. et univ. Ecclesiae Summe Pontifex, vereque Christi Vicarie ac beati Petri successor, et ss. universalis Florentina Synodus! totum hoc sanctum decretum cum insertis et sanctis decretis unionis Graecorum et Armenorum, quod nunc in vestra praesentia publice lectum est, ego Andreas, humilis Abbas S. Antonii, orator rev. Patris D. Ioannis Patriarchae Iacobinorum, habens ipsius decreti per plures dies plenam notitiam et instructionem, cognosco, confiteorque omnia in ipso decreto contenta divinae ac catholicae veritati consona existere. Nomine igitur praefati D. Patriarchae omniumque Iacobinorum ac meo, quemadmodum vestra sanctitas attestatur, praefatum saluberrimum synodale decretum — cum omni devotione et reverentia suscipio et accepto. —“ Datum Florentiae a. 1441. pridie nonas Febr. (4. Febr.) **Bullarium** *edit. Taurin.* V. 58.

696. **Patriarcha CPnus Graecorum** *exequitur decre-*

tum unionis in Syn. Florentina stabilitae per literas ad omnes Eppos sui ritus dimissas a. 1441. Metrophanes, divina miseratione AEppus CPoleos novae Romae et oecumenicus Patriarcha etc. Inscrutabili iudicio divino per votum s. Synodi Metropolitanae Cyzicensis ad sublimem Patriarchalem CPnam Sedem evecti, et super vos omnes supremam auctoritatem adepti, eventum hunc vobis annunciamus, ut iuxta sacrum morem nostri in diptychis S. Liturgiae meminisse noveritis. Quum autem nos scopo procurandae sacrae unionis Ecclesiarum Christi in Italia fuerimus, cupimus Vos paucis desuper edocere, qui ceteroquin per communicanda vobiscum authentica Concilii acta eatenus uberius informabimini. Noveritis itaque, Dei gratia cooperante Unionem iam perfectam esse, nullumque amplius inter nos et Latinos scandalum separationis subversari, sed esse invicem amicos et fratres. Nam post institutas in S. Concilio Florentino respectu dubiorum inter nos et Latinos occurentium plures investigationes et concertationes adinventum est: quod in scriptis Sanctorum Patrum Occidentalium, quos et nos colimus tamquam magnos Ecclesiae Doctores, id ipsum circa processionem Spiritus S. quoad formulam et doctrinam contineatur, quod Latini hodiedum tenent. Ex hac causa nos cum iis univimus, et sumus iam per Dei gratiam unum ovile sub uno supremo Pastore Iesu Christo Salvatore nostro. Siquidem vero iuxta receptum Ecclesiae morem Pontificis quoque Eugenii in sacris diptychis mentionem iam faciamus, committimus vobis, ut sacram hanc Unionem amplectendo, et Deo pro obtenta pace ac communione Christifidelium debitas agatis gratias, et Sancti Pontificis memoriam faciatis, et omnia decreta S. Synodi promte exequamini, eo alioquin subintellecto, quod nos porro quoque libros nostros rituales sacramve liturgiam retineamus, quin ulla in eis mutatio fieri debeat. — Datum CPli mense Iunio, indictione tertia, a. 1441. — — **Pitzipios-Bey** *die Orientalische Kirche.* Wien, 1857. p. 228.

697.

Declaratio **Eppi Meldensis** nomine Gallorum facta de eo: quod decreta Synodi Basileensis quoad supremam Conciliorum potestatem edita monarchiam Ecclesiae abolere ac supprimere contendant. A. 1441.

MON. Nimio fervore resistendi Basileenses ad hanc vesaniam devenerunt, quod supremam potestatem in uno supposito consistere negent, sed eam in multitudine collocant, et sic pulcherrimam monarchiam Ecclesiae, quae Christianos hucusque tenuit in unitate fidei, in una professione Religionis Christianae, in uno ritu Sacramentorum, in una observantia mandatorum, in iisdem ceremoniis divini cultus, atque pacem et tranquillitatem asseruit, nunc abolere et supprimere contendunt, nobilissimam politiam ad democratiam vel aristocratiam redigentes. — Et hoc animadvertens Rex Christianissimus, vehementi dolore ingemiscit, ac consulto Praelatorum et aliorum multorum sapientum regni sui videtur sibi, quod nullum est aptius remedium ad hoc schisma exstirpandum, quam evellere ac disperdere duas extremitates, ad quod faciendum necessarium est Concilium Generale. Porro Concilium Basileense unam extremitatem nimis exacuit, quando veritatem de suprema potestate in uno extingvere pertentavit. Concilium autem Florentinum bene hanc veritatem lucidavit, ut patet in decreto Graecorum. — **Sfondrati** *Gallia vindicata,* 1702. p. 778.

698.

Calixtus III PP. Graecis sacerdotibus iniungit: ut in ecclesiis suis nomen Summi Pontificis sub Missarum solemniis exprimant, et pro felici statu S. Romanae Ecclesiae orent, A. 1457.

MON. Reddituri de commisso nostrae sollicitudini grege fidelium Illi, qui nobis licet immeritis eundem sua bonitate commisit, in extremo iudicio rationem, summis, ut tenemur, studiis illos, quos plerumque a fidei Catholicae saluberrimis institutis tortuosus coluber, humani generis aemulus, venenosis suggestionibus divertere et deviare molitur, Salvatori nostro, qui non mortem sed conversionem et vitam desiderat peccatorum, restituere, et ad viam veritatis, quae Christus est, reducere procuramus, atque toto nisu exquirimus id pro eorum salute et reductione efficere, per quod animarum suarum profectibus consulatur, nosque in ratione reddenda divinae iustitiae possimus evadere ultionem. Sane licet nostris temporibus, dum minori fungeremur officio, orientalis Graecorum ecclesia in Concilio Generali per Latinos et Graecos Florentiae celebrato sacrosanctae Romanae Ecclesiae coniuncta fuerit et unita, quia tamen inter cetera ex his, quae in ipso Concilio sancita et salubriter decreta fuerunt, aliqua per ipsos Graecos, quemadmodum fieri decebat, minime observantur: cupientes pro salute animarum decreta praedicta ad cunctorum notitiam deduci, et ea ubilibet inviolabiliter observari, ne oblivione incuriaque causantibus successu temporis a memoria excidant, et neglectui data vilescant, ac periculum pariant animarum, auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus et ordinamus, quod exnunc in antea *omnes et singuli presbyteri et sacerdotes Graeci ubilibet existentes infra missarum solemnia nomen Romani Pontificis in loco deputato alta et intelligibili voce exprimere, ac pro ipsius et S. Rom. Ecclesiae incolumitate statuque pacifico orare teneantur et debeant* iuxta doctrinam Salvatoris nostri, qui in Petri et Aposto-

lorum personis figurate nos instruit, dicens: Qui vos recipit, me recipit, et qui recipit me, recipit patrem meum. Ex quo recte elicitur, Petrum et successores suos recipientes beatitudinem adepturos. De Petro enim super alios dixit: quia post Apostolos Cephas et Caput in Ecclesia universali mansurus erat; cuius oppositum ipsa Veritas in eodem loco disseruit, cum ait: qui non recipit vos, non recipit me, et qui non recipit me, non recipit patrem meum. Ex quo pariformiter infertur, tales incurrere damnationem aeternam; de quo iterum Salvator pulcre in Evangelio clarius exprimit dicens: Oves meae vocem meam audiunt et ego cognosco eas, et meae cognoscunt me, et ego do eis vitam aeternam. Vox enim Christi a fidelibus auditur, cum in ore sacerdotum nomen Vicarii Iesu Christi, qui ipsius vices gerit in terris, et cui pascendarum ovium cura commissa est, publice nunciatur. Omnes namque per obedientiam pastorem agnoscunt, pastor vero Summus Pontifex, claviger et ostiarius regni coelestis et ostium paradisi aperit, et ad perpetuae beatitudinis pascua fideles per mandatorum semitas incedentes salubriter introducit; *divino* namque *iure sancitum est, ac omnium sacrosanctae ecclesiae catholicae doctorum sententia comprobatum, ut singula membra Capiti, id est, Romano Pontifici apostolico se debeant per omnia conformare, a quo nostrum est quaerere, quid credere, quid tenere debeamus, quoniam ipsius solius est statuere, disponere, solvere et ligare, qui vice Christi fungitur, et ab eo vobis in pastorem dedicatus existit, cui omnes Primates, AEppi et Eppi ceterique christicolae tamquam indubitato Vicario Iesu Christi obtemperant.* Demum ut illa vetustissima, periculosaque et damnanda opinio in eodem et aliis Conciliis continuo reprobata, qua nonnulli minus veraciter affirmare praesumebant, Spiritum S. a Patre solo procedere, penitus eradicari valeat, et quod S. Romana Ecclesia profitetur, tenet pariter et affirmat, eundem videlicet Spiritum S. ab eodem Patre et Filio taliter procedere, sicuti beatus Athanasius lumine eiusdem Spiritus illustratus edocuit dicens: eundem Spiritum S. non factum, non creatum, non genitum, sed ex Patre et Filio aeternaliter procedere, pectoribus singulorum fidelium pro eorum salute et directione inseratur: similiter statuimus ac etiam ordinamus, quod iidem presbyteri et sacerdotes, dum infra earumdem missarum sacra solemnia symbolum ex ordinatione ecclesiae canunt

aut dicunt, illud integre secundum ritum eiusdem Romanae Ecclesiae intelligibiliter dicere teneantur et debeant, videlicet: qui ex Patre Filioque procedit. Alioquin omnes et singulos, qui huic articulo orthodoxae fidei, ad nostram profecto salutem necessario et in tot ss. patrum Conciliis iteratis vicibus approbato contradicere praesumserint, aut eiusdum cath. ecclesiae institutionem observare recusaverint vel malitiose neglexerint, sententias, censuras et poenas in eisdem et praecipue Florentino Conciliis in tales generaliter latas, inflictas et promulgatas, et anathema 318 patrum, nisi a praemissis erroribus resipiscere, et unitati eiusdem ecclesiae se per omnia illico conformare studuerint, incurrere volumus ipso facto. Quapropter ne per taciturnitatem posterioris temporis mentes fidelium ab istius credulitate articuli fiant damnabiliter longiores, districte praecipimus et mandamus, quatenus processio Spiritus S. a sacerdotibus Graecis explicite et manifeste ponatur in symbolo, ut fides ad iustitiam teneatur in corde et ad salutem omnium eius fiat oris confessio, se tamquam filii obedientiae semper S. Rom. Ecclesiae matri suae per omnia conformantes, ut fiat unum ovile et unus pastor iuxta ipsius sententiam Salvatoris. — Datum Romae 1457. tertio Non. Sept. — **Bullarium** *edit. Taurin.* V. 139. et: **Theiner** *Monum. Hungar.* II. 300.

699.

Callistus III PP. damnat appellationes a Papa ad Concilium, A. 1457.

MON. *Dil. filio Alano tit. S. Praxedis Cardinali.* Non admiraberis, si parumper commoveri videamur, quod rebus inexpletis regnum Franciae deserueris: parum enim prodesset agendis negotiis bona dedisse principia, nisi recto fine clauderentur; nam quod antea pro tua circumspectione et providentia exactionem decimae obtinueris, id tibi magnam tribuit laudem et commendationem: verum cum nobis significaveris, ab *Universitate Parisiensi,* et provincialibus *Rotomagensibus,* atque aliis quibusdam diversas appellationes fuisse interpositas ad turbandam de-

cimae exactionem, quae pro tanta fidei necessitate et tam salutari Christianorum remedio imposita est, ut haereticum sit et detestabile illi in aliquo contravenire, ferre non debueras ausus tam temerarios, utpote de potestate Sedis Apostolicae male sentientes, cum ad futurum generale concilium quasi ad aliquod maius tribunal appellare viderentur. Nam quid agent variae praesertim in ipsa Universitate nationes, si te discedentem audiverint, nisi ut omnes Christianitatis provinciae eorum exemplo in hunc labantur errorem, cum nemo sit, qui eorum temeritatem melius compescere possit; habes enim brachii secularis assistentiam regio promisso ac literis firmatam; munitus es etiam ad id ultra tuae legationis potestatis plenas literas super his et aliis nostra facultate, quam pridem tibi transmisimus contra Parisienses et alios, ut petiisti, et de praesenti replicamus; novisti praeterea mores eorum hominum et conditiones rerum omnium a te gestarum, quae numquam alteri mittendo unquam possent accidere. Quare volumus, et circumspectioni tuae harum serie — committimus et mandamus, ut statim redeas ad Regem, et opportunis ab eo receptis suffragiis, et si opus sit, Parisios te conferas, ac Universitatem et quoslibet alios modis omnibus cogas et compellas ad revocandum appellationes huiusmodi, et reprimendum eorum audaciam, nec aliqua utaris excusatione, quin ante tuum reditum hoc perficias; quoniam nullatenus pati decrevimus, quod tales appellationes suspensae maneant et impunitae, certificantes te, nihil esse, quod in visceribus cordis nostri magis fixum habeamus, adeo ut dies noctesque nihil fere aliud cogitemus; voluissemusque quod posteaquam morbum significaveris, medicinam huic morbo aptam per te exhibitam et executioni mandatam, ubi de tanto et enormi praeiudicio agitur, ut praefertur, ad tui honorem et nostri ac Sedis Apostolicae consolationem notificasses. Decet enim, et maxime legatum de latere, potius remedium, provisionem, et vindictam, quam factum absque medela exhibita congruenti Principi Apostolico intimare. Ad hoc pulcher textus beati Gregorii Papae et valde ad propositum ‚C. XXVII. q. 1. Si homo esses'; quem legas et memoriae commendes. Cui optime concordat quaedam lex Imperatoris, inquientis: ‚prius vindictam criminis, quam crimen nobis significare debuisses.' Supplendo igitur quae tu facere debueras, ne penuria debitae provisionis et canonicae responsionis videamur

declinare certamen, et ius nostrum et Sedis Apostolicae, qui subditorum iura defendimus, negligere videamur: revocatis, cassis et nullis declaratis argutis et malevolis illis assertis, appellationibus et provocationibus, et quibusvis inde secutis, de fratrum nostrorum consilio opportunas bullas expediri mandavimus, tibique eas mittimus, ut debitae executioni, prout tibi videbitur expedire, et in eis contenta demandes, et demandari facias ubique iuxta ipsarum seriem et tenorem; providetur enim generaliter contra tales, etsi acrius meruissent. Satis civiliter exhortamur etiam Regem, ut tibi assistat suffragiis opportunis, ne in regno tam catholico et Rege Christianissimo macula ponatur in gloria sua; nam quod ratione caret, et pestilens morbus, radicitus exterminari necesse est; et licet cupiamus decimam solvi, et cruciatam exigi in regno, magis ac magis cupimus tam pestiferam appellandi et verius profanandi malitiam evellere et penitus eliminare. — **Raynaldus** *ann. Baron.* ad a. 1457.

700.

Idem PP. protestatur contra avocationem quaestionis super primatu Lugdunensi ad decisionem civilis vel ecclesiastici magistratus Gallici, A. 1458.

Dudum exortas controversias super primatiali iure, quod Lugdunensis AEppus in Rothomagensem coarchieppum suum habere praetendebat, graves et ambiguas, cum de auctoritate sedium, de vi apostolicorum privilegiorum, et de interesse Apostolicae Sedis agi videretur, merito existimantes, et divinae legis praecepta sequentes, alicui ex levitico ordine demandandas, et apud Sedem Apost. examinandas terminandasque censuimus, et dil. filio nostro Dominico tit. S. Crucis Cardinali commisimus fine debito terminandas: qui in eisdem rite et recte procedens per definitivam sententiam Rothomagensem Ecclesiam eiusque suffraganeos atque suppositos Romanae Ecclesiae immediate et nulli alteri primatiali iure subesse, ipsi AEppo Lugdunensi super praetenso primatiali iure perpetuum silentium imponendo, pro-

nunciavit; quae quidem sententia, nulla saltem legitima provocatione suspensa, in rem transivit iudicatam. Verum, sicut accepimus, quidam ecclesiastici atque seculares Magistratus regni Franciae veterum traditionum et sacrorum canonum immemores, vel, ut verius dicamus, contemtores, praetextu improbatae consvetudinis vel cuiuslibet privilegii denuo praedictas controversias extinctas suscitare, et earum sibi cognitionem vendicare, et, quod gravius est, in praeiudicium rei apud Sedem Apost. iudicatae atque finitae, procurantibus etiam, ut asseritur, AEppo seu commendatario, et administratore, officialibus, syndicis ac procuratoribus dictae Lugdunensis ecclesiae, qui legitimo victi iudicio in opprobrium matris suae Apost. Sedis ac ss. canonum contemtum ad peregrina et secularia iudicia audent convolare, inhibitiones et mandata poenalia decernere ac fulminare, et decerni facere ac procurare praesumunt, et executionem dictae sententiae ac libertatem Rothomagensis Ecclesiae, imo ius et auctoritatem Romanae et Apost. Sedis persequentes, Rothomagensem AEppum ac eius suffraganeos exquisitis artibus molestant, atque perturbant, non intelligentes se sine crimine sacrilegii huic sedi concessa usurpare aut illius privilegia ab ipso summo omnium ecclesiarum capite tradita non posse perfringere: quod proculdubio faciunt, cum de primatu metropolitanarum, cathedralium, seu provincialium sedium sibi cognitionem usurpant in illius Sedis praeiudicium, quae omnium sedium iura ac dignitates instituit, quae etiam singulis ecclesiis sicut terminos atque dioeceses, sic praeeminentiae ac iurisdictionis legem imposuit. Attendentes quoque, de vi privilegiorum apostolicorum, praesertim ubi Ecclesiae Romanae vertitur interesse, iuxta canonicas sanctiones a nemine inferiori posse iudicari, sed eius esse interpretari cuius et condere; admirantes item huiuscemodi iudicum insolentiam, cum et lex eorum, quam sub nomine pragmaticae sanctionis licet minus legitime praescripserint, dum causas ecclesiasticas in partibus terminari vult, maiores causas nominatim excipit; nec valentes tantam Apost. Sedis iniuriam sub dissimulatione transire: auctoritate Apostolica sub interminatione divini iudicii et sub excomm. poena, quam contravenientes incurrere volumus ipso facto, omnibus et singulis tam eccles. quam secul. iudicibus, quocunque nomine censeantur, regiis quoque consiliariis, curiis iudicialibus, — sed et AEppo seu commenda-

tario, atque administratori, Capitulo — Lugdunensis Ecclesiae districtius inhibemus, ne de praetenso primatiali iure aut de causis praedictis in praeiudicium rei iudicatae se directe vel indirecte quaesito colore intromittant, aut impediri seu intromitti procurent etc. — **Raynaldus** *Ann. Baron.*

701.

Pius II. Papa reiicit appellationes a Romano Pontifice ad Concilium. A. 1459.

MON. Execrabilis et pristinis temporibus inauditus tempestate nostra inolevit abusus, ut a Romano Pontifice, Iesu Christi Vicario, cui dictum est in Persona B. Petri: pasce oves meas, et: quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; nonnulli spiritu rebellionis imbuti, non sanioris cupiditate iudicii, sed commissi evasione peccati, ad futurum Concilium provocare praesumant: quod quantum sacris canonibus adversetur, quantumque Reipublicae Christianae noxium sit, quisquis non ignarus iurium intelligere potest. Namque ut alia praetereamus, quae huic corruptelae manifestissime refragantur, quis non illud ridiculum iudicaverit, quod ad id appellatur, quod nusquam est, neque scitur quando futurum sit? Pauperes a potentioribus multum opprimuntur, remanent impunita scelera, nutritur adversus primam Sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, et omnis ecclesiastica disciplina et hierarchicus ordo confunditur. Volentes igitur hoc pestiferum virus a Christi Ecclesia procul pellere, et ovium nobis commissarum saluti consulere, omnemque materiam scandali ab ovili nostri Salvatoris arcere, de ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, cunctorumque Praelatorum, ac divini et humani iuris interpretum, Curiam sequentium, consilio et assensu, ac certa nostra scientia, huiusmodi provocationes damnamus, et tamquam erroneas ac detestabiles reprobamus, cassantes et penitus annullantes, si quae hactenus taliter interpositae reperiantur, easque tamquam inanes ac pestiferas, nullius momenti esse decernimus et decla-

ramus. — — Datum Mantuae anno 1459. die 18. Ianuarii, Pontif. nostri anno secundo. — **Bullarium** *edit. Taurin.* V. 149.

702.

Pius II Papa retractat, quae ante Pontificatum contra supremam Rom. Pontificis auctoritatem egit scripsitque. A. 1463.

MON. In minoribus agentes, non sacris ordinibus initiati, cum Basileae inter eos versaremur, qui se Generale Concilium facere, et universalem Ecclesiam repraesentare aiebant, dialogorum quemdam libellum ad vos scripsimus, in quo de auctoritate Concilii Generalis, ac de gestis Basileensium, et Eugenii Papae contradictione, ea probavimus vel damnavimus, quae probanda vel damnanda censuimus, quantum cupiebamus, tantum defendimus, aut oppugnavimus; nihil mentiti sumus, nihil ad gratiam, nihil ad odium retulimus, existimavimus bene agere, et recta incedere via, nec mentis nostrae aliud erat obiectum, quam publica utilitas et amor veri. Sed quis non errat mortalis? Sapientem inquiunt Philosophi numquam errare, verum est. At qui sapiens, nisi bonus? quis bonus, nisi solus Deus? omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, inquit Propheta Regius. Declinavimus et nos ab utero matris, erravimus in invio, et non in via; ambulavimus in tenebris, et procul a vera luce recessimus, nec nobis tantum erravimus, alios quoque in praecipitium traximus, et coecis ducatum praebentes coeci cum illis in foveam recidimus. Forsitan et aliquos ex vobis scripta nostra decepere, et in devia deduxerunt, quorum sangvinem si de manibus nostris requisierit Dominus, non habemus quod respondere possimus, nisi nos ut homines peccavisse, qui arbitrantes rectum iter ostendere, obliquum monstravimus. In misericordia tantum Dei spes nostra sita est, quae super omnia opera eius elucet. Sed haudquaquam satis fuerit divinam misericordiam implorare et dicere: parce Domine, parce peccatis nostris; nisi pro viribus vulnera, quae diximus, veritate curare annitamur; et sic est in fabulis: sa-

gitta, quae vulneravit, afferat opem; sive ut canit Ecclesia: medelam inde ferat, hostis unde laeserat. Mortem quidam prius sibi consciverunt, quam videri velint aliquando male sensisse, et nonnulli ne vel ad horam videantur errasse, semper errant, et dum vel minimam tolerare honoris iacturam nequeunt, totum abiiciunt, et perpetua notantur infamia, et in pessimas prolabuntur haereses: qui ne appareant inconstantes, pertinaces efficiuntur. Superbissimi hoc agunt qui videri dii, non homines volunt, quales Constantiae combusti sunt nostra aetate in magno conventu Hieronymus et Ioannes haeresiarchae.

Nos homines sumus, et homines erravimus. Neque imus inficias, multa, quae diximus, scripsimus, egimus, damnari posse: verum non ut Arius, Eutyches, Macedonius, aut Nestorius, et alia blasphoemorum turba, ex animo damnatam viam elegimus; seducti peccavimus, ut Paulus; et ignoranter persecuti fuimus Ecclesiam Dei, et Romanam primamque Sedem. Propter quod prostrati ante oculos divinae pietatis, supplices oramus: delicta iuventutis meae, et ignorantias ne memineris. Pudet erroris, poenitet male dictorum scriptorumque, vehementer poenitet: plus scripto, quam facto nocuimus. Sed quid agamus? Scriptum et semel emissum volat irrevocabile verbum. Non sunt in potestate nostra scripta, quae in multas inciderunt manus, et vulgo leguntur. Utinam latuissent, quae sunt edita; nam si futuro in seculo manserint, aut in malignas mentes inciderint, aut incautas, fortasse scandalum parient. Qui haec scripsit, inquient, in beati tandem Petri cathedra sedit, et Christi Salvatoris Vicariatum gessit, ita scripsit Aeneas, qui postea Summum Pontificatum adeptus Pius II. appellatus est, nec invenitur mutasse propositum; qui cum elegerunt, et in Summo Apostolatus vertice collocarunt, ab iis scripta eius approbata videntur. Verendum est, ne talia nostris aliquando successoribus obiiciantur, et quae fuerunt Aeneae, dicantur Pii, atque ab ea Sede auctoritatem vendicent, adversus quam ignoranter latraverunt.

Cogimur igitur, dilecti filii, beatum Augustinum imitari, qui, cum aliqua in suis voluminibus erronea inseruisset, retractationes edidit. Humilis, et probatissimi vir ingenii, qui suas ineptias verecunde confiteri, ac corrigere, quam impudenter defendere maluit. Idem et nos faciemus. Confitebimur ingenue ignorantias nostras, ne per ea, quae scripsimus iuvenes, error

irrepat, qui possit in futurum Apostolicam S. Sedem oppugnare. Nam si quem decuit unquam Romani primique throni eminentiam et gloriam defendere ac extollere: nos illi sumus, quos sine ullis meritis pius et misericors Deus sola dispensatione sua ad b. Petri solium et dilectissimi Filii sui D. N. I. C. Vicarium evocavit.

Quibus ex rebus dilectiones vestras hortamur, et in Domino commonemus, ne prioribus illis scriptis inhaereatis, aut fidem ullam praestetis, quae supremam Apostolicae Sedis auctoritatem quovis pacto elidunt, aut aliquid adstruunt, quod Sacrosancta Romana non amplectitur Ecclesia. Suadete omnibus, ut id solium prae ceteris venerentur, in quo Salvator Dominus suos Vicarios collocavit, et quod beati Apostoli Petrus et Paulus suo sangvine dicaverunt; nec putetis divinam providentiam, quae cuncta gubernat, et nihil negligit eorum, quae creavit, inordinatam reliquisse militantem Ecclesiam, quae cum sit sponsa Christi, profecto a Deo est, et ordinem habet, dicente Apostolo: quae sunt, a Deo ordinata esse. Requirit autem ordo, ut inferiora a superioribus gubernentur, et ad unum tandem perveniatur tamquam Principem, et moderatorem cunctorum, quae infra se sunt. Sicut grues unam sequuntur et in apibus unus est rex, ita et in Ecclesia militanti, quae instar triumphantis habet, unus est omnium moderator et arbiter, Iesu Christi Vicarius, a quo tamquam capite omnis in subiecta membra potestas, et auctoritas derivatur, quae a Christo Domino Deo nostro sine medio in ipsum influit. Nec profecto in alium tamquam sui exercitus ducem supremam auctoritatem Christus principaliter derivasset, quam in suum Vicarium, qui primus fuit Petrus, cui commissam novimus dominici gregis curam; nec duos pluresve Petros Evangelistae commemorant, nec duos aut plures instituit Dominus, qui suum locum tamquam capita tenerent aequalia: sed unum constituit, ut verticem ac ducem, et pastorem universi gregis, Simonem Petrum, dicens: tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves Regni Coelorum etc. Et: Pasce oves meas. Quae nulli alteri seorsim dicta leguntur, nisi Petro, ut in Petro unitas, et summa contineretur auctoritas, nec alius a petra dictus est Petrus, nisi Simon, ut intelligeremus, unicum esse verae et solidae petrae, id est, Christi, ut Paulus exponit, locumtenentem Simonem Petrum, qui solus pro Domino in peri-

culo constituto exemit gladium. Petrus igitur et successores eius Romani Pontifices primatum in Ecclesia tenuerunt et nos hodie, quamvis indigni, sola Domini voluntate digni tenemus, et quicunque Romanae secundum canonicas sanctiones praeficitur Ecclesiae, quamprimum electus est in Sacro Collegio, supremam a Deo potestatem sine medio consequitur, et per ordinem in omnem diffundit Ecclesiam, cuius peccata divino iudicio punienda relinquuntur. Si quid adversus hanc doctrinam inveneritis aut in dialogis, aut in epistolis nostris, quae plures a nobis sunt editae, aut in aliis opusculis nostris — multa enim scripsimus adhuc iuvenes — respuite atque contemnite, sequimini quae nunc dicimus, et seni magis quam iuveni credite, nec privatum hominem pluris facite quam Pontificem, Aeneam reiicite, Pium recipite; illud gentile nomen parentes indidere nascenti, hoc christianum in Apostolatu suscepimus.

Dicent fortasse aliqui, cum Pontificatu hanc nobis opinionem advenisse, et cum dignitate mutatam esse sententiam. Haud ita est, longe aliter actum. Audite, filii, conversationem nostram; brevis narratio erit, quae vobis, quantum ad rem attinet, veritatem aperiet, et obiectioni faciet satis. Anno salutis primo et trigesimo supra millesimum quadringentesimum cum Dominico Capranica, quem Martinus V. in secreto Consistorio Cardinalem creaverat, Eugenius IV. spreverat, Basileam petivimus, ibique Concilium inchoatum invenimus, verum ab Eugenio revocatum, quamvis congregati noluerant obedire, asserentes iam incoeptum Concilium sine Consensu Patrum, qui convenissent, haudquaquam potuisse dissolvi. Iulianus aderat S. Angeli Cardinalis, natione Romanus, moribus et doctrina conspicuus. Is cum ceteris praestaret, audita Eugenii revocatione, praesidentiam dimisit, tamquam Summo Pontifici vellet obedire; sed cum augesceret in dies, Eugenio vel invito, Concilium, et multi ex diversis regionibus Episcopi et Regum legati adventarent, Cardinales quoque ex Romana Curia profugi in dies nonnulli concurrerent, praesidentiam resumsit, et auctoritatem Concilii mirum in modum extollens, eminentiam primae Sedis supprimere coepit, venientes Eugenii legatos, et potestatem Romanorum Praesulum magnificantes, apparenter confutavit, et cum esset facundissimus, facile persuasit auditoribus quae cupiebat. Cardinales ex Urbe profecti, Eugenio infensi, vitam eius moresque carpebant. Ac-

cedebant in horas catervatim novi Curiales, qui — ut est omnis multitudo maledica et inimica Principi — Eugenii nomen modis omnibus lacerabant. Nos, qui ex patria iuvenes, non ex Urbe illuc migraveramus, et nova tum primum avis ex Senensi Gymnasio evolaveramus, rudes et inexperti, vera esse arbitrabamur, quaecunque dicebantur, nec putabamus mentiri alios, qui nesciremus ipsi mentiri, atque ut est innatum homini, tetra et horrenda crimina odio habebamus. Nec Eugenium diligere poteramus, quem tot tantique testes indignum Pontificio dicerent. Aderant legati Parisiensis Scholae, cuius est fama percelebris; affuerunt et aliquando vestri, et aliorum studiorum Germanicae Nationis Oratores, et uno cuncti ore Concilii generalis auctoritatem ad coelum efferebant. De potestate Romani Pontificis pauci erant qui loqui praesumerent, omnes qui publice loquebantur prurientes auribus multitudini applaudebant. Accessit et ipsius Eugenii consensus, qui dissolutionem Concilii a se factam revocavit, et progressum eius approbavit, cum reconciliata Synodus Eugenio videretur, et pax Ecclesiae data. Praeterita enim omnia per duas literas Concilii Patres Eugenio sese remissuros, et pedes eius tamquam b. Petri exosculaturos promiserant, si revocata dissolutione Concilio cursum permitteret, atque illi cohaereret. Novae intercessere discordiae tum aliis de rebus, tum potissime super translatione Concilii Graecorum causa in alium locum. Eugenius in Italia non sine ratione Concilium petebat, popularitas synodalis transire montes horrebat, et in Avenione, aut in Sabaudia locum desiderabat. Adiverunt per id tempus duo viri ex Italia Basileense Concilium, Nicolaus Panormitanus AEpus, et Ludovicus Pontanus Apost. Sedis Notarius, Alphonsi M. Regis oratores, qui velut duo orbis sidera, ceu Pontificii iuris, et totius civilis sapientiae duo praecipua lumina et clarissima censebantur. Hi dictis scriptisque Concilii gesta probabant, Eugenii facta damnabant, nec erat, qui aut vellet, aut auderet dicta eorum refellere. Quid ageremus? audire potuimus, non discere? rude nimis ingenium est, quod per singulos dies audita et inculcata non capit. Quales magistri sunt, tales discipuli evadere solent. Paucos invenias Aristoteles, qui Platonica norint destruere dogmata. Non est discipulus supra magistrum, inquit Dominus: nec nos magistrum potuimus superare. Iulianus nobis et Nicolaus, et Ludovicus, et alii complures fuere magistri,

schola Basileensis Conventus, in quo raro aliquis Eugenii causam defendit. Adversus Concilii dignitatem mutire aliquid, crimen haeresis fuit. Una omnium vox Concilium Eugenio praeferebat. De Sedis Apostolicae praecellentia aut silentium aut contemtus. Concilium, Concilium, cuncta sonabant. Dicimus ergo, quae audivimus, et post aliquot annos existimantes nos aliquid esse, diximus, ut est apud Satyricum: Semper ego auditor tantum? numquamne reponam? Puduit semper discipulum agere, subtraximus ferulae manum, coepimus loqui, et magistri personam induimus. Scripsimus epistolas et opuscula; hoc omnibus passim datur, docti et indocti scribunt, et quae scripsit ipse, nemo contemnit, nisi editionis fervorem tempus extinxerit; nobis placebant scripta nostra, more poëtarum, qui poëmata sua tamquam filios amant. Nec Basileae quemquam inveniebamus, qui ea damnaret, probant enim similia similes, applaudebamus nobis ipsis, et in editionibus nostris gloriabamur. Et quamquam postea Eugenius Concilium in Italiam transtulerit, et cum Graecis Ferrariae, ac demum Florentiae convenerit; quamquam Iulianus S. Angeli, et Ioannes S. Petri Cardinales, quibus plurimum credebamus, ad Eugenium defecissent; quamquam paucissimi in fide Basileensi remansissent: noluimus tamen credere, existimantes cunctos, qui abibant, metu recedere, ne bona temporalia perderent, et cum nihil haberemus, quod nobis auferri posset, perseverandum putavimus, ne partem quae verior nobis apparebat, relinquentes detrimentum animae faceremus. Mansimus igitur Basileae, quoad Eugenio, ut credidimus, iusto iudicio deposito, Amadeus Sabaudiensis suffectus est, et Felix V. appellatus, quem non ut idolum, quod erat, sed tamquam verum Christi Vicarium venerati sumus, nihil ad haec sinistri putantes intercessisse. Ad cum Fridericus Romanorum Rex Aquisgrani coronatus domum repetens Basilea transitum fecisset, rogatusque Felicem illic praesentem accedere, nullo pacto persuaderi potuisset, ut honorem ei tamquam Romano Pontifici exhiberet, aut publice cum eo verba misceret: tum primum consideravimus, possibile esse, quod partem erroneam sequeremur, quando Rex, Imperator Romanorum futurus in tanto negotio dubius esset, et ad Eugenium inclinaret magis. Multum et saepe inter nos cogitavimus, quis esset modus inveniendi verum, numquam enim volentes erravimus. Rogati in familiam Friderici transire, non re-

nuimus. Erat tunc ille cum tota fere Germania neutralis. Concilium Basileae dicebant esse Germani, et idolum eius respuebant, nec Eugenio, nec Basileensibus plene obediebant. Placuit ad neutrales transire, ut verum apud eos liberius audiremus, et si recedendum esset ab uno extremorum, per aliquod medium transiremus ad alterum, et eorum iudicium spectaremus, qui non essent affecti causae. Mansimus in aula Friderici pluribus annis, illic varias audivimus opiniones. Neutralitatem idcirco Teutones induerant, ut concordia facilis inveniretur, non ex consilio Solonis, qui tumultuante Civitate extorrem fecit eum, qui sine parte remansit. Multa inter neutrales didicimus, quae nos antea latebant. Eugenium falso de multis accusatum invenimus, Cardinalesque, qui Basileam venerant, ob privatas inimicitias bono et sancto viro notam inurere voluisse, qui tamen cuncti postea ad eum redierunt, et veniam errati petierunt.

Forte per id tempus Iulianus S. Angeli Cardinalis, cuius supra meminimus, ex Ungaria, quae sibi decreta contra Turcas fuerat provincia, Flavinianum venit, quae hodie Vienna dicitur, praecipuum Austriae columen; saepe cum eo sermonem pro veteri consuetudine miscuimus, saepe de rebus Basileensibus disputavimus, tuebamur antiquam sententiam, ille novam defendebat; extollebamus generalis Concilii auctoritatem, ille Apostolicae Sedis potestatem magnopere collaudabat; dicebamus Concilium Basileense iure perseverasse, quamvis Eugenius praesidentes revocasset, et hoc eius factum accusabamus, ille dissolutum seu translatum rite Concilium affirmabat, et Basileensium opera multis modis detestabatur, Basileaeque non Synodum Ecclesiae, sed satanae et ministrorum eius synagogam remansisse dicebat. Diutina fuit inter nos concertatio, verum modestia et caritate plena. Ad extremum cum suis scriptis, dictisque Cardinalem vinceremus, premeremusque vehementer, subridens ille: „tu, inquit, Aeneas tabellis obsignatis agis mecum, et quoniam aliquando sensimus ut dicis, idcirco et hodie idem putas debere sentire, et addictos priori sententiae censes? Verum propterea non sumus liberi, quia mutare sententiam usque ad mortem possumus. Cur enim non liceat omni tempore, relicto falso, verum amplecti? fateor me dixisse et scripsisse, quae refers, verum a vero remotum errasse. Ac tu, qui, ut ais, me doctore Basileensibus credere adductus es, errantem olim

sectatus es, cur modo non sequeris recta monentem? Praesumsi de me ipso, dum essem Basileae, nimis, quamvis deceptus decepi, et credens prodesse nocui, in medio Ecclesiae docens quae non didici, coecus erravi, et in tenebris ambulavi, reliqui tandem Ecclesiam malignantium, et cum impiis sedere recusavi. Revelavit Dominus oculos meos, et consideravi mirabilia de lege sua; cognovi priorem errorem, et quantum a vero procul abiissent Basileenses, plane intellexi; adii Romanam Curiam, et Eugenio, cum fuissem rebellis, submisi cervicem, a quo misericordiam consecutus, ad unionem Graecorum navavi operam, et illis Romanae Ecclesiae reconciliatis, adversus impios Turcas legationem accepi. Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me, sed humiliatum exaltavit, quia cognito in errore non perseveravi, sed mox in viam redii, et ex magistro factus discipulus, ex magno parvus, expurgato veteri fermento, novum hominem indui, et verae matris lacte nutritus ad fontem veri perveni, quem Sancti Doctores ostendunt Graeci et Latini, quorum una vox est: Salvari non posse, qui S. Romanae Ecclesiae non tenet unitatem, omnesque illas virtutes mancas esse ei, qui Summo Pontifici obedire recusat, quamvis in sacco et cinere iacens dies et noctes ieiunet, et oret, et in ceteris videatur legem implere; quia melior est obedientia, quam victimae, et omnis anima potestatibus sublimioribus subiecta est, et Romanum Praesulem in Ecclesiae vertice constitutum esse constat, a quo nullam ex ovibus Christi exemtam novimus. Ego ad ovile redii, qui diu erraveram extra caulas, et pastoris Eugenii vocem audivi, tu si sapias, idem facies.“

Haeserunt pectori nostro verba Viri, quae saepe ad nos repetiit non sine caritate ardenti, et amore singulari. Interea ex diversis regionibus homines doctissimi Caesarem adierunt, quibuscum placidos de eisdem rebus miscuimus sermones, semper ad verum intenti, cuius est natura hominis avida. Multum profuit nobis Ionnnes Caravaialis Apostolici Pallatii auditor, natione Hispanus, qui Iuliano defuncto in titulo Cardinalatus ac Legatione successit: quocum saepe de Concilio Basileensium amice disputavimus. Nemo doctus ad Imperatorem venit, quem de his rebus in colloquium non adduceremus. Cumque Caesar ad unionem Ecclesiae procurandam in Nurimberga suae nationis Conventum instituisset, decrevissetque Summum Pontificem adhortari, ut

Constantiae novum Concilium indiceret, Legatumque mitteret; ac Basileenses pariter inducere, ut eo se transferrent, ut ibi pax Ecclesiae redderetur, primi Basileenses recusavere. Quod audiens Thomas Asselbachius ex Germanis insignis Theologus, nunc, inquit, scio Basileenses Spiritum S. non habere ductorem, quando tam aequam Imperatoris legem effugiunt; idem multi alii dixere viri doctissimi et opinione sanctitatis illustres. Quibus consideratis caligo tandem ab oculis nostris cecidit, quae velut aranearum tela verum cernere impediebat. Recognovimus errorem nostrum, venimus Romam, Basileense dogma reiecimus, Eugenio Pont. Max. caput submisimus, et reconciliati Ecclesiae Romanae, doctrinam eius imbuimus, et illud Hieronymi diximus: ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuae, id est Cathedrae Petri communione consocior. Super illam fundatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum Dominicum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. Eramusque adhuc pene laici, quando ad Eugenii obedientiam redivimus. Ex Basilea Clericali tantum charactere insigniti recessimus, nec unquam sacros induimus ordines, nisi post veritatem cognitam, Basileensi coecitate relicta. In Austria minores ordines, ac subdiaconatum, et diaconatum recepimus, in Urbe ad Presbyteratum pervenimus. Haec est conversatio nostra, per hos gradus e tenebris ad lucem migravimus. Ad quam rem non parum luminis nobis attulit Thomas Sarazanus Theologicae sapientiae celebratus ac acutissimus interpres, qui postea in summo collocatus Apostolatu Nicolai V. nomen accepit.

His auctoribus unam Ecclesiam Catholicam et Apostolicam esse didicimus matrem omnium fidelium, extra quam non invenitur salus, sponsam Christi immaculatam, in qua omnes, qui militant, finem sibi proponunt vitam aeternam. Idcirco enim in Ecclesia militanti laborant homines, et cum daemonibus tamquam hostibus pugnant, ut pacem tandem assequantur, et cum Iesu Magistro ac legifero suo in coelesti Hierusalem triumphare, ac regnare possint. Hic finis Christiano proponitur, huc omnes Ecclesiae militantis conatus, omnes leges, omnes regulae tendunt, quoniam Ecclesia quidam exercitus est Deo militans, terribilis ut castrorum acies ordinata dicitur, uni procul dubio Imperatori subiecta, ad cuius nutum cuncta referuntur. Cumque pius ac

maximus et optimus Deus in suo sangvine fundaverit Ecclesiam, eamque voluerit ad finem usque seculi perdurare, quis non dixerit in ea id regimen institutum esse, quod optimum censetur? At vero inter genera gubernationum communis Philosophorum sententia est praestare monarchiam, et Romani, quorum toto micuit orbe dignitas, quamvis erectis regibus duos annuos Consules elegerunt, et modo tribunos addidere, modo alios magistratus invenere; in adversis tamen casibus, bellisque gravioribus ad unum aliquem recurrerunt, virtute et auctoritate praestantem, quem Dictatorem appellaverunt, cuius dicto non liceret adversari, et quamquam dictaturam ab initio temporaneam instituerunt, in Iulio tamen et successoribus eius perpetua effecta est. Nec unquam Romana res admirabilior aut celsior fuit, quam sub Augusto Caesare, quando iam clausis Iani portis totus fere orbis sub unius hominis gubernatione quievit. Quo tempore natus mundi Salvator monarchicum regimen ceteris praetulisse videtur gubernationibus. Idem probat totius fere orbis consuetudo, cuius maximam partem gubernant Reges, sive Christianos intueamur, sive barbaros. Et quamvis Civitates aliquot reperiantur, quae cum maxime serviant, liberas sese vocitant, sine rege viventes, non possunt tamen effugere, quin unum praeferant aliis, eique tamquam capiti pro tempore obediant. Quid plura? Coelestis aula nos admonet. Quid illa pulchrius? quid ordinatius? quid maius aut durabilius? quid melius aut beatius? Quamvis in ea et Angelorum diversi sint ordines, et sanctorum spirituum innumerabiles chori, unus est tamen omnium Rex aeternus Deus, qui condidit universa, et nihil negligit eorum, quae condidit, cuius filius Unigenitus Christus Iesus, cum pro nostra salute venisset in hunc mundum, servili accepta forma, Ecclesiam, de qua loquimur, in Cruce patiens, suo sangvine acquisivit, et in ea usque in diem ascensionis corporaliter praesedit, et tamquam dux verus et imperator, cuncta in finem suum direxit. Et cum ascendisset in coelum, eum indubitanter sui gregis pastorem reliquit, cui dixerat: pasce oves meas, et: tibi dabo claves regni coelorum. Neque enim dixit, et non fecit, qui solus est verax. Grex Christi Ecclesia est. Pastor primus ipse Christus fuit, et pastor bonus, qui posuit animam suam pro ovibus suis. Secundus pastor Petrus extitit, ab ipso Domino institutus, atque omni potestate donatus, quae ad bene regendum commissas oves neces-

saria ducitur; alioquin Christus, qui sapientia Patris est, et omnino sapienter agit, Ecclesiae suae haud sapienter providisset, quod est nefarium asserere. Et quamvis plures per orbem Ecclesiae institutae fuerint, et plures Episcopi, id est plures greges et ovilia plura, et pastores plures: omnes tamen sub uno pastore et in uno grege atque ovili continebantur, sicut et hodie continentur, quia unus est Christi thalamus, una sponsa, unum ovile, et unus pastor, et omnium Episcoporum unus Episcopus Romanus Praesul, beati Petri successor, et Iesu Christi Vicarius. Petrus enim in Antiochia primum sedit, deinde Romam venit, unde cum persecutionem fugiens vellet abire, a Domino prohibitus est, et hic glorioso martyrio vitam finivit, successore Clemente substituto; atque ita in hanc usque diem servatum est, ut qui Romae sederit Antistes, rite institutus per legitimum electionis tramitem, tamquam Aaron vocatus a Domino, hunc omnes Christianae plebes, omnes populi, omnes reges, omnes Clerici, omnes Episcopi tamquam Iesu Christi Vicarium et b. Petri successorem, Universalis Ecclesiae caput ac rectorem, et ducem venerati sint. Inter quos plurimi pro Christi nomine asperrimos perpessi cruciatus, et morte mulctati coronam Martyrii susceperunt, plurimi confessores egregii, vita, moribus, et doctrina fulgentes, quamvis sine sangvinis effusione non tamen sine periculis et labore ac voluntate parata pro conservanda S. Evangelii auctoritate moriendi, ad coelestem gloriam pervenere, ut Gregorii, Damasi, Leonis, Innocentii, Bonifacii, Benedicti, et alia nomina, inter quae tertius claruit Eugenius, ex Monasterio S. Anastasii ad summum Sacerdotium evocatus, ad quem D. Bernardus Monachorum pater non minus doctrinae fulgore, quam vitae sanctimonia illustris, inter multa huiusmodi verba conscripsit: Indagemus, inquit, adhuc diligentius, quid sis, quam geras videlicet personam pro tempore in Ecclesia Dei. Tu es Sacerdos Magnus, summus Pontifex, tu princeps Episcoporum, tu haeres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt; sunt et alii quidem coeli ianitores, et gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae illis nomen haereditasti. Habent illi assignatos sibi greges singuli sin-

gulos, tibi universi crediti uni sumus. Nec modo ovium, sed et pastorum, tu unus omnium pastor. Haec Bernardus ad Eugenium III. scribit, cui supremam et omnimodam in Ecclesia potestatem concedit. Quod ille de tertio testatur Eugenio, hoc nos de quarto et omnibus aliis Romanis Pontificibus profitemur, quia dignitatis est auctoritas. Liquet igitur unum in Ecclesia caput esse et unum principem, quia pax populi ex uno rectore dependet, et pluralitas principum discordiam parit. Christus Ecclesiae suae in ultimo testamento pacem reliquit, et pacem multis verbis commendavit. Dedit ergo et regimen pacis amicum, id est monarchicum, sub beato Petro et successoribus eius administrari cuncta praecipiens, clavibus illi commissis, et cura gregis demandata. Haec nos de Romani Pontificis auctoritate et potestate sentimus, cui et congregare Generalia Concilia, et dissolvere datum est. Qui etsi filius est propter regenerationem, propter dignitatem tamen pater habetur, et sicuti filiationis causa venerari debet Ecclesiam tamquam matrem, ita et praelationis causa praefertur ei, ut pastor gregi, princeps populo, rector familiae. Cum his et Generalis Concilii auctoritatem et potestatem complectimur, quemadmodum et aevo nostro Constantiae, dum ibi fuit Synodus universalis, declaratum definitumque est. Veneramur enim Constantiense Concilium, et cuncta, quae praecesserunt a Romanis Pontificibus nostris praedecessoribus approbata, inter quae nullum invenimus unquam fuisse ratum, quod stante Romano indubitato Praesule absque illius auctoritate convenerit: quia non est corpus Ecclesiae sine capite, et omnis ex capite defluit in membra potestas. Haec nostra sententia est, filii, haec credimus et profitemur, haec iam senes et in Apostolatus apice constituti pro veritate asserimus. Si quae vel vobis, vel aliis conscripsimus aliquando, quae huic doctrinae repugnent, illa tamquam erronea, et iuvenilis animi parum pensata iudicia revocamus, atque omnino respuimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 16. Aprilis A. 1463. — **Bullarium** *edit. Taurin.* V. 173.

703.

Bessarionis Cardinalis et Patriarchae CPni encyclica ad Graecos de unione cum Ecclesia Romana, cuius primatum egregie commonstrat, A. 1463.

MON. Ante omnia mementote, fratres et filii, qualis olim, quamque excellens fuerit natio nostra, tum doctrina, tum omni sapientiae genere cum ceteris virtutibus; quae praeterea vires, quae potentia, qui principatus nostrorum fuerint. Quis enim dubitet Graecorum gentem omnium liberalium artium ac totius sapientiae non modo inventricem, verum etiam perfectricem extitisse? illic semper et virtus, et religio, et sanctimonia floruere; illic enituit totius orbis imperium, nunc vero infelici et misera patriae nostrae conditione non modo principatum atque imperium orbis amisimus, verum etiam servitutem patimur, et hanc quidem crudelem atque turpissimam; dominantur enim nobis homines truces, barbari, atque infideles; neque solum hoc passi sumus, sed ne simulacrum quidem disciplinae, aut ullum sapientiae vestigium apud nostros relictum est. Solent enim disciplinae et bonae artes paratis primo, quae ad victum necessaria sunt, quaeri atque investigari; quae cum nobis in praesentia ob servitutem et inopiam desint, nulla amplius sapientiae ratio est, nulla disciplinarum cura, nullum optimarum artium studium. Virtus sola, quae ad mores pertinet, quaeque studiosos sui bonos efficit, ea manet, maneatque semper apud nostros. Sed quae causa esse potuit, ut moralibus virtutibus praediti et sapientiam, et principatum, et ipsam omnium rerum dulcissimam libertatem amiserimus? Non enim fortuna, vel casus, aut temerarius rerum eventus ac fluxus instabilis tantam nostris calamitatem intulere, nisi quis putet res humanas divina providentia minime gubernari, quod etiam cogitare impium est atque nefarium. Sed nec delictorum nostrorum multitudinem eius rei causam fuisse dicendum est, ut quidam Deo se humiliantes dicere consveverunt; neque enim nos magis quam ceterae Christiano-

rum nationes, quas nunc mundana ista felicitate frui videmus, peccatis nostris Deum irritavimus, siquidem et dictum est, et vere dictum est, ut arbitror, nostros in iis, quae ad mores et vitae honestatem pertinent, nullis esse inferiores. Verendum igitur, ne potius tot tantorumque malorum fomes et materia fuerit, quod Graeci veris dogmatibus per socordiam omissis ab intemerata fidei veritate secesserunt, et inconsutilem Domini tunicam scindentes a Catholica Ecclesia sunt divisi; cuius rei causa fuit temeritas quorumdam nostrorum, ne alteri principatus sui rationem reddere cogerentur. Hos deinde posteriores quoque non tam sua pravitate moti, quam illorum allecti perversitate sunt secuti. Sed deponere aliquando, ac prorsus abigere hanc perniciem decens ac salutiferum est. Quamobrem vos hortor et rogo, fratres et filii in Spiritu S. desideratissimi, omni studio ac conatu antiquam nobilitatem resumite, vendicate vobis pristinam gloriam, veteres illos ac sanctissimos patres et doctores nostros sequimini, quorum eadem confessio fidei, eadem semper fuit doctrina pietatis cum ea, quam nunc Romana Ecclesia tenet, ac profitetur. Recentiores istos tam pestiferae divisionis auctores condemnate, persequimini, exterminate, oecumenicam Synodum Florentiae habitam devota mente suscipite, et quae ibi Sancto cooperante Spiritu decreta sunt, sincero corde credite, et profitemini. Multae efficacesque eo in loco rationes adductae sunt de processione S. Spiritus etc.

— Illud inprimis attentissime considerandum est, fratres et filii in Christo desideratissimi, quod promisit olim Christus super confessione Petri aedificare Ecclesiam suam, et quod portae inferi, hoc est, haereticorum blasphemiae, numquam praevalerent adversus eam. Quaerendum est, fratres, quaenam ista sit Ecclesia? nam veram certamque fuisse promissionem nullus ausit negare christianus. Aut igitur Latina, aut Graeca Ecclesia est, tertia enim dari non potest, siquidem omnes aliae haeresibus sunt plenae, quas sancti patres et generales synodi condemnarunt. Si ergo hanc Ecclesiam Graecorum ecclesiam dicis, in angustum nimis arctas Ecclesiam, imo illam ad nihilum redigis; qualis enim, miseri nos, aut quanta est ecclesia nostra? labitur, heu, labitur, peritque quotidie, ac dicam eam penitus iam interisse. Subditi sunt infidelibus Graeci omnes, ita omnia pessumdedere barbarae gentes, ut non post multum interiectum tempus

ipsum quoque lingvae Graecae splendorem, libros omnes, universa opera s. doctorum, sacros etiam literarum codices, et evangelium ipsum nostram infelicem patriam deserturam non dubitem, nisi pietas et misericordia Salvatoris nostri tantam a vertice nostro calamitatem propulset. An ignoratis, fratres, ut orientales omnes, si qui inter infideles superfuerant, qui in Oriente Ecclesiam sequerentur Graecorum, CPnis et circumiacentium insularum cultoribus duntaxat exceptis, alios ante centum, alios etiam quinquaginta et amplius annos ne nominare quidem noverant scripturam S. nec eius volumina numerare? nullum fidei dogma sciebant, nullam quaestionem, nullam de spe futurae vitae rationem, in summa nihil eorum, quae in evangelio leguntur, intelligebant. Presbyteri quamquam illud assidue legentes non minus quam ceteri rudes erant, nec integrum quidem habebant evangelium, sed quaedam eius fragmenta, quae legi in ecclesia solent, circumferebant, et quemadmodum psittaci aliaque eiusmodi animalia conari aliquando atque effingere sine intellectu nostra verba consveverunt, ita hi vocem quidem emittebant graecam, lectitabantque ea solum, quae scripta erant, nec sine barbarie, eorum vero, quae legebant, nihil prorsus percipiebant. Nunc vero heu mihi, ipsa capta et destructa CPli, qualis est vel erit Ecclesia, cui portae inferi non praevalebunt? cui promissio haec Salvatoris servabitur?

Recognoscite aliquando, fratres, caput Ecclesiarum Cathedram Petri; recognoscite matrem vestram atque magistram; amplectimini fidem apostolico ore laudatam; inde animae vestrae postulate cibum, inde quaerite consilium. *Si doctorum nostrorum libros evolveritis, si scripta eorum diligenter consideraveritis, invenietis Romanam Ecclesiam supra ceteras omnem potestatem habere, et ita universae praeesse Ecclesiae, ut absque eius auctoritate nulla prorsus ecclesiastica quaestio solvi, nullum dogma concludi aut possit aut debeat.* Haec est illa petra, supra quam Christus suam aedificavit Ecclesiam; haec est, quae fidem Petri tenet, et praedicat; haec sola est, adversus quam portae inferi non praevaluerunt. Hic semper servata est incorrupta patrum auctoritas; hic sol iustitiae oritur, hic lux mundi, hic sal terrae, hic sunt vasa aurea et argentea. Quicunque huic sanctae communioni consociantur, unam cum ea Ecclesiam faciunt; qui ab ea sunt separati, salutem habere non possunt; qui hic non

colligunt, spargunt; quicunque extra hanc agnum comedunt, profani sunt. Si qui in arca Noe non fuerint, peribunt regnante diluvio; extra ovile Christi salvi esse non possunt, in lupos rapaces, in fures latronesque incident, quandoquidem pereant necesse est, qui voces pastorum non audiunt; quod ne cui Christianorum accidat, illa praedicanda, illa tenenda est fides, quam Petri cathedra profitetur. Hanc vos, quaeso, cum reverentia et humilitate suscipite, huic inhaerete, huic insistite. Non cesso pro vobis orare Dominum, ut sapientiam induentes id, ad quod vos hortor, agatis; vellem enim ita vos omnes esse, ut ego, nec parvum vobis aut contemnendum videor optare bonum, o fratres, si quod mihi ipsi, hoc etiam vobis bonum desidero. — — Nolite aemulari contentiosos homines, neque imitari illos, qui cum aliter non possint, saltem impugnando veritatem gloriam aucupari conantur; humiliate vos Deo, et tot talesque viros singulari praeditos devotione ac sapientia, Romanae Ecclesiae alumnos, secuti, fidem eius suscipite; Pontificem Romanum, verum ipsius Pastorem, totius caput Ecclesiae, doctorem fidei atque magistrum credentes veneramini, et viam, quae ad aeternam ducit vitam, ostentantem sequimini. Nam ei hoc unum est eorum, quae ad salutem necessaria sunt, proprium, nosse pastorem, et recognoscere principem, et scire atque honorare ductorem; ubi enim non est princeps, ibi inordinatio; ubi inordinatio, ibi solutio, ut Gregorius Nazianzenus ait. Et certe sive divinas sive humanas res considerare volueritis, fratres, invenietis unum omnium debere esse principium, nec recte aliter res posse gubernari. — Hunc igitur a Deo perfectum bonum et necessarium ordinem in rebus fluentibus atque terrenis servabimus, in aeterna vero animarum et sanctae Dei Ecclesiae gubernatione contemnemus? Indecens certe est, et ab omni ratione alienum: hic enim maxime omnium est ordo servandus, siquidem perpetua digniora sunt fluxis, momentaneis atque caducis. Hinc legislator noster et Dominus Iesus Christus omnem humanam sapientiam, cuius ipse dator est, excedens optimum gubernandi modum suae reliquit Ecclesiae, cum Petro et per eum successoribus eius principatum illius tradidit: Tu es Petrus etc. Nec me putetis, fratres, novam legem introducere, novum dogma docere. Repetite memoria, qui priscas historias, qui Conciliorum acta legistis, quantam semper Romanus Pontifex super omnem ecclesiam auctoritatem habuit. Coelestinus PP. pri-

mam Ephesinam Synodum solus reprobavit, irritavitque, quamvis omnis Orientalis ecclesia et ipsi Patriarchae unanimes in ea convenissent. Leonis M. epistolam patres Chalcedonenses numero 630 Eppi instar sacri evangelii receperunt, eamque orthodoxae fidei columnam nominarunt, nec non iuxta eius sententiam eam, de qua agebatur, terminarunt quaestionem. Iidem patres Alexandrino CPnum per intimationem secundi concilii praeposuerunt, nec tamen fecisse se aliquid censuerunt, nisi hoc idem Leo confirmaret; quod ut impetrarent, multis et legationibus et precibus contenderunt, quibus tamen vir sanctus annuere recusavit; et nisi postea ab alio Romano Pontifice concessum extitisset, nullius fuisset momenti. Ante hunc Innocentius R. P. Arcadium et Eudoxiam Reges, quod Ioannem, os aureum, iniquc de ecclesia pepulissent, anathemate feriit, et christianorum communione privavit; quod certe non fecisset, nisi supra omnem ecclesiam habuisset imperium. — Photium deinde CPnam sedem occupantem, qui sanctissimo viro Ignatio eiecto ecclesiam sibi viribus subegerat, nonne Nicolaus R. P. fidelium communione privavit, et restituto Ignatio ab ecclesia repulit? — Haec igitur omnia cogitantes, haec cum animi attentione considerantes, omnem vanam opinionem exuite, omne immeritum odium deponite, omne illud de Latinis non rectum iudicium in melius mutate, amplectimini veritatem, integritatem fidei una cum sancta et catholica Romana Ecclesia ipsi quoque maximi existimantes, nobiscum convenite, missos facite eos, qui contentionis potius gratia, quam veritatis vana loquentes vos a recta fide seducunt, pastorem Ecclesiae Romanae universalem patrem atque magistrum existimate. — Nos vero quamquam immeritos, tamen gratia Dei per Apost. Sedem et Summum Pontificem vobis in Patriarcham legitime datum, ut par est, suscipite, monita nostra tamquam paternas adhortationes audite etc. — **Raynaldus** *Ann. Baron.*

704.

Sixtus IV PP. sententiam AEppi Toletani de erroneis ‚Petri de Osma' propositionibus confirmat, 1479.

MON. Licet ea, quae de nostro mandato rite fiunt, plenam obtineant roboris firmitatem, tamen illic interdum nostri munimini robur adiicimus, ut eo firmius illibata persistant, quo magis nostro fuerint praesidio communita. Dudum siquidem ad audientiam nostram deducto, quod a modico tunc decurso tempore citra in Hispaniarum regnis, et praesertim in *Universitate studii Salmanticensis* fuerant et adhuc erant nonnulli iniquitatis filii, qui quasdam falsas, s. catholicae fidei contrarias, erroneas, scandalosas, et male sonantes propositiones, et ecclesiastica sacramenta in studio huiusmodi et in frequentissimo hominum coetu veras esse publice affirmare et pertinacissime sustentare ac defendere; apertissimas S. Scripturae auctoritates eorum erroribus repugnantes, earum rectum clarum et apertum sensum falsis eorum interpretationibus impudenter violando refellere; huiusmodi quoque eorum falsa dogmata manifeste haereticae pravitatis labem continentia in aliorum mentes inserere et simplicium animas illaqueare, et ut illa in plurium notitiam pervenirent, et ut in perpetuum de illis memoria haberetur, libros componere, et in publicum, ut illos legendi omnibus esset facultas, tradere praesumserant eatenus et praesumebant: nos tunc ven. fratri nostro Alphonso AEppo Toletano per alias nostras literas commisimus, ut assumtis secum aliquibus in theologia Magistris et aliis viris literatis, vocatis his, qui propositiones ipsas veras esse affirmare nisi erant et nitebantur in dies, et auditis, quae ipsi pro illarum veritate, et alii Christifideles ad dilucidandam earum falsitatem deducere vellent, an quae in propositionibus huiusmodi continebantur, falsa et fidei contraria, erronea et male sonantia existerent, auctoritate nostra declararet et decideret, si iuxta SS. Patrum instituta et canonicas sanctiones se emen-

dare, et depositis de cordibus eorum totaliter erroribus praedictis ad Ecclesiae unitatem haeretica labe abiurata redire et iuxta declarationem suam tales propositiones esse scandalosas, falsas, et haereticas ac male sonantes fateri, et desuper confectum librum retractare et cum effectu refutare recusarent, et in illis eorumque erroribus pertinaciter insistere vellent, haereticos ac censuris et poenis in tales a iure promulgatis irretitos esse decerneret. Postmodum vero, sicut accepimus, praefatus AEppus ad executionem dictarum literarum earum forma servata rite procedens dil. filios — Magistros in theologia ac doctores et Licentiatos in Decretis, alios quoque quamplurimos doctos et literatos viros ex diversis locis, pariter et dil. filium *Petrum de Osma* propositionum praedictarum auctorem eiusque sequaces coram se — evocari fecit; ac dicto Petro de Osma et sequacibus minime comparentibus, debito tempore expectatis, matura super omnibus propositionibus deliberatione praehabita, de unanimi consilio et assensu Magistrorum et Doctorum declaravit illas propositiones, per quas Petrus de Osma et eius sequaces pertinaciter affirmare non verebantur: ‚confessionem peccatorum in specie ex universalis Ecclesiae statuto non divino iure compertam fore, — et *Romanum Pontificem purgatorii poenam remittere et super his, quae universalis Ecclesia statuit, dispensare non posse*‘ — falsas, s. cath. fidei contrarias, erroneas et scandalosas, ac a fidei veritate alienas, et SS. Patrum decretis et apost. Constitutionibus contrarias fore, manifestam haeresim continere. — Et demum — praemissis sic gestis et propositis in Consistorio coram nobis, nos dil. filiis nostris — Cardinalibus, ut de praemissis gestis per AEppum diligenter se informarent, et quae invenirent, nobis et aliis fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus referrent, commisimus: qui tam zelo fidei quam ut nostris parerent mandatis, onus huiusmodi promta voluntate suscipientes cuncta diligenter rimarunt, et quae invenerunt, nobis et aliis fratribus nostris fideliter retulerunt, propositiones praefatas erroneas fore pluribus auctoritatibus et rationibus praeter illas, quas in AEppi processibus invenerunt, etiam demonstrantes. Nos igitur, ad quos spectat, errores huiusmodi exstirpare, ipsius AEppi solertiam et diligentiam in praemissis plurimum in Domino commendantes, ex certa nostra scientia AEppi declarationem et decretum — auctoritate Apostolica tenore praesentium

laudamus, confirmamus, et approbamus, ac praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerunt in eisdem. Et nihilominus pro potioris cautelae suffragio omnes et singulas propositiones praedictas falsas, s. cath. fidei contrarias, erroneas et scandalosas, et ab evangelica veritate penitus alienas, SS. Patrum decretis et aliis Apost. Constitutionibus contrarias fore, ac manifestam haeresim continere, declaramus. Praefato quoque AEppo committimus et mandamus, ut contra dicti Petri de Osma sequaces, si huiusmodi haeresim, in quam prolapsi sunt, abiurare, et eundem Petrum prout errantem secuti sunt, errores suos abiurantem et se emendantem sequi recusaverint, aut malitiose distulerint, tamquam haereticos procedere non omittat. — **I. Tejada y Ramiro** *Coleccion de Canones — de la Iglesia Espannola.* V. Madrid. 1855. pag. 65.

705.

AEppus CPnus ad Metropolitam Kioviensem de unione in Syn. Florentina perfecta, A. 1492. scribens, testimonium perhibet super legitimitate huius Synodi.

MON. Nipho, Dei misericordia AEppus CPnus novae Romae oecumenicus Patriarcha piissimo atque dilectissimo Ioseph fratri conservo Metropolitano Kioviensium et totius Russiae salutem! Accepimus literas dilectionis tuae scriptas humilitati nostrae, quibus significas: Romanorum Eppos, Ruthenos et Lithuanos vobis molestos esse, vosque compellere ad unionem *Florentiae* decretam, unde metuis ingentia pericula, amissionem privilegiorum et libertatis, quae illo tempore, quando unio decreta est, a Regibus Poloniae vobis concessa sunt; postulas itaque a nobis auxilium, et ad vestrum potentissimum Regem commendatitias desideras, insuper scire de hac Synodo, quomodo fuerit transacta, ut possis rationem reddere omnibus persequentibus vos et compellentibus ad unionem. Scias igitur *Synodum illam fuisse legitime congregatam*, idque praesentibus illustri Imperatore nostro Ioanne Palaeologo et sanctissimo Patriarcha

beatae memoriae Iosepho, non ita pridem ante nos sedente, et vicariis seu legatis fratrum nostrorum patriarcharum, archiepiscoporum, et principum orientalem Ecclesiam repraesentantium, praesenteque Eppo Romano cum aliis. *Ceterum quia nonnulli gentis nostrae, qui domi remanserant, noluissent decretum unionis amplecti, forte ex odio in Latinos: ideo apud nos confusio et nullus ordo est, quando oves nobis concreditae imperium et arbitrium in nos usurpant, quorum pervicaciae resistere non possumus. At quis scit, si idcirco divinae iracundiae furor in nos non desaevit et in dies desaevire non intermittit, quod sanctam unitatem respuerimus,* ut praetermittam, quod subsidia Latinorum non tantum amiserimus sed eos etiam offenderimus? Quamobrem neque mirari oportet, si etiam vobis sunt difficiles; quamvis non iniustam excusationem habeas, quod inscio Patriarcha CPno quidquam tibi licere dicis. — Ergo illi minime de nobis conquerantur; sed potius calamitatibus nostris compatientes Deum nobis propitium reddant, *ut a tyrannica servitute liberati, denuo uniamur divina favente clementia.* Tu vero ne nimium reluctéris, sed amice cum Latinis versare. Nam et nostris sacerdotibus in dominio Veneto degentibus nos utique iniunximus, ut una cum iisdem Latinis, servato tamen Ecclesiae Orientalis ritu, simul orent et congregentur. Sed ritus patrios observa. Namque maiores nostri non prius consenserunt in Florentinam unionem, quam privilegia nostra confirmata essent. Scripsimus Principibus Ruthenis et Lithuanis nostri ritus, ut tibi in omnibus ad nutum sint. — Anno septies millesimo die 5. Aprilis Indict. XI. (5. April. 1492.) — **Theiner** *die neuesten Zustände der kath. Kirche beider Ritus in Polen und Russland.* Augsb. 1841. p. 62.

LITERATURA.

Literaturam, cuius intuitu generatim ad ea, quae in Praeloquio nostro monuimus, lectores remittimus, secundum certas classes dividere opportunum visum fuit, ratione divisionis e particularibus huius aut illius seculi adiunctis ac eventibus desumta. Primis tamen seculis, quibus minor extitit Literatura, divisio quoque eiusdem in plures sectiones superflua evasit. Literatura de relatione Pontificatus ad Imperium Civile, quae primis Seculis pariter exilis est, cuilibet Seculo sub distincta Rubrica subnexa occurrit, in plures, prout adiuncta seculi secum ferunt, subdivisa titulos. Literaturam de Primatu cum Seculo III, illam vero de relatione Pontificatus ad Imperium cum Seculo IV inchoamus. Opera pro Primatu et auctoritate Pontificia romanis, illa autem, quae adversus auctoritatem Pontificalem vulgata sunt, arabicis signamus numeris, hac ipsa modalitate quoad omnes classes, in quas Literaturam hic illic dispesci contigerit, observata.

LITERATURA SECULI III.

I. **Anonymus Eppus** S. Cypriano coaevus adversus rebaptisationem concinnavit *Tractatum seu librum de rebaptismate*, sic inchoantem: ‚Non debere denuo baptisari, qui semel in nomine Iesu Christi sint tincti.‘ Tractatus hic ab editoribus operum Cypriani passim eius scriptis accensetur. Editus primum a Rigaltio, tum Labbeo etc. Auctor, licet anonymus, magnae est apud eruditos auctoritatis, et in celebri controversia causam Ecclesiae Romanae ac S. Stephani Papae adversus Cyprianum viriliter propugnat, Cyprianum, licet tacito nomine, eiusque sequaces perstringit, quod ‚non contenti venerabili Ecclesiarum,

et Stephani auctoritate, novam de rebaptisandis haereticis opinionem protulerint.' *)

LITERATURA SECULI IV.

1. De Primatu.

II. **Gaius Marius Victorinus**, Philosophus, a S. Hieronymo saepe nominatus, in suo *ad Epist. Pauli ad Galatas Commentario,* referens Paulum venisse Hierosolymam, ut videret *Petrum,* huius summam praedicat auctoritatem : ‚Si in Petro, inquit, fundamentum Ecclesiae positum est, ut in Evangelio dictum, cui revelata erant omnia, Paulus scivit videre se debere Petrum, quasi eum, cui tanta a Christo auctoritas data esset etc.' **)

III. **Asterius** Eppus in Ponto, scripsit : *Homiliam in Principes App. Petrum et Paulum,* vulgatam a *Combefisio* in Auctario Biblioth. Vet. Patr. Paris. 1648.

2. De Pontificatu et Civili Imperio.

I. **Ambrosii** *epistolae de potestate Imperatoris et Episcopi.* Inter opera S. Patris et Doctoris.

LITERATURA SECULI VI.

1. De Primatu.

1. **Ioannes Maxentius** CPnus Eppus, dum ob male habitos Legatos Sedis Ap. CPlim missos ab Hormisda PP. damnaretur, scriptum *Contra Possessorem* exaravit, auctoritatemque Romani Pontificis vellicavit. Scripta eius *Cochlaeus* edidit.

2. **Rusticus** Eppus Fessulanus, scripsit : *Disputationem de tribus Capitulis* contra Vigilium Papam, a quo damnatus et Cardinalitia dignitate privatus fuit.

*) *Migne* Patrolog. Lat. T. 3. p. 1350.

**) *Angeli Maii* Scriptorum Veterum nova collectio. Romae. 1828. T. 3. part. 2. p. 9.

IV. **Bonifacius Quiritinus**, legatus Apost. in Scotia sub Gregorio M. *de praerogativa S. Petri Apostoli.*

---

2. De Pontificatu et Civili Imperio.

II. **Gregorii M.** *epistolae de obedientia erga Imperatorem.* Inter Opp. S. Papae et Doctoris.

LIERATURA SEC. VII.

V. **Bonifacius IV** Papa, antea **Bonifacius Marsus,** *de praerogativa Petri.* 614.

VI. **Sophronius** Patr. Hierosol. *de laboribus, certaminibus, et peregrinationibus SS. App. Petri et Pauli fragmentum.* 636.

VII. **Coëllachus** monachus O. S. B. *de praerogativa S. Petri Apostoli.* 657.

VIII. **Ioannes Cyriaci,** subin Ioannes V Papa, *de Pallii dignitate liber et epistola ad Edaldum AEppum Viennensem in Gallia.* 686.

LITERATURA SEC. VIII.

IX. **Liber diurnus Romanorum Pontificum,** probabilius circa an. 715. compositus, atque a celebri Iesuita *Garnerio* a. 1680 primum integre in lucem editus, (ut suo loco uberius indicabimus) in literatura de Primatu vel ideo locum sortiri debet, quod sit perutilis ac opportunus ad supremam Sedis Apostolicae auctoritatem adversus *Honorii* Papae calumniatores adserendam. *)

---

*) *Migne* Patrol. Lat. T. 105.

LITERATURA SEC. IX.

1. De Primatu.

3. **Photius** Patr. CPnus, *epistola encyclica adversus Nicolaum PP. et Latinos in Orientem missa.* Eam edidit *Richardus Montacutius* Londoni 1651. graece et latine. Latine exhibetur apud *Baronium* ad an. 863.

X. **Theodorus Studites** Graecus, quum in aliis operibus, signanter vita S. Platonis, tum et cumprimis in *epistola ad Leonem III. PP.* insignem elicit de Primatu professionem: ‚— Quandoquidem Petro magno Christus Deus post claves regni coelorum, *pastoralis* etiam *principatus* contulit dignitatem: *ad Petrum utique vel eius Successorem quicquid in Ecclesia Catholica per eos innovatur, qui aberrant a veritate, necesse est referri.*‘ A. 810.

XI. **Simeon Metaphrastes**, aeque Graecus, *vitae SS. Petri Apostoli, Clementis I, et aliorum Rom. Pontificum.* 850.

XII. **Nicetas Byzantius,** Philosophus et Doctor Graecus, in *Refutatione Epistolae ab Armeniae Principe missae* *) Primatum luculenter confessus est: — ‚Accedat Princeps App. Petrus — et per eum universus Apostolorum coetus. Etenim Christus Dominus et Deus noster dixit Apostolorum principi Petro: Tu es Petrus etc.‘

XIII. Idem scripsit *orationem in SS. Petrum et Paulum principes Apostolorum.* 850. Recentiores eruditi orationis istius alium Nicetam faciunt auctorem, nempe **Nicetam David** Paphlagonem, Eppum Dadybrorum.

XIV. **Ratramnus Corbeiensis** IV libros opposuit Graecis, in iisque auctoritatem Rom. Pontificis egregie commonstravit: ‚— Omnes Ecclesiae Orientales simul et Occidentales Romanae Civitatis Praesulem semper quasi Caput Epporum veneratae sunt, et ad eius sententiam respexerunt, et de rebus dubiis quaecunque decrevit, eius iudicium sustinuerunt, illiusque decreto paruerunt. Quaecunque Concilia eius sententia roborata sunt,

*) *Leo Allatius* Graecia orthodoxa. I. Romae. 1652. p. 663. ss.

rata manserunt, quae vero damnavit, pro nihilo reputata fuerunt, nec auctoritatem ullam habere potuerunt.' Ad testimonium hocce Ratramni animadvertit *Cartier* Gallus: ‚eo tam aperte supremam et infallibilem Romani Antistitis auctoritatem definiri, ut nullo indigere videatur commentario. Et tamen nihil aliud hic agit, quam ut Ecclesiae praesertim Gallicanae mentem exponat.'*) 850.

XV. **Aeneas Parisiensis**, *liber adversus obiectiones Graecorum.* 854. Tam ceteras Graecorum obiectiones refellit, quam supremam Rom. Pont. auctoritatem defendit.

XVI. **Theognosti** Monachi CPni, *libellus continens totam Magni Ignatii causam, missus ad Nicolaum Papam Romanum.* 861. Pro defensione S. Ignatii.

XVII. **Anastasius** Abbas et Bibliothecarius Romanus, *Liber Pontificalis, seu Vitae RR. Pontificum.* Opus saepissime editum, et magnae auctoritatis, tum quod tot seculorum consensu ab Ecclesia receptum sit, tum quod per varias aetates a Scriptoribus, qui Pontificibus vel coaevi erant vel suppares, confectum gesta Pontificum contineat. 870.

XVIII. **Odo Bellovacensis** inter illos numeratur, qui cum Graecis, signanter Photio conflixerunt pro auctoritate Romani Pontificis: sed commentatio ipsius intercidisse censetur.

---

2. De relatione Papae ad Imperium.

1. **Hincmarus** AEppus Remensis, *Epistola sive admonitio de potestate Regia et Pontificia et de utriusque administratione ad Carolomannum Regem et Eppos Franciae.* 844. Ea, quae gessit, dum cum Sede Apostolica conferret, vel cum Hincmaro Eppo Laudunensi altercaretur, admodum dubiam reddunt de eo opinionem, num semper bene ac recte senserit.

III. **Agobardus** AEppus Lugdunensis, *de comparatione utriusque regiminis, ecclesiastici et politici, et de praeeminentia dignitatis ecclesiasticae super Imperatoriam maiestatem.*

IV. **Ionas Aurelianensis** Eppus, *de institutione Regia, ad Pipinum Regem.* A. 828. Apud *Dacherium* Spicil. I.

---

*) Auctoritas et infallibilitas Summ. Pontif. Aug. Vind. 1738. p. 252.

LITERATURA SEC. X.

1. De Primatu.

4. **Pseudo-Luitprandus**, *de Pontificum Rom. vitis a Petro usque ad tempora Formosi*, 950. Liber hic, contra primatum tendens, adiectus fuit Anastasii Bibliothecarii operi, (de quo Sec. IX.) Moguntiae 1602. impresso.

5. **Arnulphus Aurelianensis** in Synodo Remensi 991. celebrata in causa depositionis AEppi Remensis sermonem habuit adversus devolutionem causae ad Romanum Pontificem, stylo sat vehementi et acri. *)

6. **Sisinnius** Patr. CPnus accessit Epistolae encyclicae *Photii* contra Latinos. 994.

7. **Sergius** prioris successor amplius progressus non modo epistolam memoratam probavit, primatumque R. P. reiecit, sed et nomen eius e diptychis deleri iussit.

XIX. **Leo IV** Imperator Orientis, Philosophus, *sermo de S. Petro Apostolorum Principe.* 911.

XX. **Ratbodus** Eppus Ultrajectinus, *historia SS. Epporum, Martyrum, Doctorum, atque Rom. Pontificum.* 917.

---

2. De Pontificatu et Civili Imperio.

2. **Eutropius** presbyter Longobardus, *tractatus de iuribus ac privilegiis Imperatorum in Imperio Romano.* A. 900.

LITERATURA SEC. XI.

1. De Primatu.

XXI. **Abbo Floriacensis,** Epitome de 91 Rom. Pontificum vitis. 1004. **)

*) Aliqua eius sermonis fragmenta vulgat *Illyricus* in Catalogo testium veritatis. II. 588.

**) *Migne* Patrol. Lat. t. 139. p. 535.

XXII. **Odilo Cluniacensis**, Homilia de Petro Apostolorum Principe. 1048.

XXIII—XXV. **Petrus Damiani** Card. Ostiensis, *Sermo 26 de Petro Apostolo;* item: *Sermo 27 de Petro et Paulo Apostolis;* tum: *Opusculum V: actus Mediolani de privilegio Romanae Ecclesiae ad Hildebrandum S. R. E. Archidiaconum.* 1050. Postremum opus est brevis narratio eorum, quae Auctori in legatione Mediolanensi contigerunt: ubi contra Clericos Nicolaitas pariter ac Simoniacos tamquam Legatus S. Sedis non minus castitatis, quam Romanae Ecclesiae iura tuebatur: ‚— Armis privilegium *Romanae Ecclesiae* non incongrue comparaverim: quia dum haec una per Cathedram beati Petri totius Christianae Religionis caput effecta, cunctis in orbe terrarum principetur Ecclesiis, velut dux ante aciem fidelium cuneis fulta, ac specialis praerogativae auctoritate munita, et evangelico mucrone veritati resistentium cervices obtruncat, et ad invictissime dimicandum totam Christi militiam in unius caritatis ac fidei unanimitate conspirat.' *)

XXVI. **Marianus Scotus** in *Chronico* suo texit *Catalogum RR. PP.* incipiens a *S. Petro*, de quo haec habet: ‚Petrus venit Romam, ubi praedicans Evangelium 25 annis, mensibus 5, diebus 13, Episcopus eiusdem Civitatis praefuit, hoc est, usque in ultimum annum Neronis.' — **)

XXVII. *Tractatus de Primatu Romanae Ecclesiae.* Collectores Conciliorum, signanter *Mansi* in amplissima sua collectione I. 71., vulgant hunc tractatum, qui primum A. 1525. Moguntiae e Cod. Mss. Vaticano 3832. typis excusus fuit.

Scripta **Graecorum** *contra Primatum eorumque refutationes.*

Schismatici *Graeci*, praeeuntibus *Michaele Cerulario*, et *Leone Acridano*, plura vulgarunt adversus Latinos opuscula, in quibus praeter alias obiectiones, Primatum Romanum oppugnabant: sed doctis ex parte Latinorum refutationibus devicti sunt.

a) *Scriptores Graeci contra Primatum.*

8. **Michael Cerularius** Patr. CPnus, *epistola ad Ioannem*

*) *Migne* Patr. L. t. 145. p. 89.

**) *Migne* Patr. L. t. 147. p. 601.

Tranensem in Apulia Eppum. 1053. quam et **Leo Acridanus** Bulgarorum AEppus suam fecit. Acris admodum litera.

9. Eiusdem **Cerularii** *duae epistolae ad Petrum Antiochenum*, contra R. P. et Latinos.

10. Eiusdem **Cerularii** *edictum pseudo-synodi CPnae* contra Latinam Ecclesiam: omne genus doli, astutiae, calliditatis, superbiae, et mendacii palam prodens.

11. **Nicetas Pectoratus** Monachus Studiensis CPli, *liber contra Latinos*, ab apocrisiariis S. Sedis repertus, et more Cerularii in Rom. Ecclesiam invectivus.

---

b) *Latinorum responsa.*

XXVIII. **Leo IX** PP. *epistola ad Mich. Cerularium adversus eius et Leonis Acridani inauditas praesumtiones et nimias vanitates.* 1053. Est non tam litera, quam integer tractatus, 41. capita complectens.

XXIX. Eiusdem Papae *epistola ad Constantinum Monomachum Imper.* 1054. ut pax inter Orientem et Occidentem componeretur.

XXX. Eiusdem alia *epistola ad Cerularium*, praesumtiones huius et doctrinam Graecorum perstringens. 1054.

XXXI. Eiusdem *epistola ad Petrum Antiochenum.*

XXXII. **Humbertus** Cardinalis, primum latinam reddidit epistolam Cerularii et Leonis Acridani ad Ioannem Tranensem, ut Graecorum detegeret insidias. 1053.

XXXIII. Eiusdem *liber adversus calumnias Mich. Cerularii, et Leonis Acridani*, in forma dialogi ac disputationis inter Romanum et CPnum. 1054.

XXXIV. Eiusdem *responsio sive contradictio adversus Nicetam Pectoratum.*

XXXV. Eiusdem *brevis et succincta commemoratio eorum, quae gesserunt apocrisiarii S. Sedis in Regia Urbe.*

XXXVI. Eiusdem *duplex excommunicatio Cerularii et eius sectatorum.*

XXXVII. Eiusdem *epistola ad omnes Ecclesiae Cath. fideles.*

XXXVIII. **Dominicus Gradensis** et Aquileiensis Patr. *epistola ad Petrum Patr. Antiochenum de controversiis fidei inter occid. et orient. Ecclesiam.*

XXXIX. XL. **Petrus Antiochenus** Patr. licet Graecus, moderatior fuit in capite de Primatu Rom. Sedis et aliis articulis Latinos concernentibus. Extat eius *epistola ad Cerularium*, stylo sat miti concinnata, et duntaxat additionem ad Symbolum Latinis obiiciens. Item alia *epistola ad Dominicum Gradensem* ceu responsum ad huius literam, contra azyma se enuncians.

XLI. **Theophylactus** AEppus Bulgarorum, *allocutio ad quemdam e suis familiaribus de iis, in quibus Latini accusantur.* Non scit equidem Graeco schismati nuncium mittere, ac ideo in pluribus accusat Latinos : Primatum tamen Petri et successorum non negat, imo affirmat : ‚Christus Petro omnium fidelium praesidentiam commisit. — Petrus accepit totius orbis Sedem. — Petro Ecclesia in fide erudienda credita est. — Clarus huius intellectus (confirma fratres tuos) est is : quia te habeo ut principem discipulorum, postquam negato me fleveris et ad poenitentiam veneris, confirma ceteros; hoc enim decet te, qui post me Ecclesiae petra es et fundamentum.‘ — (Comment. in Ioann. Luc.) Evolvit uberius sententiam Theophylacti de Primatu, et contra obiectiones Protestantium vindicavit *Bern. de Rubeis* in diss. de Theophylacti scriptis et gestis.

XLII. *Fragmentum disputationis contra Graecos.* Incerti auctoris foetus.

XLIII. **Nicetas Charthophilax Nicaenus** *quibus temporibus et quarum criminationum causa a CPna Ecclesia seiunxerit se Romanorum Ecclesia.* 1055. Auctor Graecis adscribit causam, quod a Romana Ecclesia separatio facta sit. *)

2. Pontificatus et Imperium.

A) *ante Gregorium VII PP.*

V. **Benedictus** S. Andreae monachus, *de imperatoria potestate in urbe Roma libellus.* 1001. Non obstante civili dominatione Imperatorum in urbe Romana, quousque nimirum hi Romam tenebant, supremum extitisse obtutu spirituali Papae imperium mox in principio libelli confitetur : , — Roma — caput et domina vocabatur omnium christianorum in unitate fidei verae et inconfusae Deitatis, habens principatum totius christiani-

*) *Migne* Patrol. Graeca. T. 61. p. 1011.

tatis in accepto privilegio Iesu, ubi ait: Tu vocaberis Cephas; et alibi: ego rogabo pro te, ne deficiat fides tua.' *)

VI. **Petrus Damiani**, *opusculum IV: disceptatio synodalis inter Regis advocatum et Romanae Ecclesiae defensorem.* In libello hoc Romanae Ecclesiae defensor, et Regis Henrici III advocatus altercantes inducuntur in causa electionis Romani Pontificis, quae iuxta consvetudinem ab Imperatore erat confirmanda. Henrico III puero existente et sub tutela posito, sine illius assensu Pontifex electus est: quod cum ab Henrici legatis in crimen vocaretur, in hac disputatione cuncta eorum obiecta refelluntur, ita, ut paulatim cogatur regius advocatus rationibus convictus in contrariam transire sententiam. Fingitur autem haec disceptatio habita coram Synodo Epporum, qui in unum convenerant, ut de hac causa pronunciarent. **)

---

b) *Sub Gregorio VII. PP. et deinceps.*

aa) Contra Gregorium VII pro Imperio.

3. **Eberhardus** AEppus Salisburgensis, *oratio de Hildebrandi antichristiano imperio in Comitiis Imperii Ratisbonensibus.*

4. **Otto Frisingensis**, *fragmentum de Hildebrando Papa.*

5. Anonymus *de Henrici IV Imp. bello Saxonico libri tres* Versibus hexametris.

6. *Epporum et clericorum imperialium Apologetica pro Imperatore contra Papae excommunicationem.*

7. Anonymi *vita Henrici IV Imp.* Opus primo ab Aventino Ratisbonae repertum et Aug. Vind. 1518. editum, dein frequenter recusum.

8—10. **Wultramus** Eppus Naumburgensis, *epistola ad Ludovicum Landgravium Thuringiae pro Imperatoris fidelitate.* Item: *tres libri Apologiarum pro Imperatore:* et: *Tractatus de investitura Epporum et Abbatum per Imperatorem facienda.*

11. **Otbertus** Eppus Leodiensis, *epistola parentatoria de vita et obitu Henrici IV Imp.*

12. **Benno** Cardinalis, *de vita et gestis Hildebrandi libri*

*) *Migne* Patr. Lat. t. 139. p. 49. ss.

**) *Migne* Patr. Lat. t. 145. p. 67,

duo. Auctor commentarium suum mendaciis refertum pro Imperatoris factis probandis, illis vero Pontificis vituperandis concinnavit, ab haereticis in pretio habitum.

13. **Conradus Ultrajectinus** Eppus, *libri tres de unitate Ecclesiae conservanda, sive apologia pro Henrico IV contra Hildebrandi seu Gregorii VII epistolam ad Hermannum Metensem.*

14. **Venericus Vercellensis** *de discordia Regni et Sacerdotii liber ad Hildebrandum sive Gregorium VII PP.* Sub persona Theodorici obsecrat Pontificem quoad ea, quae ipsum contra ius ac legem fecisse fama ferebat.

15—18. **Sigebertus Gemblacensis** partes Henrici Imp. sequens, pro eodem vulgavit plura opuscula, signanter *contra Gregorii VII epistolam; — contra Paschalis II epistolam; — de Romanis Pontificibus; — Rom. Pontificum vitae.*

19. **Landulphus Senior** Historicus Mediolanensis, in *Historia Mediolanensi* multa congessit contra Gregorium VII, et generatim contra Primatum.

20. **Ivo Carnotensis** *epistola ad Hugonem AEppum Lugdunensem de investituris Epporum ac Abbatum pro Henrico IV et Philippo I Francorum Rege contra Urbani II Papae novationes.* 1099.

---

bb) Pro Gregorio VII contra Imperium.

VII. **Stephanus Herrandus** *defensorium Hildebrandi seu Gregorii VII PP. contra Wultramum Eppum Naumburgensem.*

VIII. **Gebhardus** Eppus Salisburgensis, epistola pro Gregorio VII. contra schismaticos.

IX. **Stephanus Halberstadiensis** *epistola ad Wultramum pro Gregorio VII PP.*

X. XI. **Amatus Cassinensis** *libri IV de gestis Apostolorum Petri et Pauli ad Gregorium VII* carmine; et: *de laude Gregorii VII.* 1080.

XII—XVIII. **Bernardus de S. Blasio,** aliis *Bernaldus*, vix diversus a *Constantiensi Bernaldo,* pro Gregorio PP. pugnavit sequentibus libris: *tres epistolae circa quaestionem: quid de damnatione eorum, qui Papam totamque Romanam Synodum deauctorare tentaverunt, tenendum sit?; — tractatus de sacramentis excommunicatorum iuxta assertionem SS. Patrum; — Apologeticus*

super excommunicatione Gregorii VII; — de vitanda excommunicatorum communione, de reconciliatione lapsorum, et de conciliorum, canonum, decretorum, decretalium, ipsorumque Pontificum Rom. auctoritate liber; — apologeticae rationes contra schismaticorum obiectiones ad Adalbertum praepositum Nemetensem; — epistola ad Adalbertum Argentinensem praepositum de lege excommunicationis: obedientiam magis Papae quam proprio pastori praestandam esse; — de vitandis excommunicatis eorumque communicatoribus ad Recchonem.

XIX—XXI. **Anselmus Badagius** Eppus Lucensis: *contra eos, qui dicunt regali potestati subiacere Ecclesiam Christi liber apologeticus.* Item: *Contra eos, qui dicunt facultates Ecclesiae sub regia potestate manere.* Tum: *Duo libri pro decreto Gregorii VII, et de rebus gestis contra Henricum IV Imp. et contra Guibertum Antipapam pro defensione Gregorii VII legitimi Pontificis Romani.*

XXII. **Bernardus Corbeiensis** *apologia pro Gregorio VII.*

XXIII—XXV. **Bonizo Placentinus** Eppus inter illos, qui Gregorio VII certaminis adfuere socii, excellit, et scriptis pluribus inclaruit. Primum *IX Libros* edidit *ad Amicum* (fors Anselmum Lucensem) inscriptos: in quibus ad duas amici quaestiones: cur Ecclesiam tamdiu pati Deus iustus permitteret, et num pro fide christiana liceret armis uti? respondendo, ita versatur, ut primum fuse ostendat, Ecclesiam et oportere procellis agitari, et agitatam fuisse cum triumpho, uberrime res Gregorii VII tribus libris comprehendens. Cuius vita absoluta et refutatis opprobriis a partibus Henricianis Gregorio obiectis, alteram quaestionem amici pertractat, hacque et Patrum dictis et exemplis veterum aeque ac recentiorum soluta, armis Mathildae victoriam precando, operi finem imponit. — Alterum Bonizonis opus est: *liber in Hugonem schismaticum*, qui erat Urbani II acerrimus hostis. Tertium: *Collectio Canonum* in 10 libros divisa, eoque scopo exarata, ut Romanorum Pontificum decreta vel gesta percurrendo, quidquid Ap. Sedis auctoritati specialiter competere videretur, hinc inde excerperet, atque in voluminis unionem novae compilationis arte conflaret. Collectionis istius liber quartus est *de excellentia Romanae Ecclesiae*, ab exponendo S. Petri primatu incipit, et singulorum RR. PP. res usque ad sua tempora paucis refert.

XXVI—XXVIII. **Goffridus Vindocinensis** Abbas: *opuscula duo de ordinatione Epporum et de investitura laicorum.* Item: *de simonia et investitura laicorum, quare utraque dicatur haeresis.* Porro: *de possessionum eccles. investitura, quod regibus concedatur.* In omnibus his opusculis propugnat gesta Gregorii VII aliorumve Pontificum, iura Ecclesiae contra Regni et Imperii abusus. Tria isthaec opuscula subin in unum collegit, et sub nomine ‚Tractatus de ordinatione Epporum et investitura laicorum' reliquit.

XXIX. **Manegandus** vel *Manegoldus*, occasione dissidii inter Gregorium VII et Imperatorem pro Papa scripsit.

XXX. **Hugo Lugdunensis** AEppus, *apologia pro Gregorio VII adversus Guibertum.*

XXXI. **Leo Ostiensis** libro III. *Historiae Cassinensis.*

XXXII. **Lambertus Schaffnaburgensis** *historia rerum Germanicarum.*

XXIII. **Desiderius Cassinensis** (Victor III. PP.) *dialogi*: quorum primo propugnat auctoritatem legitimi Pontificis adversus Guibertum aliosque schismaticos.

XXXIV. **Deusdedit** Cardinalis, aliis *Deodatus*, acerrimus propugnator Gregorii VII. exaravit librum quadripartitum *de privilegiis et auctoritate Ecclesiae Romanae statusque ecclesiastici, adversus rerum eccles. invasores, simoniacos, et schismaticos Guibertinos et Henricianos.* *)

XXXV. **Paulus Bernriedensis**, *de rebus gestis Gregorii VII. P. M. liber singularis.*

XXXVI. **Domnizo** *de vita et rebus gestis Mathildis Comitissae libri duo.*

LITERATURA SEC. XII.

1. De Primatu.

12. **Theodoricus** Abbas S. Trudonis Leodiensis, carmine insectatur Romanos Pontifices. 1120.

13. **Sigizzo** iunior, Cardinalis sub schismate pro Anacleto pseudo-papa contra Innocentium II tractatum concinnavit. 1136.

*) *Maii* nova Patrum Bibliotheca. VII. 3. p. 77.

14. **Bernardus Cluniacensis** monachus dactylo carmine scripsit satyras contra Papam et Clerum.

15. **Egbertus** abbas S. Floriani in dioecesi Trevirensi, *epistola de schismate pontificio*, in qua reformationem pontificatus propugnat. 1160.

XLIV. **Anselmus Cantuariensis**, *de laudibus Petri Ap.* 1109 (in: Colloquiis coelestibus. Lugduni 1630. editis).

XLV. **Melchiades Claraevallensis**, *de legitima Petri Cathedra contra schismaticos.* 1120.

XLVI. **Annales Romani:** sub hoc nomine comprehenduntur historicae relationes de Summis Pontificibus, iam aevo Gregorii VII coeptae, sed Seculo XII continuatae. Eae habent quoque nomen **Libri Pontificalis.** Integros hos Annales primum vulgavit *Pertz* in Monumentis Germaniae, dein *Watterich* in vitis RR. PP. Sec. IX. ss.

XLVII. **Petrus Guillermus** bibliothecarius, exaravit *vitas RR. PP.* 1120.

XLVIII. **Petrus Pisanus** *de vitis Rom. Pontif.* 1130.

XLIX. **Norbertus** pater Praemonstratensium, insigne concinnavit opus *pro defensione Innocentii II contra Petrum Leonem sub nomine Anacleti antipapam.* 1134.

L. **Disputatio Oxoniensis** *de suprema auctoritate Rom. Pontificis.* 1144. Huius disceptationis inter *Nicolaum Albanensem*, *Galfridum Monumethensem*, et *Laurentium Dunelmensem* institutae post Baleum meminit ‚Collectio Iudiciorum de erroribus. Parisiis. 1738. T. I.' sed uberiorem de ea relationem non praestitit.

LI. **Malachiae** AEppo Armachano in Hibernia, A. 1148. mortuo, adscribuntur *prophetiae seu vaticinia de Coelestino I aliisque deinceps Pontificibus Romanis usque finem mundi.* Utcunque nihilominus consentiunt eruditi, haec vaticinia falso adscribi dicto S. Praesuli: tum quod nullus scriptor coaevus vel suppar eorum meminerit, nequidem S. Bernardus, Malachiae familiaris eiusque vitae scriptor; tum quod *Arn. Wion* A. 1593. florens affirmet, haec vaticinia primo a se excusa fuisse, quin memoret unde ea acceperit; tum quod in eis pseudopontifices legitimis inserantur nec ordo chronologicus servetur.

LII. **Boso** Cardinalis, *de vitis RR. PP.* 1149. ss.

LIII. **Rolandus Bandinellus** (Alexander III. PP.) *de potestate ecclesiastica et electione R. P.* 1159. Idem qua Pontifex epistolas decretales sui temporis in unum Codicem redactas ‚Consulta Alexandri' appellari voluit.

LIV. **Hugo Rothomagensis** AEppus, *dogmatum christianae fidei contra haereticos sui temporis, sive de Ecclesia et eius ministris libri tres.* 1167.

LV. **Senatus Bravonius** Anglus O. S. B. *de Pallii pontificii ratione.* 1170.

LVI. **Richardus Victorinus** *de potestate Petri.* 1173.

LVII. **Adamus Victorinus** Can. Reg. S. Aug. *prosa de S. Petro Apostolorum Principe.* 1177.

LVIII. LIX. **Bernardus** Abbas fontis Calidi, *tractatus contra Waldenses;* item: *tractatus contra Petrum Ioannem,* qui Postillam in Apocalypsin vulgans, Papam nomine antichristi compellavit. Posteriorem tractatum simul cum *Anselmo* concinnavit.

LX. **Ermengardus,** *contra haereticos, qui dicunt et credunt, mundum istum et omnia visibilia non a Deo, sed diabolo esse facta.* Tuetur cetera inter contra Waldenses auctoritatem R. Pontificis.

LXI. **Honorius Augustodunensis** *series RR. PP. a Petro ad Innocentium II.*

LXII. **Nicolaus Maniacutius** *de RR. Pontificibus* carmine. 1180.

LXIII. **Ptolemaeus Lucensis** O. Praed. *de Rom. Pontificibus a Petro usque Coelestinum V.*

LXIV. **Ioannes Scotus** Eppus Dunkeldensis, *de appellatione ab interdicto.*

LXV. **Laborans** Cardinalis, *epistola de appellationibus.* 1189.

LXVI. **Pandulphus Masca** Card. Pisanus, *Rom. Pontificum vitae a Petro usque Innocentium III.* 1189.

Graecorum scripta.

16. **Nicetas Seidus,** *non simpliciter antiqua novis venerabiliora, ideoque neque novâ vetus Roma, nec sedes sede.*

1110. Auctor aegre ferens, a Latinis ex Ecclesiae Romanae antiquitate argumentum pro dignitate ac veritate dogmatum rituumque sumi, dictum opus concinnavit: e quo tantum fragmenta quaepiam citantur per *Allatium.*

17. **Euthymius Zigabenus** CPnus monachus, *orthodoxae fidei dogmatica panoplia adversus omnes haereses.* 1116. Opus contra Latinos et R. Pontificem.

18. **Nilus Doxapatrius** archimandrita, *de maiorum Patriarcharum sedibus.* 1143. Primatum Romanum non a Petro, sed inde solum derivat, quod Roma caput orbis foret.

19. **Michael Anchialus** Patr. CPnus, in *dialogo ad Michaelem Comnenum.* 1167. acerrimum se exhibuit Papae et Latinorum hostem.

20. **Nicephorus I.** Metrop. Kioviensis, *de secessione Latinorum ab Ecclesia orientali.*

21. **Theodorus Balsamon** celebris Graecorum Canonista, qui, Latino Patriarcha Antiocheno de possessione sua se deturbari haud sinente, ipse Patriarcham Antiochenum se dicebat, nil fere a Photio dissentiens seu natura sive moribus ac doctrina, ut hic, bellum pro schismate suscepit contra Latinos, ac cumprimis Romanum Pontificem — in suis *Commentariis in Nomocanonem Photii.* 1191. Sed plurima ita temere effutivit, ut ex ipsis Graecorum scriptis facile possit refelli.

22. **Ioannes Camaterus** Patr. CPnus, *epistola ad Innocentium III. Papam* contra titulum Eppi ‚Universalis,' quem Eppo Romano nequaquam competere contendit. 1199.

Inventi sunt Sec. XII inter Graecos, qui Primatum Romanae Sedis confessi fuere. In horum numero fuit:

LXVII. **Anonymus Graecus** *de Papis ex Chronico.* 1129. ‚Fragmentum historiae Pontificiae a Formoso usque Ioannem Decimi successorem.' Ex spicilegio *Maii* vulgat hoc opus *Migne* in Patrol. Graeca. t. 57. *. p. 203.

LXVIII. **Hugo Etherianus**, Caesari Comneno Manueli carus, librum conscripsit ad Alexandrum III. PP. missum *de haeresibus, quas Graeci in Latinos devolvunt:* in eo sequentia occurrunt verba: ‚Ex ipsa rei evidentia liquido apparet, quod Pe-

trum eiusque successorem Christus principem et caput non modo Latinorum et Graecorum, Occidentis et Septemtrionis Universi, verum etiam Armenorum, Arabum, Iudaeorum, Madianitarum, et totius Orientis, et Meridiani climatis in perpetuum constituit.'

LXIX. **Anselmus Havelbergensis** Eppus acriter pugnabat contra Graecos pro Primatu R. P. sub Caesare Caloioanne. 1145.

23. **Nechites** graecus theologus prioris argumenta enervare nitebatur.

---

2. Pontificatus et Imperium.

21. **Laurishamensis** Abbatiae *libellus supplex ad Henricum V Imp. contra Hildebrandinos monachos in Hirsaugia.*

22. **Leodiensium** *epistola adversus Paschalem II Papam* pro iure Principum in rebus ecclesiasticis. 1107.

23. **Anna Comnena** *Alexiades, sive historia contra Gregorium VII. PP.* Meris conviciis ac mendaciis rem suam agit, ut probavit *Gretserus.*

XXXVII. **Placidus Nonantulanus** Prior, dein Eppus, *de honore Ecclesiae.* 1119. Insignis liber contra investituras, et iniquam potestatem Henrici IV. Peculiariter haec propugnat: Dominum N. I. C. beato Petro specialius Ecclesiam commendasse, Pontificis electionem a confirmatione secularis potestatis haud pendere, investituras laicorum damnandas esse.

XXXVIII. **Hesso Scholasticus** *commentariolus de tractatione pacis inter Calixtum II Papam, et Henricum V Imp.* Tractatum hunc e tenebris eruit *Tengnagel* in suis monumentis contra schismaticos. 1612.

XXXIX. **Eadmerus** Eppus S. Andreae in Scotia, *de libertate ecclesiastica, seu de discordia inter Guilelmum Rufum Anglorum Regem, et Anselmum.* 1121.

XL. **Bernardus Claraevallensis** *epistolae de iuribus Sacerdotii et Imperii.*

XLI. **Thomas Cantuariensis** *epistolae ad Regem Henricum.* Sunt quasi dissertatio de relatione potestatis Praesuleae ad Regiam. Diserte confitetur: ‚Petro dictum est, et in Petro aliis Ecclesiae Dei rectoribus, non regibus, non principibus: Tu es Petrus etc. — Certum est, Reges potestatem suam accipere ab Ecclesia, non ipsam ab illis, sed a Christo.'—

XLII. **Ioannes Sarisberiensis,** *Polycraticus seu de nugis curialium.* 1159. De potestate Principum relatae ad Pontificum auctoritatem, affirmat: ‚— Gladium de manu Ecclesiae accipit princeps, cum ipsa tamen gladium sangvinis omnino non habeat. Habet tamen et istum, sed eo utitur per principis manum, cui coërcendorum corporum contulit potestatem, spiritualium sibi in pontificibus auctoritate reservata.'

XLIII. XLIV. **Gerhohus** Praepositus Reicherspergensis, *syntagma de statu Ecclesiae sub Henricis IV et V Imperatoribus, et Gregorio VII nonnullisque consequentibus Pontificibus Romanis.* Est egregia defensio Gregorii VII contra Henricum IV. Idem in alio etiam opere *de aedificio Dei, seu studio et cura disciplinae eccles.* auctoritatem Romanae Sedis praeclare defendebat.

XLV. **Rogerius** Anglus historiographus, de pontificatu Gregorii VII per id meritus est, quod acta eiusdem moderate ac prudenter evolverit, factasque adversus decreta Gregorii obiectiones eliserit.

LITERATURA SEC. XIII.

1. De Primatu.

24. **Gualterus Mapes,** seu *Mapus,* aut *Mapaeus,* ADiaconus Oxoniensis, *carmen in Romam.* 1210. Sic incipit: Roma mundi caput est, sed nihil capit mundum.

25—27. **Alexander Cantuariensis** Abbas, *de Ecclesiae potestate; — de potestate vicaria; — de cessatione papali.* 1217.

28. **Robertus Lincolniensis,** ob magnum caput *Capito* vocatus, *tonitru contra Curiam Romanam.* 1235.

29. **Petrus Cassiodorus** eques Anglus, *epistola de tyrannide Pontificis Romani in iura regni et ecclesiae Anglicanae.* 1250.

30. *Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum.* 1256. Contra auctoritatem R. Pont. multa continet, et ab Alexandro IV damnatus est.

31. **Stephanus Borbone** *liber de 7 donis Spiritus S.* Propugnat fabellam de *Ioanna Papissa.*

32. **Nicolaus de Bibrach** *occultus.* 1290. In libro hoc versibus concepto calumniatur Rom. Pontifices.

33. **Robertus Gallus**, primum Praelatus, dein Dominicanus, opusculi vehementis adversus R. Pontificem, quem antichristum vocat, auctor. 1290.

LXX. **Ioachimus Abbas** Florensis, in *expositione super Hieremiam* initio Seculi scripta, dum de statu Ecclesiae, eiusque tribulationibus vaticinatur, de Ecclesia Romana peculiari cum veneratione scribit; mirumque videri debet, qui fieri potuerit, ut Protestantes, inprimis *Flaccius Illyricus* eundem inter oppugnatores Primatus recenserent. In protestatione enim sua diserte confitetur: ‚se semper paratum esse ea, quae Ecclesia Romana statuit, observare, — seque credere firmiter, non posse portas inferi praevalere adversus eam, etsi ad horam turbari et procellis agitari contingat, non deficere fidem eius usque ad consummationem seculi.' —

LXXI. **Reinerus Sachonus,** vir eruditus, primo sectae Waldensis membrum, dein ab ea recedens, arcana sectae de Ecclesia Romana revelavit in opere *de haereticis.* 1254. In eo nimirum ostendit, Waldensium de Ecclesia Romana hanc fuisse sententiam: quod Romana Ecclesia non sit Ecclesia Iesu Christi, sed Ecclesia malignantium, et in Silvestro defecerit, dum venenum possessionum temporalium in Ecclesiam infusum est.

Vitas Rom. Pontificum exararunt:

LXXII. **Guilelmus Gatadegus,** Parmensis.

LXXIII. **Ioannes Rufus,** Anglus O. Praed.

LXXIV. **Landulphus de Columna,** Canon. Carnotensis.

LXXV. **Gervasius Ricobaldus,** Ferrariensis.

LXXVI. **Martinus Carsulanus.**

LXXVII. **Bernardus Guido,** *speculum RR. PP. historicum, nec non Imperatorum et Regum Galliae.*

LXXVIII. **Bonacursius** O. Praed. *thesaurus veritatis fi-*

dei. 1260. In eo continentur tractatus de primatu et auctoritate Ecclesiae Romanae et Summorum Pontificum.

LXXIX. **Richardus Cluniacensis** *Romanorum Pontificum series.* 1260.

LXXX. **Albertus Magnus,** in Operibus suis magno numero conscriptis et *de ecclesiastica Hierarchia,* et *Romano Pontifice* fuse tractat.

LXXXI. **Conradus a Mure** Can. Tigurinus, *carmen apologeticum adversus obtrectatores Curiae Romanae.* 1273.

LXXXII. **Humbertus de Romanis** O. Praed. *libro de his, quae tractanda videbantur in C. Gen. Lugdunensi sub Gregorio X.* 1274. fuse agit de Romana Ecclesia, eiusque supremam tuetur auctoritatem, licet nonnumquam et gravaminum contra Curiam Romanam mentionem iniiciat.

LXXXIII. **Martinus Polonus** *Chronicon Summorum Pontificum atque Imperatorum Rom.* 1277. In eo continetur et fabella de *Ioanna Papissa.*

LXXXIV. **Aldobrandinus Papparonus** O. Praed. Senensis, et **Petrus Daco** de quaestione: *utrum plus fuit, quod Dominus commisit Petro Ecclesiam, an quod Ioanni commisit B. Virginem?* disceptabant 1287. Aldobrandino pro Petro, Dacone autem pro Ioanne fervide pugnantibus. *)

LXXXV. **Theobaldus Stampensis** O. S. Fr. Cardinalis, *contra eos, qui negant, Christum S. Petro et eius successoribus tradidisse regimen totius Ecclesiae.* 1288.

LXXXVI. **Henricus de Gandavo,** Doctor Parisinus, vulgo Solemnis, *pro superioritate Papae supra Concilia.* 1293.

LXXXVII. **Ptolomeus Lucensis** O. Praed. *Historiam RR. PP.* docto volumine complexus. 1294.

LXXXVIII. **Petrus Ioan. Olivius** de Bituris, O. S. Fr. quaestiones de Papae et Concilii auctoritate. 1297.

Scripta Graecorum.

34. **Anonymus Graecus** initio Seculi exaravit librum: *criminationes adversus Eccl. Latinam,* quarum plurimae contra Rom. Pontificem diriguntur eo scopo, ut primatum eiusdem in odium et invidiam adducant.

*) *Fabricii* Bibliotheca. Ed. *Mansi.* I. 55.

LXXXIX. **Germanus II.** Nauplius, Patr. CPnus, *epistola ad Gregorium IX PP. de Unione*, priorem Scriptorem refutavit. 1226.

XC. **Manuel Calecas**, vel iuxta alios **Pantaleon,** CPnae Eccl. Cartophilax, in *tractatu contra Graecorum errores*, Cap. 4. ‚de obedientia Romanae Ecclesiae' copiose disserit: suorum separationem *irrationalitatem et praeter Ecclesiae leges patrumque theologiam* esse asserens, item *Ecclesiam Romanam a S. Petro fundatam, et semper ad omnes fluctus immobilem persistere* affirmans. Tractatum hunc a. 1252. in aedibus FF. O. Praedic. CPli vulgatum, primus typo commisit *Petrus Stevartius* Ingolstadii. 1616.

XCI—XCIV. **Ioannes Veccus** vel **Beccus** Patr. CPnus, insigniter tuebatur Sacram cum Romana Sede unionem, et in operibus suis luculentissima pro Primatu edidit testimonia. In opere: *de Unione Ecclesiarum veteris et novae Romae* identidem confitetur, Ecclesiam Romanam bene in omnibus sentire nec in ullo falli, e contra schismaticos in errore versari. *) Pariter in oratione *de iniusta sui depositione* conspicua pro primatu profert argumenta; **) prout et in *Apologia*, ***) cuius argumentum est: nullo modo Graecorum consvetudinem destrui, si Ecclesiarum unionem acceptant, sed ad conciliandam in Christo pacem multum conducere, quod inter se in asserendo dogmate conveniunt. Scripsit insuper *ad Sugdaeae Eppum Theodorum libros tres*, in iisque non tantum dogmaticas concinnavit disquisitiones, sed et historiam texuit schismatis Photiani.

XCV. XCVI. **Georgius Metochita** Ioannis Becci diaconus, et omnium, quae hic pati debuit, malorum socius, non solum voce unionem cum Latinis strenue promovit, sed et scripta eam in rem vulgavit: signanter *tractatum contra pacis eccles. adversarios*, et: *orationes de concordia inter utramque Ecclesiam antiquae et nostrae Romae* inita.

XCVII. **Constantinus Meliteniota** Becci archidiaconus, eodem modo ac Beccus pro causa unionis decertavit, in oratione *de ecclesiastica unione latinorum et graecorum* auctoritatem supremam Rom. Pontificis commonstrans.

---

*) *Leonis Allatii* Graecia orthodoxa. I. 61. ss.

**) Ibid. II. 11. ss.

***) Ibid. II. 103.

XCVIII. **Simon** CPnus, Ordini Praed. Latin. adscriptus, plurium *tractatuum pro Latinis contra Graecos* auctor. 1276. (Non confundendus cum *Simone Cretensi* Sec. XV. et *Simone Iacumaeo* Sec. XIV.)

XCIX. **Ioannes Chila** metropolita Ephesius, ad Imperatorem Andronicum Palaeologum pro concordia cum Latinis scripsit. 1280.

35. **Matthaeus Angelus** *Panaretus* dictus, magnus causae Graecorum fautor ac S. Thomae Aquinatis de processione Sp. S. oppugnator, concinnavit *dissertationem contra Latinos de primatu Papae.* 1273.

36. 37. **Gregorius Cyprius** Patr. CPnus, et Becci et Latinorum hostis infensus, plura scripsit contra Beccum: utpote *Sermones contra blasphemias Vecci; — decretum synodale et dissertationem antirrheticam contra Ioannis Vecci blasphema dogmata.* Sed haec opera superius laudatus *Metochita* copiose refutavit.

38—40. **Georgius Acropolita,** porro **Constantinus Acropolita,** et **Georgius Moschampar** Unionis et Becci adversarii, scriptis quoque evulgatis rem Graecam promovere adnisi sunt.

41. **Iobus** Hieromonachus, in *apologia* (pro *Iosepho Galesiota* Patr. CPno) Primatum Papae oppugnavit. 1280.

42. 43. **Georgius Pachimeres,** et **Andronicus Palaeologus Comnenus** Imperator, Unionis hostes, et posterior *pluribus epistolis ad Romanum Papam* scriptis rem dissidii promotum ibat.

44. Anonymus schismaticus incerti nominis in opusculo *de separatione veteris Romae* mendacem non minus quam impium se exhibuit. 1283.

---

2. Pontificatus et Imperium.

24. 25. **Matthaeus Parisius,** et **Matthaeus Westmonasteriensis** Anglorum historici, in genere omnem historiam suam iniuriis ac criminationibus in Sedem Apostolicam commaculantes, speciatim controversias inter Pontifices et Imperium sub Gregorio VII et deinceps ferventes sic proponunt, ut iuribus Pontificiis detrahant.

26. **Petrus de Vineis** Friderici II Imperatoris Cancellarius, *de potestate imperiali adversus potestatem Rom. Pontificis.* Tractatus iuribus Sedis Ap. adversus.

27. 28. **Fr. Arnoldi** O. Praed. *Epistola de correctione Ecclesiae*; et: *Libellus de Innocentio IV P. M. antichristo.* In utroque scripto partes Friderici II Imp. tuetur adversus Papam, et Ecclesiam in Capite ac membris reformandam proponit.

XLVI. **Gervasius Tilberiensis,** *otia imperialia.* 1200. Opus occasione dissidiorum inter Innocentium III PP. et Imperium ferventium compositum, in quo auctor Caesarem sic alloquitur: ‚Considera, princeps sacratissime, quod ab Innocentio II Papa SS. proavus tuus accepit imperium, quod longo tempore intermissum et post electionem confirmationemque primam relapsum peraeque SSmus tibi reddidit Innocentius. — Si credis in aliquo illum minuere velle ius imperii, cedas in modico ei, qui totum in te contulit imperium. — Profecto imperium tuum non est, sed Christi: non tuum, sed Petri: non a te tibi obvenit, sed a Vicario Christi, et successore Petri. — Beneficio Papae, non suo, Roma tempore Caroli nomen recepit imperii; beneficio Papae Francorum regi confertur imperium; beneficio Papae Regi nunc Teutonum, et non Francorum debetur imperium; nec cedit imperium cui Teutonia, sed cui cedendum decrevit Papa.‘

XLVII. **Honorius Augustodunensis** *de Papa et Imperatore.* 1220.

XLVIII. **Hugo Floreffiensis** O. Praem. *libri duo de regia potestate et sacerdotali dignitate ad Henricum Angl. Regem.* 1227.

XLIX. L. **Sinibaldus Fliscus** (Innocentius IV PP.) *de iurisdictione imperii et auctoritate Pontificis contra Petrum de Vineis, Cancellarium Friderici II Imp. qui imperii omniumque rerum arbitrium Imperatori tantum adscripsit.* 1243. Item: *Apologeticum de potestate ecclesiastica.*

LITERATURA SEC. XIV.

1. De Primatu.

45. **Hermannus** Italus, simul cum Fratricellis sive Beguinis contra Rom. Ecclesiam et Pontificem scripsit, 1300.

46. 47. **Gerardus Sagarellus**, et **Dulcinus Novariensis**, sectae Waldensium addicti, contra auctoritatem R. P. scripsere, dictitantes, illam omnino evacuatam esse ob malitiam Pontificum. 1300.

48. **Gulielmus de S. Amore** Doctor Sorbonicus, *exemtiones Religiosorum* impugnavit a Sede Apostolica concessas. 1304.

49. **Ioannes de Poliaco** Doctor Sorbonicus, in suis *Quodlibetis* potestatem Pontificis usque adeo extenuabat, ut inter illam et potestatem Epporum ac sacerdotum parum vel nil discriminis intercederet. 1321. Errores hos confixit Ioannes XXII PP. per bullam ‚Vas electionis.'

50. **Ioannes de Rupe scissa** O. S. Fr. *Apologus adversus Rom. Pontificem et Cardinales.* 1350. Ab Innocentio VI PP. custodiae traditus.

51. **Anonymus:** *de aetatibus Ecclesiae tractatus contra primatum et superioritatem Papae Romani.* 1350.

52. **Nicolaus Orem** coram Urbano Papa V et Cardinalibus habens orationem, acriter reprehendit omnem Clerum, Papaeque exitium vaticinatus est. 1364.

53. *Commentaria in Apocalypsin.* 1390. Codicem hunc contra Pontifices conscriptum *Lutherus*, ut ait, ex finibus Livonicis ac Polonicis missum, evulgavit.

C. **Gervasius Riccobaldus** Ferrariensis, *vitae RR. PP. a Petro ad a. 1300. deductae.* 1301.

CI. **Leo Urbevetanus** *Chronicon Rom. Pontificum.*

CII. **Amalricus Augerius Borry** *actus Pontificum Rom.*

CIII. **Matthaeus de Rubeis** Card. *de auctoritate Summi Pontificis.* 1306.

CIV. **Iacobus Viterbiensis** *de regimine Christianitatis.* 1310. Cumprimis de Rom. Pontifice.

CV. **Durandus Mimatensis** in *tractatu de celebrando Concilio,* quem a Clemente V Papa iussus edidit a. 1311, multis videtur deprimere auctoritatem Rom. Pontificis. At ex verbis ipsius, quae praesertim Gallicani auctores pro evincenda superiore Concilii Generalis potestate producunt, nil prorsus concludere licet, quod ad minuendam Summi Pontificis auctoritatem faceret. In memorato quippe tractatu clare ait: conditionem generalis ordinationis Concilii Oecumenici esse eam, ut a Romanis Pontificibus sit approbata; item Romanam Ecclesiam quibusvis Ecclesiis praesidere, esseque Caput, a quo ceterae dependeant etc.

CVI. Eodem, quo Durandus tempore anonymus hortatu eiusdem Papae *de agendis Generalis Concilii* exaravit opusculum: abusus quidem perstringens, at auctoritati Pontificiae nil praeiudicans, imo asserens: Romanum Pontificem non esse de iure subordinatum canonibus, utpote Caput ac Principem Ecclesiae, sed sponte se alligare legibus ecclesiasticis, quarum ipse sit praecipuus auctor, et in quarum observantia ceteris exemplo praeeat.

CVII. **Iacobus de Thermis,** Abbas Cisterc. Challiacensis, *contra impugnantes exemtiones et privilegia Regularium, maxime contra Aegidium Romanum.* 1311.

CVIII. **Ioannes de Belna** in opusculo, quod *Baluzius* collectioni veterum monumentorum inseruit, *summam in decidendis fidei quaestionibus potestatem* Papae tribuit. 1319.

CIX. **Hervaeus Natalis,** Brito Armoricus, O. Praed. *tractatus de potestate Ecclesiae et Papae.* 1323. Opus Parisiis 1500. impressum. Auctor *infallibilitatem* Pontifici tribuit.

CX. **Bernardus e Castro S. Vincentii** O. Praed. *Annales Summ. Pontificum a S. Petro usque Ioannem 22.* 1316.

CXI. **Annibaldus de Ceccano** Card. Tusculanus, *vitae SS. Petri et Pauli App.* versu heroico. 1327.

CXII. **Bernardus Guidonis** filius, Lemovicensis, primum Tudensis in Hispania, dein Lodovensis in Gallia Eppus, *vitae RR. PP.* 1331. Eae primo a Card. *Maio* in Spicilegio Romano. T. VI. Romae. 1841. vulgatae fuere.

CXIII. **Henricus de Traiecto** O. Praed. *tractatus de auctoritate Papae.* 1332.

CXIV. CXV. **Guilelmus Godius** vel *de Godino,* Cardi-

nalis, *tractatus de principum et praelatorum Ecclesiae potestate;* item insigne volumen *de iuribus ac privilegiis Romanae Ecclesiae.* 1336.

CXVI. **Simon Burneston** O. Praed. *de unitate et ordine ecclesiasticae potestatis.* 1337.

CXVII. **Matthaeus Ursinus** O. Praed. *de auctoritate Ecclesiae seu Summi Pontificis.* 1340.

CXVIII. **Bartholomaeus de Osa** Bergomensis, *historia Pontificum et Imperatorum Romanorum XVI libris.* 1342.

CXIX. **Guilelmus Cremonensis** *de auctoritate Apostolica.* 1343.

CXX. **Ioannes de Ultricuria** *propositiones de auctoritate R. P. Romae damnatae, et Parisiis retractatae.* 1348. Prodierunt typis Parisiis 1589. et 1610.

CXXI. **Bartholomaeus de Carusio** Augustinianus, *liber de Rom. Pontificis, Vicarii Christi, auctoritate.* 1350.

CXXII. **Petrus de Ceffona** Abbas Claraevallensis, *liber de auctoritate Summi Pontificis.* 1350.

CXXIII. **Philippus de Pera,** O. Praed. *tractatus de obedientia Romanae Ecclesiae debita.* 1358.

CXXIV. **Bartholomaeus Anglicus** Minorita, *vitas RR. PP.* prolixo deduxit volumine. 1360.

CXXV. **Nicolaus Rosellus** O. Praed. Cardinalis Arragonius, *de gestis Rom. Pontificum.* 1362.

CXXVI. **Ioannes Balistarii** Catalanus Carmelita, *de bello forti militantis Ecclesiae et antichristi ipsam impugnantis.* 1363.

CXXVII. **Petrus Corsinus** Eppus Florentinus et Cardinalis, *vitas aliquot Pontificum* fuso commentario docte complexus. 1370.

CXXVIII. **Anonymus O. Praedic.** *liber dialogorum Hierarchiae subcoelestis inter orthodoxum catholicum et catechumenum sincerum.* 1382. Auctor primatum docte propugnat.

Auctores de schismate magno scribentes.

CXXIX. **Nicolaus Roselli,** iam superius laudatus, *de unitate Ecclesiae et schismate vitando.* 1362.

CXXX. **Petrus Flandrinus** Vivariensis, Card. *tractatus de Papatu, sive de facto schismatis et impressionis pro Clemente VII adversus Urbanum VI.* 1371.

54. **Anonymus,** *invectiva in monstrum Babylonis.* 1378. Est poëma contra pontificium schisma.

CXXXI. **Simon de Puteo** Messanensis, Eppus Catanensis, *acta sive in inquisitione sive in defensione iurium pontificiorum, praesertim Urbani VI.* 1378.

CXXXII. **Anonymus O. Praed.** *de schismate Avenionensi.* 1382.

55. **Gerardus Magnus** vulgo *Groot, de shismate inter Urbanum VI et Clementem VII. epistola.* 1384.

56. **Gualterus Dissaeus** de eodem argumento.

CXXXIII. **Robertus Gervasii** O. Praed. *tractatus de schismate adversus Ioannem de Linhano et Baldum Perusinum defensores Bartholomaei Barensis* (Urbani VI). 1387.

CXXXIV. **Bertramus Teuto** O. Praed. *tractatus de schismate Urbani VI et Clementis VII pseudopontificis ad Cunonem de Falkenstein Trevirensem AEppum.* 1387.

CXXXV—CXXXVIII. **Ioannes de Montesono** O. Praed. *tractatus brevis de electione Papae quoad materiam schismatis nunc currentis informatorius;* — porro: *correptorium contra epistolam fundamenti schismatis* (encyclicam Cardinalium Anagniae editam); — item: *dialogus ad Card. Bartholomaeum Mezzavaccam super schismate orto tempore Urbani VI.;* — demum: opus, quod dicitur, *‚Scopos‘ 72 conclusionum ad peragrandam viam Ecclesiae a devio triviali ad Bonifacium IX Papam.* 1388. Auctor hic sententias de potestate suprema R. P. propugnabat, quae Parisiensium Doctorum suffragium nequaquam tulerunt. Eum oppugnavit signanter:

57. **Petrus de Alliaco** Eppus et Cardinalis Cameracensis, *tractatus ex parte Universitatis studii Parisiensis pro causa fidei contra quemdam fratrem Ioannem de Montesono O. Praed.* 1388.*) Auctor ultro admittit supremam Rom. Pontificis in rebus fidei auctoritatem: sed conclusionibus Montesoni opponit tales, per quas admodum dubia redditur eius genuina sententia; insuper distingvit inter Sedem Apostolicam, et personam Rom. Pontificis, eo alioquin scopo, ut Epporum ius et auctoritatem in decidendis fidei quaestionibus extollat, et supremum ac falli nescium Summi Pontificis iudicium enervet.

*) *Collectio iudiciorum de novis erroribus. Opera Caroli du Plessis d' Argentre.* Paris. 1728. I. 2. p. 75. ss.

CXXXIX. **Bernardus Lagerius de Figiaco** Card. *de schismate contra sui temporis haereses, seu schismate Urbani VI et Clementis VII.* 1392.

CXL. **Benedictus XIII** pseudopapa, *de potestate Summi Pontificis et Concilii.* 1384.

CXLI. **Parisiensium** *sententia de auctoritate Rom. Pontificis sub decursu schismatis disputata: aliis Papae, aliis Ecclesiae in Conciliis congregatae supremum iudicium adserentibus.* *) 1395.

CXLII—CXLV. **Nicolaus Eymericus** O. Praed. plures concinnavit tractatus: *contra Universitatem Parisiensem, Dei Ecclesiam impugnantem, responsiones ad XXIX quaestiones pro Benedicto XIII; — tractatus de potestate papali seu Summi Pontificis* pro Clemente VII.; — *epistola ad Cardinales Anagniae agentes:* in hac probare nititur, electionem Urbani VI irritam ac nullam esse; — *contra emissum in Conclavi per Papam et Cardinales promissorium iuramentum, et contra epistolam Parisiensium magistrorum.* 1395. 1399.

CXLVI. CXLVII. **Petrus Emilarii** O. Praed. auctor tractatuum: *Non est licitum Christiano cogere Papam ad cedendum et resignandum; — non licet nec expedit Ecclesiae Gallicanae subtrahere obedientiam Domino nostro in his, quae pertinent ad officium Cathedrae.* 1398.

CXLVIII. **Simon de Cramado** in Synodo Parisiensi exhibuit *tractatum de schismate in Ecclesia Romana.* 1398.

Auctores Graeci.

58. **Nicephorus Chumnus,** qua monachus *Nathanaelis* nomine compellatus, 1320.;

59. **Andronicus** CPnus, ex familia imperatoria, 1327.;

60. **Matthaeus Blastares,** hieromonachus, 1335. — omnes contra unionem cum S. Sede Apostolica.

61. 62. **Nilus Cabasilas** AEppus Thessalonicensis, strenuus causae Graecorum propugnator, et magnae apud hos auctoritatis. Duo praesertim opera eius huc pertinent: *Oratio demonstrans, non aliam dissidii ecclesiarum causam esse, quam quod Papa eius, quod controversum est, cognitionem ac iudicium ad*

*) Collectio iudiciorum, l. cit. p. 152.

Oecumenicam Synodum deferre detrectat, sed ipse solus controversiae magister ac iudex sedere velit; — et: *de primatu Papae.* 1340. Opus posterius frequenter est editum. In eo de Primatu ita se enunciat, ut hunc per se non controvertat, sed duntaxat exposcat, ut Romanus Pontifex res fidei non per se, sed per Synodos discuti faciat. Verba eius sunt: ‚— Neque unquam cum Romana Ecclesia de Primatu contendimus, neque de secundo loco Ecclesiae CPnae nunc agimus. Quamdiu Papa ordinem servat, et cum veritate stat, a primo et proprio principatu non removetur, et caput est ecclesiae, et summus pontifex, et Petri reliquorumque apostolorum successor, omnesque ei obedire oportet.‘

63. 64. **Nicolaus Cabasilas,** prioris nepos, et subin in AEppatu successor 1350. Graecae Ecclesiae contra Latinos acerrimus propugnator; — porro **Gregorius Palamas,** aeque AEppus Thessalonicensis 1354. Latinorum hostis infensissimus, tum Ioannem Beccum impugnando, tum de Ecclesia Romana in plures partes scindenda vaticinando, apud suos inclaruit.

65—67. **Demetrius Chrysoloras** philosophus ac astronomus plura emisit contra Latinos scripta 1398. Praecipua sunt: *Dialogus contra Latinos; — epitome ex Nili operibus; — oratio synoptica ex iis, quae S. Nilus AEppus Thess. tradidit.*

CXLIX—CLII. **Barlaamus,** gente Calaber, ex urbe Seminaria oriundus, ord. S. Basilii monachus, cum Latinis educatus, primum cum his contra Graecos sensit: dein ad Graecorum castra transiens, Latinos oppugnavit. Sed rursum ex Graecia excedens, et Hieracensis in regno Neapolitano Eppus factus, pro Latinis plura scripta vulgavit. Cuiusmodi inconstantia Barlaami induxit plures, (etiam *Roccabertum* in Bibl. Pontif. t. 5.) ut duos fuisse Barlaamos putarent, alterum monachum, alterum Eppum. Auctor hic initio obstinatus, et donec in Graecia moraretur, scriptis quoque Sedem Apostolicam eiusque legatos oppugnans, nil intermisit, quod ab illo schismatis causa postulare videbatur. Ast in Italiam perveniens, et poenitentia tactus, schisma acerrime insectabatur. Pro Primatu scripsit sequentia opuscula: 1340. ss. *Epistola prima ad amicos suos in Graecia constitutos de unione S. Rom. Ecclesiae; — epistola*

secunda ad eosdem suos amicos graecos de primatu Ecclesiae Romanae et de processione Sp. S.; — de principatu Papae adversus quempiam Franciscanum; — de primatu Papae ad AEppum Cabasilam; — epistola ad Alexium Calochetum, in qua ostendit, Graecos non obedientes Romanae Ecclesiae esse non solum schismaticos, verum etiam haereticos. In omnibus his opusculis Primatum insigniter tuetur. „Huius, inquit, gentis (Latinorum) universa multitudo sub uno est ordinata principio, Ecclesia videlicet Romana et eius Praesule, quem omnes honorant et metuunt non tamquam armis et vi dominantem, nec tamquam humana lege vel generis successione vel multitudinis rumore dominium sumentem, sed tamquam ab ipso Christo ordinatum et in terris vices gerere constitutum."

CLIII. **Demetrius Cydonius** Cretensis, *oratio ad Graecos deliberativa.* 1357. In ea pro unione cum Ecclesia Romana peroravit. Confutavit quoque *Gregorium Palamas* superius memoratum, eius doctrinas ‚execrandas' appellans.

CLIV. **Maximus Planudes,** *encomium in sanctos et omni laude prosequendos Apostolorum coryphaeos Petrum et Paulum.* 1370.

CLV. **Manuel Chrysoloras** graecarum literarum in Italia restaurator, doctrinam Ecclesiae Romanae amplexus, eam scriptis quoque defendit. 1389.

---

2. Pontificatus et Imperium.

a) *Controversia Bonifacii VIII cum Philippo Pulchro.*

LI. *Acta inter Bonifacium VIII, Benedictum XI, Clementem V, RR. PP. et Philippum Pulchrum Galliae Regem.* 1300. ss. Acta haec subin in systema redacta, sub titulo: *Tractatus de potestate Paparum* 1614. typis vulgata fuere.

LII. **Angelus Nigri** O. Praed. *de potestate Papae.* 1300.

29. **Quaestio de potestate Papae.** 1301. Est disceptatio in Studio *Parisiensi* habita super hac quaestione: an Papa sit dominus omnium rerum tam in spiritualibus quam temporalibus, sive an utramque iurisdictionem habeat? Dirigitur adversus Bonifacium 8 PP. et continetur tam in *Historia dissidii Bo-*

nifacii 8 et Philippi Pulchri. Paris. 1655. quam in *Historia Univers. Paris. t. IV.*

LIII. **Matthaeus de Aquasparta** Card. Portuensis, *centiloquium de potentia Papae.* 1302.

30. et LIV—LIX. **Aegidius de Columna, vel Columnius, vel Romanus** AEppus Bituricensis, pluribus scriptis occasione huius controversiae vulgatis inclaruit, et potissimum a partibus Summi Pontificis stetit. 1304. ss. Nam opus, quod eidem passim adscribitur: *quaestio in utramque partem disputata de potestate regia et pontificia*, in quo pro supremo ac independente in temporalibus dominio Regis Gallorum se enunciat, non esse genuinum foetum Aegidii Romani, post alios recentissimo tempore solide evictum habetur in pagellis literariis: *Oesterreichische Vierteljahresschrift für kathol. Theologie. Wien. 1862.* In aliis autem genuinis opusculis suis summam Bonifacii VIII PP. potestatem propugnat: *De ecclesiastica potestate libri 3.; — epistola auctoris ad Bonifacium PP. VIII.; — libellus contra infideles et inobedientes et rebelles Sanctae Rom. Ecclesiae ac Summo Pontifici; — de regimine Principum; — liber de renunciatione Papae, sive apologia Bonifacii VIII PP. contra obtrectatores; — de excellentia Summi Pontificis.* In postremo libro pugnat pro suprema R. P. auctoritate, cui et Concilia subiecta sint. Auctor a coaevis suis vocabatur ‚theologorum princeps, aula morum, vitae munditia.'

31. **Ioannes de Parisiis,** agnomento *Surdus,* O. Praed. *tractatus de potestate regia et papali.* 1305. In rebus sacris supremam quidem tuetur Rom. Pontificis potestatem, nullam tamen admittit quoad temporalia.

LX. **Gentilis de monte florum** Picenus, *apologia pro Bonifacio 8 adversus Philippum Pulchrum Galliae Regem.* 1305.

LXI. **Gulielmus Longus** Card. *apologia pro Bonifacio 8. Papa.* 1319.

---

b) *Controversia Ioannis XXII cum Ludovico Bavaro.*

Controversia haec multos invenit Scriptores partim pro Rom. Pontifice, partim pro Imperatore calamum acuentes, praesertim cum et *Minoritarum* nonnulli, Constitutionibus Ioannis 22 Papae de paupertate Christi ac Apostolorum deque dominio

rerum offensi, obedientiam Pontifici excusserant, et ad Ludovicum Bavarum, implacabilem Papae hostem, confugiendo eius schismati adhaeserant. Scripta non tantum vivente Ioanne 22, sed et post eius obitum satis diu vulgabantur super hac controversia.

aa) *Scripta pro Imperatore contra Pontificem.*

32—34. Primi Ludovico Bavaro adversus Ioannem XXII Papam commodarunt venales calamos **Marsilius de Menandrino** Patavinus, O. S. Fr. et **Ioannes de Ianduno** Perusinus, uterque Doctor Parisinus. ‚Priore, ut censet *Albertus Pighius* (Menandri oppugnator Sec. XVI.) nemo diligentius, vehementius aut copiosius causam secularis potestatis adversus ecclesiasticam egisse legitur, quam plane subvertere et in nihilum redigere conatus est. Fuit homo aristotelicus magis quam christianus, atque ex illius magis quam Christi institutis novam ecclesiasticae Hierarchiae formam nisus effingere; tam amarus, tam virulentus in Rom. Pontifices, ut merito dubitares, nisi tempora distingverent, hicne a Luthero, an Lutherus ab isto suam didicerit rhetoricam.‘ Marsilius iam A. 1313. concinnavit *tractatum de translatione Imperii:* praecipuum tamen opus eius fuit *Defensor pacis seu libri 3 de re imperatoria et pontificia adversus usurpatam Romani Pontificis iurisdictionem.* 1324. In libris his Primatus Pontificis et constitutio Ecclesiae ab imis destruitur fundamentis. Asserit quippe: nullum in Ecclesia constitutum Caput visibile, Petrum Apostolum nullam habuisse praeeminentiam, ad Imperatorem spectare Pontifices instituere et deponere, sede vacante Ecclesiam regere etc. Posterior, seu *Ioannes de Ianduno* fideliter adiuvabat priorem in Defensore pacis, et insuper auctor esse fertur libri: *Informatio de nullitate processuum Papae Ioannis XXII. contra Ludovicum Bavarum;* licet ab aliis liber hic *Henrico de Chalheim* adscribatur, aeque ex O. S. Fr. 1338.

Primos hos Ludovici Bavari Theologos et Canonistas sequebantur:

35—37. **Michael Caesenas** O. Min. Generalis, tum in libro *Opus 90 dierum contra errores Ioannis XXII Papae de utili dominio rerum eccles.* 1331. tum in *Epistola ad omnes Fratres O. Minorum*, et alia *ad Regem Romanorum et Principes Alemanniae.* 1333. adversus potestatem Pontificiam vehementius invectus, Papam ‚antichristum,‘ et Romanam Ecclesiam ‚Babylonicam meretricem‘ appellare non exhorruit.

38—44. **Guilelmus de Occam** O. S. Fr. pluribus opusculis tutabatur causam Imperatoris contra Pontificem. Nimirum: *Disputatio super potestate Praelatis Ecclesiae atque principibus terrarum commissa, in forma dialogi inter clericum et militem* (opusculum iam A. 1305. occasione dissidii inter Bonifacium 8 et Philippum Pulchrum concinnatum); — porro: *Super potestate Summi Pontificis octo quaestionum decisiones.* 1326.; — *dialogus inter magistrum et discipulum in 3 partes divisus,* (de haeresi et potestate eam cognoscendi, contra Papam Ioannem XXII ac eius doctrinam de animabus iustorum, et de potestate Papae ac Conciliorum,) 1328. — *Compendium errorum Ioannis XXII. PP.; — opus 90 dierum de utili dominio rerum eccl. et abdicatione bonorum temp. in perfectione status monachorum et clericorum adversus errores Ioannis Papae;* (opusculum simile priori a Michaele Caesenas composito) — *epistola defensoria sui et fratrum minorum contra errores Ioannis 22; — de iurisdictione Imperatoris in causis matrimonialibus tractatus.*

45. **Bonagratia** ex eodem Ordine minoritarum.

46. **Dantes Aligerius,** nobilis Florentinus, patria extorris, literis humanioribus, poësi et eloquentia clarus, latino sermone scripsit librum *de Monarchia* (editum a *Schardio* Basileae. 1566.), in eoque plura adversus auctoritatem supremam Rom. P. protulit, et Ludovicum Bavarum defendit. Italico etiam sermone conscripsit nonnulla, in quibus Papam, quem non obscure antichristum vocat, cavillari non extimuit.

47. **Hubertinus de Casali** O. S. Fr. Ianuensis, tractatus de 7 statibus Ecclesiae. 1330.

48. **Udalricus Hangenor,** seu Magister Ulricus de Augusta, 1334.

Hermannus Ianuensis in continuatione *florum temporum Martini Minoritae.* 1348. processus Ioannis 22. contra Ludovicum Bavarum vellicabat.

49. **Iacobus de Arena** ICtus Patavinus, pro independentia Caesaris a Summo Pontifice.

50. **Iacobus Almainus** Senonensis, *expositio de suprema potestate ecclesiastica et laica.* 1350. Est quasi commentarius in opera *Occami.*

51. 52. **Lupoldus de Bebenburg,** subin Eppus Bam-

bergensis, a partibus stetit Imperatoris, exaratis opusculis *de iuribus regni et imperii Romanorum*, item *de zelo christianae religionis veterum principum.* 1352. Est tamen Scriptor ceteris moderatior.

53. **Bartolus de Saxoferrato,** Bononiae mortuus 1356. in *Commentariis super Digesta* universalem et a Papa independentem monarchiam Caesaris defendit.

54. **Philotheus Achillinus**, vel quisquis alius, (de auctore quippe non convenit inter eruditos) *Somnium Viridarii de iurisdictione regia et sacerdotali.* 1360. ad Carolum V Regem Galliae directum. Opus, in quo primatus Rom. Pontificis et superioritas supra Eppos per Clericum defenditur, per militem impugnatur. Argumenta militis fere eadem sunt, quae Marsilius Patavinus adhibuit. Ceterum in fine operis auctor subiicit omnia iudicio S. Rom. Ecclesiae, et penes Bullam Bonifacii 8 ‚Unam Sanctam' se enunciat. Cuiusmodi conclusio eruditis ex eo suspecta et ironica videtur, quod auctor opus suum Regi Galliarum inscribat, et tamen ad bullam ibi haud receptam provocet.

55. 56. **Franciscus Petrarcha** Florentinus, *epistola de iuribus Imperii Romani et iniuriis Papae Romani eiusque asseclarum.* 1360. item: *Chronica de vitis Pontificum et Imperatorum*, tum in copiosis rhythmis italicis nulli nec personae nec loco parcens, Romam haud semel errorum malorumque fontem compellat. Videtur tamen magis in corruptos mores invehi, quam auctoritatem Romanae Sedis lacessere: hanc enim diserte agnoscit in epistola, quam de repetenda ab Avenionensibus Pontificibus Roma scripserat: ‚Dic, oro, quid agit Sponsa tua, quo consule regitur? — tibi quidem (Pontificem alloquitur) sponsa — est universalis ecclesia; — non inficior, nec angusto tibi sedem tuam; — ubicunque colitur rite Christi lumen, illic sedem tuam esse non nego nec dubito. Inter omnes alias singulare aliquid imo quam plurimum habet urbs Roma etc.' —

57. Ad tempora Petrarchae refertur liber: *Dialogus Pyladis et Orestis,* sub nomine Petrarchae vulgatus, contra Rom. Pontificem.

58. **Rudolphus Prellaeus** Consiliarius Caroli V Galliae Regis, *tractatus de potestate pontificali et imperiali seu regia.* 1370. Utramque potestatem ab invicem independentem statuit.

Opus videtur esse mera translatio libri latini Aegidii Romani in gallicum idioma.

---

bb) *Scripta pro Pontificatu contra Imperium.*

LXII. LXIII. **Augustinus Triumphus** alias **de Ancona,** in egregio opere : *Summa de potestate ecclesiastica*, item *de sacerdotio et regno.* 1320. Pontificiam auctoritatem adversus Theologos Ludovici Bavari multiplici argumentorum adparatu defendit. Analysim uberrimam celebris operis recentissime propositam invenimus in pagellis Romanis *Correspondance de Rome.* 1860. Nr. 105. ss.

LXIV. **Oldradus de Ponte** Advocatus Consistorialis, *pro potestate Ioannis XXII Papae supra Caesarem.* 1320.

LXV—LXVII. **Alexander a S. Elpidio** AEppus Ravennatensis, *libri duo de iurisdictione imperii et auctoritate Summi Pontificis;* — item *libri duo de Eccles. potestate ad Ioannem 22.;* demum *liber de Eccles. Unitate.* 1325. Probat uberius, potestatem R. P. etiam ad temporalia se extendere. Opera eius primo Lugduni 1498. videre lucem.

LXVIII. **Franciscus Mayronus** Dunscoti discipulus et post huius obitum primus auctor actus theologici in Academia Parisiensi (Sorbonna), scripsit *pro plenitudine potestatis Rom. Pontificis.* 1325.

LXIX. Anonymi *Examen iudiciale Francisci Veneti asseclae Marsilii et Ioannis de Ianduno.* 1328. apud *Baluzium* in Miscell. I. 311.

LXX. LXXI. Actio **Petri de Cugneriis** consiliarii regii, et **Petri Bertrandi** Eppi Aeduensis (dein Cardinalis) *de iurisdictione eccles. et politica coram Philippo Rege Franciae habita* a. 1329. In hac disceptatione Bertrandus supremam potestatem Ecclesiae ac Summi Pontificis tam in spiritualibus quam temporalibus defendebat, et obiectiones Petri de Cugneriis refutabat, accedente etiam AEppo Senonensi : et pro uberiore dictorum confirmatione concinnavit tractatum *de origine et usu iurisdictionum, seu de spirituali et temporali potestate.*

LXXII. **Ioannes Walsinghamus** Anglus, Provincialis Carmelitarum, *de Ecclesiastica potestate contra Occamum.* 1330.

LXXIII. LXXIV. **Petrus a Lutra** O. Praem. *ad Balduinum AEppum Trevirensem, septenarium Candelabrorum de Summi Pontificis eminentia, libri IV.;* item : *Ad Cardinalem Columnam liber adversus Michaelem Caesenatem eiusque asseclas Summum Pontificem impugnantes.* 1330.

LXXV. **Guilelmus Exoniensis,** *de proprietate Ecclesiae contra Occamum.* 1334.

LXXVI—LXXVIII. **Pelagius Alvarus,** Silvensis in Lusitania Eppus, praeter *Summam Theologiae*, et *libros de Planctu Ecclesiae,* vulgavit *Apologiam Ioannis XXII contra Marsilium Patavinum et Occamum.* 1340. Scriptorem hunc nonnulli inter fautores sic dicti Gallicanismi referunt ; cum tamen affirmet : ‚Petro dictum est sine aliis et non aliis sine Petro Matth. XVI. 19. XVIII. 18. ut intelligatur, sic ei attributa potestas eiusmodi, ut alii sine ipso non possint, ipse sine aliis possit ex privilegio sibi collato et concessa sibi plenitudine potestatis.‘

LXXIX. **Cynus** ICtus Bononiensis, *potestatem Caesaris a Papa pendere* docuit. 1341.

LXXX—LXXXIII. **Petrus de Palude** vel **Paludanus,** O. Praed. *tractatus de paupertate Christi et Apostolorum contra Michaelem de Caesena;* item *de potestate Petri et Papae;* et: *tractatus de causa immediata ecclesiasticae potestatis.* 1342. Idem oppugnavit etiam *Ioannem de Poliaco* in libro: *Ioannis de Poliaco, doctoris Parisini, socii Navarrici, Summi Pontificis auctoritatem convellentis censura seu iudicium.*

LXXXIV. **Ioannes de Bachone** Carmelita, et Doctor Parisinus, in *Prologo libri IV Sententiarum.* 1346. primatum Rom. Pont. egregie tuetur, errores Graecorum oppugnat, et Constitutionem Ioannis XXII contra Theologos Ludovici Bavari defendit.

LXXXV. **Bartholomaeus Urbinensis,** *contra errores, qui inventi fuere tempore Ludovici Bavari.* 1347. Occami, Marsilii, ceterorumve maiestatis Principum assertorum errores impugnat.

LXXXVI. **Guilelmus Amidanus de Cremona** Eppus Novariensis, *reprobatio sex errorum, seu de auctoritate apostolica pro Ioanne XXII.* 1347. Contra Marsilium, et Ioannem Iandunum.

LXXXVII. **Albericus de Rosate** Bergomensis, *lectura super Codicem,* 1354. impugnat universalem monarchiam Imperatoris, et evolvit independentiam potestatis ecclesiasticae.

LXXXVIII. **Ioannes de Vischbach** Abbas Benedictinus, in opere *de immunitate Ecclesiae.* 1355. idem quod prior defendit.

LXXXIX. **Hermannus Schildis** Augustinianus, *tractatus contra haereticos negantes immunitatem et iurisdictionem Ecclesiae.* 1357.

XC. **Ioannes de Dormanno** Cardinalis, *de potestate pontificali ac regali dialogus.* 1372.

Praeter memoratos Scriptores pro auctoritate suprema Rom. Pontificis pugnarunt insuper sequentes:

XCI. **Henricus de Segusia,**

XCII. **Lucas de Penna,**

XCIII. **Matthaeus ab Afflictis,**

XCIV. **Ioannes Antonius de S. Gregorio,**

XCV. **Martha,** *tractatus de iurisdictione,*

XCVI. **Stephanus Freitas,** *de imperio iusto,*

XCVII. **Salas,**

XCVIII. **Bossaeus** *de auctoritate in Reges impios,*

XCIX. **Mastrillus** *de Magistratibus,*

C. **Turreblanca** *praxis iuris spiritualis,*

CI. **Iulianus Cartharius** *tractatus pro immunitate ecclesiastica.*

Wiccleffi *scripta, eorumque refutatio.*

68—75. **Ioannes Wiccleff** praeivit Ioanni Huss et Protestantibus in oppugnando Primatu, contendens: Ecclesiam Romanam esse synagogam satanae, Papam non esse Vicarium Christi, nec Caput Ecclesiae militantis etc. Huiusmodi dogmata sua pluribus in lucem emissis lucubrationibus evulgavit. Primum a. 1367. scripsit: *determinationem quamdam de dominio contra unum monachum.* In ea impugnat potestatem temporalem Papae in regno Angliae, quam monachus defendebat. Dein 1372. in sic dictis *Lectionibus Cathedralibus in Academia Oxoniensi* habitis potestatem Primatus vellicavit. Anno 1375 occasione dissidii inter Angliam et Curiam Romanam circa collationem beneficiorum, in Romanum Pontificem, scommatibus et compellatione Antichristi invectus est. Anno 1377. iam aperte scripsit contra primatum, ut per plures Bullas Pontificias damnari meruerit, extractis undeviginti propositionibus ex scriptis eiusdem. Ad Bullas Pon-

tificis vulgavit *responsionem aliqualem*, ut eam vocabat, Regioque inscripsit Parlamento; item *responsum contra cuiusdam Doctoris Theologi librum de Papae auctoritate suprema ac infallibili;* et paulo post *de Papa Romano sive schisma Papae*, librum gravibus expostulationibus et conviciis turgentem; praeterea *de obedientia Praelatorum; — speculum de Antichristo; — de nequitiis Papae.*

Ioannem Wiccleffum tum vita eius comite tum post obitum permulti oppugnarunt viri eruditi :

CLVI. **Ioannes Iordanus,**

CLVII. **Ioannes Bromiardus,** O. Praed.

CLVIII. **Ioannes Kiningamius** Carmelita,

CLIX. **Richardus Lavenhamus** aeque Carmelita,

CLX. **Thomas Ashburnus** Augustinianus,

CLXI. **Thomas Winterton** pariter O. S. Aug.

CLXII. **Uthredus Boltonius** O. S. B.

CLXIII. **Nicolaus Radoliffus** O. S. B.

CLXIV. **Guilelmus Berton** Cancellarius Oxoniensis,

CLXV. **Rodulphus Strode** ex Collegio Martonensi,

CLXVI. **Guilelmus Binhamus** monachus Norvolgiae,

CLXVII. **Simon Sothray** *de Ecclesiae auctoritate.*

CLXVIII. **Thomas Walwordus** Ord. Min.

CLXIX. **Guilelmus Windefordus** O. Min.

CLXX. **Richardus Maidston** Carmelita,

CLXXI. **Petrus Stokes** Carmelita,

CLXXII. **Thomas Lombe** Carmelita,

CLXXIII. **Gualterus Disse** Carmelita,

CLXXIV. **Ioannes Marrey** Carmelita,

CLXXV. **Ioannes Bury** O. S. Aug.

CLXXVI. **Rogerius Dimmocke** O. Praed.

CLXXVII. **Ioannes Suaffanias** Eppus Menevensis,

CLXXVIII. **Stephanus Patringtonius** Eppus aeque Menevensis,

CLXXIX. **Robertus Waldebie** AEppus Eboracensis,

CLXXX. **Robertus Alingtonius** Cancellarius Oxoniensis.

LITERATURA SEC. XV.

1. De Primatu.

a) *Wiccleffitica*, *Hussitica.*

76—87. Initio Seculi controversiae Wiccleffiticae perdurarunt, et per *Hussitas* auctae, complura scripta pepererunt: in quibus potestas et auctoritas Romanae Sedis proscindebatur. **Ioannis Huss** scripta huc spectantia erant: *Actus pro defensione libri I. Wiccleff de Trinitate publice celebratus.* 1410.; — *Replica contra Anglicum Ioan. Stokes Wiccleffi calumniatorem.* 1411.; — *Replica contra occultum adversarium* 1411.; *Quaestio disputata 1412 de eo: utrum secundum legem Iesu Christi licet et expedit pro honore Dei et salute populi, ac pro commodo regni bullas Papae — approbare?* Occasionem scribendi praebuere bullae de erectione crucis contra Ladislaum Regem Apuliae; — *Contra bullam Papae Ioannis XXIII. replica;* — *Opusculum de sex erroribus;* — *de anatomia antichristi liber unus;* — *de mysteriis iniquitatis antichristi;* — *de relatione Christi et antichristi;* — *de regno, populo, vita et moribus antichristi; de abhorrenda sacerdotum et monachorum papisticorum in Ecclesia Christi abominatione, vita item et regno antichristi;* — *tractatus de unitate Ecclesiae*, in quo a Papa ad Christum appellat, et argumentum de Primatu copiose pertractando, potestatem Rom. Pontificis enervat ac penitus destruit.

Doctrina Hussi mox, ac in lucem producta extitit, per viros singulares et Universitates oppugnabatur, in Synodo generali Constantiensi condemnata. Auctores, qui Hussi errores impugnabant, simul et Wiccleffum exagitare non cessarunt, quem priore seculo a permultis doctis Theologis solide examinatum fuisse memoravimus:

CLXXXI. CLXXXII. **Stephanus Dolanensis** Carthusiae Prior, tam Wiccleffo, quam Husso docta opposuit opera: *Medulla tritici seu Antiwiccleffus.* 1408.; et *Antihussus.* 1412.

CLXXXIII. Doctores **Facultatis Theol. Pragensis,** cumprimis **Stephanus Paletz, Stanislaus de Znoyma,** et **Andreas Broda** mox post vulgatos Hussi errores strinxere

calamum in *Consilio doctorum Fac. Theol. Studii Pragensis contra haeresim Pragae exortam.* 1413. atque e communi Facultatis sensu propugnavere: in omni materia catholica et ecclesiastica standum esse fidei, sententiae, et determinationi Sedis Romanae.

CLXXXIV. **Facultas sacra Parisiensis** pariter mox a. 1413. confixit Hussiticos errores in libro eatenus edito: *articuli contenti formaliter aut elicitive in tractatu Ioannis Huss Pragensis, quem intitulavit de Ecclesia, sequens errorem Ioannis Wiccleff in hac parte.**)

CLXXXV. **Henricus Gorrichen** *tractatus de temerario iudicio Hussitarum circa potestatem Papae.* 1415.

CLXXXVI. **Ioannes Hickley** Augustinianus, ingenti volumine impugnabat tum Hussi, tum aliarum sectarum errores adversus potestatem Papae. 1415.

---

b) *Scriptores contra Primatum usque Concilium Basileense.*

Schisma Pontificium, in Concilio primum *Constantiensi* extinctum, multis operibus praebuit occasionem: quorum alia modos proponebant sufferendi schismatis, alia iusto ulterius progressa ipsius potestatis pontificiae restrictionem cupiebant, reformatoriaque molimina scriptis suis inserere non dubitabant, alia demum pro plenitudine Primatus Romani Pontificis se enunciarunt. Praemittimus Scriptores adversus Primatum se exprimentes.

88. **Vincentius Italus** in *prophetiis*, quas post se reliquit, de Rom. Pontifice velut antichristo impie locutus est. 1400.

89. **Volquinus** in *homilia* vehementissimus est in eructandis adversus Papam et Clerum scommatibus. 1400. Homilia eius Basileae 1555. typis edita fuit.

90. **Paulus Anglicus,** iuxta alios *Albertus Engelstat,* aut *Petrus Avetanus,* decretorum doctor, in dialogo, cui sequentem fecit titulum: *Speculum aureum Papae, eius Curiae, Praelatorum et aliorum spiritualium super plenitudine potestatis papalis.* 1404. inducit loquentes Petrum et Paulum, multis one-

---

*) *Argentre* Collectio iudiciorum de novis erroribus. Parisiis. 1738. I. 2. p. 164.

rans insolentiis Curiam Romanam, eiusque errores, ut vocat, manifestans.

91. **Matthaeus de Cracovia** Eppus Wormatiensis, *de squalloribus Romanae Curiae.* 1405. Cumprimis collationem beneficiorum Curiae R. reservatam impugnat. Vulgavit opus hoc *Walch* in Monimentis medii aevi. Gottingae. 1757.

92. **Richardus Ullerstonus** Professor Oxoniensis, *petitiones quoad reformationem Ecclesiae militantis.* 1408. apud *Van der Hardt* C. Constantiense. I. 1115.

93. **Ioannes Brevicoxa** Cenomanensis, Regis Galliae legatus ad Romanam Sedem, *tractatus de fide et Ecclesia, Rom. Pontifice, et Concilio Generali.* 1408.

94. **Iacobus Brochardus** Pedemontanus, *de antibaptismo iurantium in Papam et in Ecclesiam Romanam, deque eorum zeli idolo.* 1408.

95. **Ioannes Gundisalvi** Canon. Hispalensis, *tractatus contra duos Pontifices de Papatu inter se contendentes.* 1409. Ad Patres Concilii Pisani dirigit librum auctor, et tempore schismatis Cardinalibus supremam tribuit potestatem.

96—127. **Ioannes Charlerius de Gerson** Cancellarius Parisiensis, magni vir nominis, et permultorum libellorum occasione schismatis, ac potissimum a. 1414. vulgatorum, auctor. Signanter: *Sermo Massiliae coram Benedicto PP. habitus.* 1403.

Trilogus in materia schismatis. 1407.

Propositio facta coram Anglicis Parisiis euntibus ad Conc. Pisanum. 1408.

Tractatus de potestate eccles. et de origine iuris et legum. 1414.

Concordia, quod plenitudo potestatis eccles. sit in Summo Pontifice et in Ecclesia.

Sermo super processionibus faciendis pro viagio Regis Romanorum. Pro suprema Concilii in Papam potestate.

Libellus de auferibilitate Papae ab Ecclesia.

Sententia de modo habendi se tempore schismatis.

Tractatus domini Theofori, qualis fuerit status Ecclesiae in Vet. et Novo Testamento.

Tractatus de unitate Ecclesiastica.

Tractatus de statibus Ecclesiasticis.

Sermo de tribulationibus ex defectuoso Ecclesiasticorum regimine adhuc Ecclesiae proventuris.

De schismate tractatus alter et tertius.

Plures propositiones circa auctoritatem Concilii tempore schismatis.

Sermo in die Circumcisionis Domini coram Papa apud Tarasconam.

Sermo coram Alexandro Papa die Ascens. Domini.

Sermo post novum recessum Papae Ioannis 23.

Decreta in Sessione C. Constantiensis, 1417. et prooemium super futuris Conciliis celebrandis, et provisione adversus futura schismata.

Tractatus: quomodo et an liceat in causis fidei a Summo Pontifice appellare seu eius iudicium declinare?

Libellus articulorum theologice et scholastice compositorum contra Petrum de Luna super potestate et auctoritate ecclesiastica.

Secundus liber de eodem argumento.

Protestatio circa statum Ecclesiae.

De iurisdictione spirituali et temporali.

De excommunicationis valore.

De morbis et calamitatibus Ecclesiae, et signis futuri iudicii.

De Concilio unius obedientiae.

Acta de schismate tollendo.

De dissidiis et schismatibus praeteritis.

Considerationes de restitutione obedientiae.

Commonitorium, conclusiones, et propositiones de schismate.

De modis uniendi ac reformandi Ecclesiam in Concilio Universali.

Demonstratio: Petrum de Luna seu Benedictum 13. esse haereticum et papali dignitate exuendum.

Viri docti, cumprimis ‚Petitdidier' innumeros detexerunt in his Gersonii tractatibus errores, iam in antiquis haereticis damnatos, ita, ut quidquid alii in commendationem Gersonis proferant, certum sit, erroneam esse doctrinam, quae nomine ipsius a Gallicanis Febronianisque traditur. Ludovicus XIV Rex Galliae prohibuit, ne Gersonis opera denuo prelo subiicerentur.

Agnovit Gerson Primatum Romanae Sedis, imo et plenitudinem potestatis ei adscribit in libro ‚de statibus ecclesiasticis' sic aiens: „Status praelationis eppalis habuit in apostolis et successoribus usum vel exercitium suae potestatis sub Petro et successoribus eius, tamquam sub habente vel habentibus plenitudinem fontalem eppalis auctoritatis." Porro in tractatu ‚de appellatione a Pontifice' ductu bullae Martini V Papae affirmat: nulli fas esse a supremo iudice, videlicet Ap. Sede seu Romano Pontifice — appellare. Verum utrumque hoc suum assertum in aliis operibus retractavit, taliterque sibi contradixit. Nam in op. de potest. eccl. ‚plenitudinem potestatis non Petro eiusque successoribus, velut peccabilibus et potestatem suam in Ecclesiae destructionem convertere queuntibus, sed Ecclesiae vel Generali Concilio' attribuit. Et in ‚dialogo apologetico pro condemnatione propositionum Ioannis Parvi' bullam Martini de non appellando vocat tamquam ‚destruentem fundamentale robur Pisani et Constantiensis Concilii etc.'

128—131. **Petrus de Alliaco** Cardinalis Cameracensis, Gersonii magister, *de difficultate reformationis in Concilio universali ad I. Gersonem;* — porro *monita de necessitate reformandae ecclesiae in capite et membris; — canones de emendatione Ecclesiae Patribus C. Constantiensis oblati; — tractatus de Ecclesiae, Concilii Generalis, Romani Pontificis, et Cardinalium auctoritate.* 1410—1417. Moderatior quidem est discipulo suo, sed eandem cum illo propugnat sententiam, et e futili quodam democratiae errore eousque progreditur, ut plane affirmet, non Concilio, sed toti Ecclesiae, prout illa et presbyteros et laicos comprehendit, infallibilitatem competere, Summum vero Pontificem Concilio esse inferiorem.

132—162. *Opuscula reformatoria* **Concilio Constantiensi** *A. 1414. ss. substrata.*

Henrici de Langenstein *de Hassia, consilium pacis, de unione ac reformatione Ecclesiae in Concilio universali quaerenda.* Opus adhuc Sec. 14. scriptum, sed renovatum;

Anonymi *tractatus de ruinae Ecclesiae planctu:* latino et vulgari idiomate simul compositus ad formam rhythmicam;

Anonymi *rhythmi de corrupto Ecclesiae Rom. statu;*

Nicolai Clemangii Theologi Parisiensis opuscula: *vota pacis ac emendationis in C. Constantiensi quaesitae, sive sele-*

ctae epistolae de corrupto Ecclesiae statu emendando — liber sive tractatus de corrupto Ecclesiae statu, additis carminibus ab Eubulo Cordato; — de ruina Ecclesiae circa tempora C. Constantiensis; — de lapsu et reparatione iustitiae; — disputatio super materia Concilii Generalis; libellus apostolorum Nationis Gallicanae;

Anonymi (**Francisci de Zabarellis**) *de schismate Innocentii et Benedicti,* item *Capita agendorum in C. Const. de Ecclesiae reformatione;*

Illustris Collegii reformatorum Constantiensium de Ecclesiae reformatione statuta; — Eiusdem *decreta de regiminis ecclesiastici emendatione,* et *Decretales de ecclesiastici status reformatione;*

Anonymi *epistola gravissima ad Sigismundum Imp. in C. Const. scripta de emendandis Ecclesiasticorum moribus;*

Nationis **Gallicae** *publica declaratio de Annatis non solvendis;*

Pilei AEppi Genuensis, *paraenesis ad Sigismundum Imp. de reformatione Ecclesiae in C. Const. prosequenda;*

Stephani de Praga theologi, *oratio in C. Const. de maturanda Ecclesiae emendatione;*

Mauritii de Praga theologi, *consilium de eccl. statu in C. Const. mature emendando;*

Bernardi Baptisati O. S. B. Abbatis, *invectiva in corruptum illo tempore Clerum in C. Const. emendandum;*

Theobaldi professoris ac oratoris *conquestio publica de nimis diu dilata in C. Const. Cleri reformatione;*

Iacobi Laudensis Eppi *idea melioris Pontificis in C. Const. eligendi;*

Parisiensium *conclusiones de Constantiensi Concilio prosequendo absente licet Papa, quae non sunt admissae nec approbatae per Concilium.* 1415. Sub hoc titulo vulgat eas *Argentre* in coll. iudiciorum, I. 2. p. 199. Singulares profecto erant hae conclusiones: uti ea, quod Ecclesia militans, quam S. Concilium repraesentat, sit magis necessaria, quam Papa; quod Ecclesia sit melior quam Papa, et dignior, et honorabilior, et fortior et potentior, et in fide constantior, et sapientior quam Papa; quod Ecclesia sit supra Papam; quod Papa recipiat summam potestatem ab Ecclesia ministerialiter; quod Ecclesia pos-

sit Papam iudicare, corrigere, et deponere; quod potestas Papae sit potestas Ecclesiae, qua is nomine et vice Ecclesiae utitur, et quod verum ac catholicum sit dicere: Concilium esse supra Papam;

Theodori de Niem, *libri 3 de schismate; — de necessitate reformationis Ecclesiae in capite et membris; — de reformatione Ecclesiae Romanae.* Adiectum fuit his libris etiam ‚Nemus unionis' complectens autographa occasione schismatis ultro citroque scripta. 1417.;

Thomae Dundramensis Scoti, *de schismate deponendo, et Pontifice eligendo acta C. Constantiensis;*

Germanicae *nationis articuli de reformatione supremi regiminis ecclesiastici A. 1418. Martino V Papae exhibiti*; — item *Martini V Papae reformatio in capite et Curia Romana a. 1418. nationibus oblata;* et: *Germanicae nationis et Martini V Papae Concordata quoad ecclesiastici regiminis emendationem in C. Const. a. 1418 publicata;* — demum *Anglicanae Nationis et Martini V. Papae Concordata ibidem exhibita.*

163. **Petrus de Luna** Cardinalis, sub nomine *Benedicti XIII* occasione schismatis Sedem Petri occupans, elucubravit *tractatum de potestate Papae et Concilii.* 1423.

164. *Avisamenta Moguntina, oder Bedenken der Stände des Römischen Reichs über des Pabsts und der Geistlichen Eintrag, auf dem Reichstag zu Mainz.* 1426.

165. **Ioannes dux Bavariae** Eppus Leodiensis, subin cum dispensatione uxorem ducens, epistolam scripsit: *quatenus Papae sit obediendum?* inter libros prohibitos relatam. 1428.

---

c) *Scriptores pro suprema R. P. potestate.*

Inter tantos contra potestatem supremam Romani Pontificis scriptores inventi sunt nonnulli, qui pro eadem tuenda peculiares vulgarunt tractatus.

CLXXXVII. **Petrus Corsinus** Cardinalis, *de abolendo schismate.* 1405.

CLXXXVIII. **Ioannes Aegidii** Gallus Cardinalis, *pro unitate Ecclesiae.* 1407.

CLXXXIX. **Leonardus de Rubeis** Cardinalis, *tractatus de modo extingvendi schismatis pontificii.* 1407.

CXC. **Thomas Palmer** O. Praed. *tractatus de unione facienda, sive de tollendo schismate.* 1410.

CXCI. **Barthol. Urbinas** *de Romani Pontificis Christi Vicarii auctoritate.* 1410.

CXCII. **Matthaeus Bapalmensis** Gallus, *vitae RR. PP.* 1410.

CXCIII. **Ioannes Parvus,** Doctor Parisinus, licet pluribus erroneis sententiis aditum aperuerit, potestatem tamen supremam Sedis Apostolicae usque adeo defendit, ut pronunciaret, maiores causas, velut fidei, ad solam Ap. Sedem iudicandas referri debere. 1415. Cuiusmodi assertio Facultatis Theol. Parisiensis calculum neutiquam tulit. *)

CXCIV. **Petrus de Ripa Transona** O. Praed. *tractatus de schismate, pro defensione Pontificum Rom. Urbani VI et successorum.* 1422.

CXCV. **Rodericus Sancius** Eppus Zamorensis, tametsi in *Speculo vitae humanae* nonnumquam verba invectiva in Pontifices effundat, supremam tamen Romanae Sedis auctoritatem amplissimis verbis celebrat: ‚Summi Pontificatus excellentiam, dignitatem, et auctoritatem, illiusque necessitatem et utilitatem ostendere hodie munus suscepi, grande quidem negotium, sed parvum ingenium. Cuius tanta est sublimitas et eminentia, tanta immensitas, ut nullus mortalium nedum comprehendere, aut satis exprimere, sed nec cogitare possit. — Quid cogitandum est de eo Summo Pontifice, qui vices veri Dei gerit in terris? qui ad plenitudinem status, qui ad apostolicum thronum, qui ad culmen omnium dignitatum assumitur, ex qua certe ut rivuli a fonte, rami ab arbore procedunt. — Est vero naturaliter, moraliter et divino iure cum recta fide tenendum: Principatum Rom. Pontificis esse verum, unicum, immediatum principatum totius orbis, nedum quoad spiritualia, sed quoad temporalia, et principatum imperialem esse ab ipso dependentem et mediatum, ministerialem, et istrumentalem etc.‘ 1425.

CXCVI. **Antonius Coste** O. Praed. *iudicium doctrinale de novem propositionibus Ioannis Parvi a Gersone in Conc. Constantiensi denunciatis.* 1425.

CXCVII. **Ioannes Sarrazin** O. Praed. propugnabat pro-

*) *Argentre* coll. iudiciorum. I. 2. Paris. 1738. p. 185. ss.

positiones de summa auctoritate R. Pontificis a. 1429. signanter quod omnes potestates iurisdictionis Ecclesiae sint a Papa quoad institutionem et collationem; quod Christus alias potestates haud expresserit, sed tantum supremam, cui commisit Ecclesiae fundationem; quod in Concilio tota auctoritas dans vigorem statutis in solo resideat Summo Pontifice etc. Ob has propositiones Auctor per Doctores Facultatis Theol. Parisinae in ius vocatus, easdem modificare et emollire compulsus fuit. *)

CXCVIII. **Pogius Blandolinus** *de Summi Pontificis auctoritate et potestate.* 1430.

CXCIX. **Thomas Waldensis** Carmelita, *doctrinale antiquitatum fidei Eccl. Cath.* 1430. Egregium opus, in quo Cap. de Deo, Christo, Petro, Ecclesia etc. uberrime evolvit argumentum de suprema potestate R. P. Tractatum hunc celebris *Bibliothecae Maximae Pontificiae* auctor *Roccaberti* suo operi inseruit vol. XX. 263—357.

---

d) *Scriptores sub CC. Basileensi et Florentino contra supr. pot. Primatus.*

166. **Gaufridus de Monte** Abbas S. Honorati insulae Ludinensis, *tractatus super materia S. Concilii, pro potestate et auctoritate C. Basileensis.* Auctor a. 1436. mortuus, tractatum imperfectum reliquit.

167. 168. **Henricus Toke** Canon. Magdeburgensis, *de quaestione: an Ecclesia Cath. militans sit singulis mortalibus personis, etiam Papali, praelata?* item: *De suprema Concilii in omnes, ne excepto quidem Pontifice, auctoritate.* 1431.

169. **Ludov. Alemannus** Cardinalis, *Concilii supra Papam auctoritatem* tuebatur in Syn. Basileensi. 1431.

170. 171. **Ioannes Segobiensis** Theologus Salmanticensis, *de eccles. potestate, sive de inseparabili sanctitate Ecclesiae et suprema Generalis Concilii auctoritate; — de iustificatione S. C. Basileensis et sententiae ipsius contra Eugenium PP. latae.* 1431.

172. **Ludov. Pontanus** Ictus Senensis, *allegationes de auctoritate universalis Ecclesiae supra Papam.* 1431.

---

*) *Argentre* coll. iudiciorum. I. 2. p. 227.

173. **Dominicus Firmani** Card. *collectio actorum C. Basileensis.* 1431.

174. **Augustinus Patricius** Eppus Pientinus, *historia CC. Basileensis et Florentini.* 1431. Uterque pro auctoritate Syn. Basileensis.

175. **Thomas Conecte** Carmelita, *pro reformanda Curia Romana.* 1432.

176. **Ioannes Antiochenus** Patriarcha, *de superioritate inter Concilium et Papam.* 1433. Libellus Synodo Basileensi, oblatus et supremam Concilii potestatem propugnat, et de Rom. Pontifice indigne loquitur. *)

177. **Andreas de Escobar** Eppus Megarensis, *gubernaculum Conciliorum.* 1434. Contra Ecclesiam Romanam, et pro iure Synodi, eandem Ecclesiam reformandi.

178. **Nicolaus Chryfftz** (Krebs) Decanus Confluentinus in Concilio praesens concinnavit *Libros 3 de catholica concordantia.* 1435. in iisque adstruxit universalis Concilii supra Papam auctoritatem, atque a Concilio pendere, ut e. g. Trevirensis AEppus pro praeside et capite Ecclesiae eligatur, hocve in casu illum proprie successorem fore Petri, non Romanum Eppum.

179—181. **Augustinus de Favaronibus** AEppus *commentaria de principatu Papae; de sacramento unitatis Iesu Christi et Ecclesiae; — de Christo Capite et eius inclyto principatu.* 1435. Principia auctoris primatui Papae adversa nec Patrum Basileensium tulere suffragium, posteriorque liber reprobatus extitit.

182. 183. **Nicolaus de Tudesco** AEppus Panormitanus, vulgo *Nicolaus Panormitanus,* magnae scientiae vir: sed admodum versatilis, et iam Pontifici, iam Synodo favens, scripsit: *Sermo de superioritate Concilii ad Papam; — sermo pro honore et conservatione Concilii,* ad probandum, quod congregatio non debeat dissolvi non obstantibus legati Pontificii rationibus eousque, donec res arduae Concilio incumbentes terminentur; — *tractatus de auctoritate C. Basileensis, quod fuit oecumenicum, habueritque potestatem Eugenium PP. citandi, et contra eum usque ad depositionem procedendi.* 1435. Quantopere sibi contradixerit auctor, vel inde fit luculentum, quod, dum a partibus

*) *Harduini* acta Concil. VIII. 1557.

Eugenii Papae staret, diserte confessus fuerit: ‚Papam posse de plenitudine potestatis prorsus tollere constitutionem Concilii, eumque non subiici Concilio.' *)

184. **Ioannes Nider** O. Praed. in *Formicario, sive de visionibus ac revelationibus.* 1437. reformationis in capite ac membris necessitatem, et Concilii Basileensis auctoritatem, extollit.

185. **Thomas de Corcellis** legatus Academiae Parisiensis, pro superioritate Synodi perorabat, quam Eppus Diniensis refellebat. 1438.

186. 187. **Gulielmus de Monserrat,** *de potestate Generalis Concilii.* 1439.; — *de reservationibus per Papam ex rationabili causa factis.*

188—190. et CC. **Aeneas Sylvius Piccolomini** (subin *Pius II.* Papa). Qui Cathedrae Romanae auctoritatem labefactare, et supremam oecumenicae synodi cum in Eppos tum in ipsos Romanos Pontifices potestatem extollere et confirmare conabantur: palmam sibi tulisse visi sunt, si e Romanis Pontificibus unum quempiam ostenderent, qui in illorum sententiam pedibus ivisset, eamque editis libris firmasset. Talem se invenisse gloriabantur in Aenea Sylvio, postmodum ad Petri cathedram evecto: quem quippe occasione Synodi Basileensis et verbo et facto, et scriptis operibus in sententiam illorum ivisse tenent, qui Romanum Pontificem Concilio subiiciunt. Duo cumprimis memorant Aeneae opera, quae ceu validissimum synodalis praerogativae propugnaculum habent Romanae Sedis adversarii: nimirum *Libellum dialogorum de generalis Concilii auctoritate et gestis Basileensium*, 1439. et: *Commentarium de rebus Basileae gestis stante vel dissoluto concilio.* 1444. Priorem libellum e tenebris eruit *Adamus Franc. Kollár* in analectis Vindobon. 1762. t. 2. p. 690. alterum e Vaticana Bibliotheca in lucem edidit *Michael Catalanus* Firmi. 1803. Scripsit insuper Aeneas *Epistolam ad Hartungum de conciliorum et Pontificum Romanorum auctoritate* ab eodem Kollario luce donatam. In operibus his omnino pugnare videtur Piccolomini pro auctoritate Concilii, et Basileensis Synodi tempore Romano Pontifici nequaquam fave-

*) Corpus Iur. Can. Cap. 4. de consecr. — in Cap. ubi periculum, de elect. in VI. — in Cap. Licuit. dist. 15. — in Cap. Significasti decl. etc.

bat: errataque sua per solennem *Retractationis* bullam a. 1463. revocavit.*) Sed qui ad hanc unice bullam retractatoriam animum advertunt, eique parum momenti tribuunt: aliter profecto iudicabunt, si ad ea etiam attentionem suam converterint, quae Aeneas Sylvius paulo post exaratos dictos libros et commentarios egit. Mox quippe a. 1447. legatione, qua eundem Fridericus Imperator ad Eugenium Papam ornavit, perfunctus, in sua oratione veniam petiit a Papa eorum, quae Basileae minus recte egisset, aut scripsisset. Eodem anno datis ad Iordanum Rectorem Univ. Coloniensis literis denuo ea, quae Basileae gessit, revocavit. Notatu digna sunt sequentia epistolae verba: „—Sit testamentum meum in perpetuum: quia ex Basilea recessi, et renunciavi erroribus eius, cum meretricem comperi civitatem, quam rebar iudicio plenam. — Non erubui tractatus componere, et insulsis sermonibus Romani Pontificis auctoritati detrahere. — Tria sunt, quae meos Basileenses interimunt: — inveni quippe adversus Eugenium inique processum, falso namque in eum plura crimina congessere. — Secundum est, quod non sit Concilium Basileae, — nam translatum est, ex iustis honestisque causis. — Regula est, notissimusque canon, nullam Synodum ratam esse, quam SS. Romanae Sedis non probaverit auctoritas. — Tertium est, quia Basileenses iustitiae suae diffidunt, etc.“ — Sed ex ipso dialogorum libello, item ex epistola ad Hartungum, argumenta elicuit Kollarius, ut evinceret, Aeneam minime firmum pro suprema Concilii auctoritate stetisse, sed ita animo comparatum, ut doctorum hominum — iudicio subiiciat, quae magis suscipiendae quam tradendae doctrinae causa disputavit. Pariter et Commentarius Aeneae parum videtur facere ad obscurandum auctorem: ipsa enim rerum in diuturno illo dissidio gestarum historia nullo fucata artificio, nullisque implicata simultatibus magno est argumento ad noscendum, quibus artibus via ad schisma munita fuerit, quibus fraudibus, qua malitia depravatarum opinionum auctores ementito nescio quo ecclesiae reformandae obtentu Ecclesiam ipsam pervertere, ac Romani Pontificis auctoritatem impio ausu labefactare ac convellere conati fuerint. In qua universae rei christianae iactatione si Commentarii auctor et ipse a pestifero illo morbo correptus initio fuit,

*) Eam in Monumentis vulgavimus.

satis superque ostendit, temere impulsum fecisse omnia, errore deceptum, pravarumque disputationum laqueo irretitum.

191. **Henricus de Verlis** Minorita, *de potestate ecclesiastica et Concilii generalis.* 1440. Pro C. Basileensi.

192. **Hermannus de Campo Veteri** Cistercita Westphalus, *de potestate Papae et Concilii, et de schismate.* 1440. aeque in defensionem C. Basileensis.

193. 194. **Universitates Coloniensis et Viennensis** approbarunt a. 1440. theses, quae supremae potestati Romanae Sedis adversabantur. Viennensis quidem hanc: ‚Concilium Generale supremam habere etiam supra Romanum Pontificem potestatem.' Coloniensis vero sequentes: ‚1. Ecclesia synodaliter congregata habet supremam iurisdictionem in terris, cui omne membrum Ecclesiae, cuiuscunque dignitatis fuerit, etiam Papalis, obedire tenetur, quam nemo sine ipsius Ecclesiae synodali consensu dissolvere, vel transferre potest. 2. De iure divino obedire tenentur (Christiani) Deo Christo, suaeque sponsae Ecclesiae, in qua prima praesidentia est Sedes Apostolica, super omnes alias ecclesias particulares et sedes inferiores, non super totam universalem praelata.' *)

195. **Academia Cracoviensis** a. 1440. edi fecit *tractatum de auctoritate Conciliorum*, in eoque C. Basileensis acta iustificare, Eugenii Papae depositionem legitimare, verbo Concilii supra Papam auctoritatem tueri satagebat.

196. *Tractatus Doctoris* **Parisiensis** (anonymi) *pro Synodo Basileensi contra eiusdem translationem.*

197. *Votum Universitatis* **Coloniensis** *ad AEppum Coloniensem pro auctoritate Synodi Basileensis.*

198. *Consilium Universitatis* **Erfordiensis** *ad AEppum Moguntinum pro Synodo Basileensi contra Eugenium PP.*

199. *Sententia Universitatis* **Viennensis.** Quatuor hos postremo recensitos tractatus vulgat *Bulaeus* in historia Univers. Parisiensis. Paris. 1670. t. V. p. 450.

200. *Responsio facta Nuntiis Papae per Iulianum Legatum ac Praesidem C. Basileensis.* 1440.

201. **Thomae de Curcellis** (iam supra memorati) *epistola Principibus missa.* 1440.

---

*) *Literatur des kath. Deutschlands.* Coburg. 1777. II. 68.

202. *Propositio Bituricensis ex parte Synodi quōad ea, quae pro Eugenio Papa per Eppum Diniensem erant adducta.* 1440.

203. **Bartholomaeus Ruraemondanus**, Carthusianus, *de auctoritate Concilii supra Papam.* 1446.

204. **Iacobus de Paradiso**, Carthusianus, *collectaneum de 7 statibus Ecclesiae in Apocalypsi mystice descriptis, et de auctoritate Ecclesiae, et de eius reformatione.* 1449. Pro superioritate Concilii.

---

e) *Pro suprema R. P. potestate.*

CCI—CCXIV. **Ioannes a Turrecremata** O. Praed. Cardinalis, eminet inter propugnatores auctoritatis Pontificiae, pluribusque tractatibus a. 1431. ss. energice oppugnavit principia Gersonis et Petri Alliacensis per Synodum Basileensem defensa. Tractatus eius sunt: *Summa de Ecclesia et eius auctoritate,* cumprimis de Ecclesia Romana et eius primatu; — *de Conciliis;* — *de auctoritate Ecclesiae Romanae;* — *Flores sententiarum D. Thomae Aquinatis de auctoritate Summi Pontificis, iussu Card. Iuliani in C. Basileensi collecti;* — *de Summi Pontificis et Concilii Gen. auctoritate ad Basileensium oratorem in C. Florentino responsio;* — *alter tractatus de potestate Papae et Conc. Gen. auctoritate* — (prodiit Colon. 1480.); — *apologia Eugenii IV PP. sive de Summi Pontificis et Concilii Gen. potestate, oratori Basileensium in Synodo Florentina exhibita;* (prodivit Lovanii. 1688.) in ea cumprimis refutat argumenta pro superioritate Concilii supra Papam proposita; — *de Pontificatu S. Petri;* — *duplex tractatus contra C. Basileense;* — *censura in Tostati propositiones*, sive tractatus de decreto irritante factus in C. Basileensi in responsione ad quaesitum: an in omni lege licita ad obviandum abusibus Curiae Romanae possit per Generale Concilium simpliciter et indistincte poni decretum irritans Summis Pontificibus? respondet negative; — *quaestio quaedam facta per Cardinalem S. Sixti:* an veritas de potestate Concilii supra Papam sit veritas fidei catholicae? hanc propositionem confutat; — *responsio in blasphemam et sacrilegam invectivam ad sacrum canonem iustissimae condemnationis damnatissimae congregationis Basileensium;* — *tractatus contra avisamentum*

quoddam Basileensium, quod non liceat appellare a Concilio ad Papam; — votum super avisamento, quod Papa debeat iurare servare decreta de continuandis Conciliis Generalibus et electionibus confirmandis, alias cadat a iure Papatus. In omnibus his operibus Auctor tum plenitudinem potestatis pontificiae, tum superioritatem et independentiam a Concilio quamplurimis probat argumentis.

CCXV—CCXVII. **Nicolaus Cusanus** Eppus Brixiensis et Cardinalis, durante Concilio Basileensi, praesertim in opere *de Concordantia Catholica,* auctoritatem Synodi supra potestatem pontificiam videbatur extollere: non semper tamen sibi constitit, et quamprimum agnovit pertinaciam illorum, qui pro Concilio stabant, nec verebantur schisma excitare, et contra Pontificem insurgere, rem detestari et Romanae Sedi adhaerere coepit. Positive autem retractavit Basileensium errata in *Epistola ad Rodericum de Trevino Archidiaconum oratorem Regis Castellae in Dieta Francofordiensi,* inquiens: ‚Sicut non est potestas Pontificis ad destructionem bene actorum per partes, ita non est potestas sub coelo, quae eius possit auctoritatem minuere, quominus errantes ad ovile reducat. Visi sunt illi obcoecatissimi viri Basileenses in spiritu furoris fuisse extra omnem sensum, quando supra sacrum Principem Ecclesiae nescio qualem iudiciariam sibi vindicabant potestatem, et horridum nefas attentarunt in sacrum Principem suum saevientes, seipsos ab eodem et universa per orbem catholica Ecclesia perniciosissime secantes.‘ Cusanus auctor est adhuc *libri adversus Bohemos haereticos pro Pontifice.*

CCXVIII. **Nicolaus Simonis** Hollandus Carmelita, *de potestate Summi Pontificis — et Concilii.* 1435.

CCXIX. CCXX. **Ioannes a Casanova** O. Praed. Cardinalis, *tractatus de potestate Papae super Concilium; — tractatus contra schismaticos Basileenses.* 1436.

CCXXI—CCXXIV. **Raphael de Pornasio** O. Praed. *de potestate Concilii liber ad Ioannem de Casanova; — responsio ad rationes Basileensis Concilii ad eundem; — altera responsio ad eundem; — tractatus de retentione annuali sive de iure annatarum et origine.* 1436.

CCXXV. **Ioannes de Ragusio** *tractatus contra avisamentum Basileense de appellatione Concilii.* 1436.

CCXXVI. **Ioannes Brittius** O. S. Fr. *de iustitia et validitate decretorum Eugenii IV. circa dissolutionem C. Basileensis.* 1436.

CCXXVII. **Ioannes de Villa Vezzosa** Hispanus Card. *de actis C. Basileensis duo volumina.* 1436.

CCXXVIII. **Iulianus Caesarinus** Cardinalis sub Syn. Basileensi, quamvis initio schismati adhaerens, edita *apologia pro Sede Apostolica.* 1436. Basileense Concilium confessus est fuisse ‚Ecclesiam malignantium et impiorum conventiculum.'

CCXXIX. **Ioannes Columna** Card. *vitae Rom. Pontificum a Petro usque Bonifacium VIII.* 1438.

CCXXX. **Guilelmus de Montoye** Eppus Biterrensis, *contra decretum Basileense de superioritate Concilii supra Papam.* 1438.

CCXXXI. **Ioannes Capistranus** *de Papae et Conciliorum auctoritate.* 1440. Argumentis XXIV probat superioritatem Papae supra Concilia, et infallibilitatem. De praetensa vero aequalitate potestatis Apostolorum ait: datam fuisse omnibus potestatem clavium, sed cum suo ordine, ut a Christo principaliter in Petrum, ab hoc in ceteros descendat.

CCXXXII. *Tractatus contra Basileenses de principatu ecclesiastico Sedis Apostolicae.* 1440. Opusculum in Gallia vulgatum.

CCXXXIII. **Cataldinus de Boncompagnis** ICtus Bononiensis, *tractatus solemnis et aureus de translatione S. C. Basileensis ad inclytam civitatem Ferrariae, ac de viribus et importantia literarum eiusdem et de potestate Papae.* 1440.

CCXXXIV. CCXXXV. **Rodericus Sancius de Azeculo** Hispanus, *de appellatione a sententia Romani Pontificis non informati ad se ipsum bene informandum; — libellus de remediis afflictae Ecclesiae militantis.* 1441. In priori castigat appellationem, supremamque tuetur Rom. P. auctoritatem; in posteriori ad Cardinalem Bessarionem directo disquirit: an Concilium Generale sit expediens ac sufficiens remedium? et ostendit, Romanum Pontificem habere in terris supremam auctoritatem, foreque summum et ordinarium tribunal ad levanda quaevis mala et incommoda ab Ecclesia Dei.

CCXXXVI. **Alphonsus Tostatus** Eppus Abulensis, iam superius sub ‚Turrecremata' memoratus, per adversarios S. Se-

dis frequenter citatur in patrocinium. Et reapse, cum initio Basileensibus adhaereret, in *Defensorio* suo a. 1442. elucubrato, de potestatis Pontificiae amplitudine ac plenitudine nonnihil dubie semet expressisse videtur; verum omne dubium sustulit per id, quod ad quaestionem : quare solus Petrus Christo omnes Apostolos interroganti responderit, sequens in opere suo dederit responsum: Cum Petrus futurus esset Pastor, et populus deberet talem fidem, qualem Pastor confitetur, confiteri; et Petrus futurus erat universalis Pastor : voluit Christus, quod confessio fidei esset per Petrum solum, ut innuatur, quod talis fides tenenda est, qualem praedicat Romana Sedes, quae est mater et Caput Ecclesiarum, cui Petrus praefuit.' Clarius profecto non potest enunciari praerogativa infallibilitatis S. Sedis Romanae.

CCXXXVII. CCXXXVIII. **Petrus de Monte** Venetus, Eppus Brixiensis, *Monarchia, in qua Generalium Conciliorum materia de potestate, praestantia, excellentia Romani Pontificis, et Imperatoris plenissime discutitur.* 1442. Item : *Contra impugnantes Apostolicae Sedis auctoritatem ad Eugenium IV Papam.* E priori opere duae sunt notandae editiones : Lugdunensis de a. 1512. et Romana a. 1537.

CCXXXIX. **Fantinus Valaressus**, AEppus Cretensis, *de auctoritate Sedis Apostolicae.* 1442.

CCXL. **Nicolaus Quadrigarius** Augustinianus, *sola Papae potestas in tota Ecclesia est immediate a Christo.* 1442. Propositionem hanc auctor coram Facultate Sacra Parisiensi revocare coactus est.

CCXLI. **Augustinus Romanus** O. S. Aug. *de potestate Papae.* 1445.

---

f) *Scripta Graecorum, potissimum sub Conc. Florentino contra Primatum, et Unionem.*

205—207. **Nilus Damyla** Hieromonachus in insula Creta, Latinorum hostis acerrimus, *de ordine in Divina Trinitate et de processione Sp. S. et aliis huiusmodi quaestionibus;* item *tractatus de Damaso Papa et fide antiquae Romae; — tractatus de Synodis duabus Photianis.* 1400. Auctori huic contradixit *Maximus,* ut inferius narrabimus.

208. **Macarius Ancyranus** AEppus, *opus contra pravas Latinorum opiniones, et contra Barlaamum.* 1400.

209. 210. **Simeon Thessalonicensis** AEppus, *dialogus ecclesiasticus adversus omnes haereses, et de sola Domini et Salvatoris nostri fide; —* item *opus de iis, circa quae Latini innovant.* 1410. Ecclesiam Graecam vehementi stylo vindicare nititur.

211. **Iosephus Bryennius,** monachus Byzantinus, *disputatio de orthodoxa Ecclesia.* 1420.

212. **Macarius Macres** monachus montis Atho, contra Romanam Ecclesiam scripsit. 1420.

213. **Nicolaus Selengia** Cyprius. 1430.

214—217. **Marcus Eugenicus Ephesinus** Metropolita, in Synodo Florentina post Patr. CPnum primus, et dogmatum Graecorum maximus propugnator, mox a soluta Synodo, et ab obitu Imperatoris Ioannis Palaeologi, qui Unionem Florentinam magnopere sustentabat, et adversus Unionem et contra Primatum Romanum plura exaravit opuscula: signanter *epistolam de Synodo Florentina encyclicam ad omnes Christianos*, plenam calumniarum ac mendaciorum, eo scopo, ut a suscipienda Synodo dehortetur omnes; — *alteram epistolam circularem ad omnes ubicunque terrarum degentes et insulas inhabitantes de eadem Florentina Synodo; — capita syllogistica contra Latinos; — epistolam ad Georgium Scholarium contra Ecclesiam Romanam.* 1448. ss.

218. **Ioannes Eugenicus** prioris frater et in oppugnandis Latinis adiutor, *antirrheticus adversus Synodum Florentinam.* 1448.

219. **Georgius Gemistus** Byzantinus, vulgo *Pletho*, in vindicanda Graecorum doctrina philosophica methodo procedens.

220. **Sylvester Syropulus** vel **Sguropulus,** Concilio praesens, et Unioni subcribens, ubi domum reversus fuit, se minis Caesaris territum subscripsisse protestando, concinnavit opus: *Vera historia unionis non verae inter Graecos et Latinos, sive C. Florentini exactissima narratio.* 1448.

221. **Michael Balsamon** CPnus ADiaconus, ex Concilio reversus, scripsit ad Ioannem Palaeologum *Anaphoram Cleri CPni*, in eaque refert, Graecos minis, a Pontifice compulsos, fameque confossos, Synodo subscripsisse.

222. **Synodus Hierosolymitana** Graecorum anno 1443. a tribus Graecorum Patriarchis habita Concilium Florentinum pronunciavit ‚execrandum et detestabile,' et Metrophanem Cyzicenum Patr. CPnum tamquam errorum Latinorum fautorem excommunicavit.

223. 224. **Michael Apostolius** Byzantinus, *appellatio ad Constantinum Palaeologum;* et: *disceptatio adversus eos, qui Occidentales Orientalibus superiores esse contendebant* — 1450.

225. **Synodus CPna** Graecorum a. 1450. pariter ac antea Ierosolymitana, Synodum Florentinam cum Unione reiecit.

226. **Michael Glycas** Siculus, *Annales quadripartiti.* 1450. et alia opuscula contra Latinos.

227. **Georgius Amyrutza** Trapezuntinus, *ad Demetrium Nauplii ducem de iis, quae contigerunt in Synodo Florentina.* 1461. Contra Unionem.

228. **Athanasius Cydonius** *de separatione Ecclesiae Romanae a quatuor reliquis Patriarchis.*

229. **Ioannes Claudiae** Metropolita, *de azymis, — aliisque capitibus.*

230. **Ioannes Ierosolymitanus** Patriarcha.

231. **Nicetas Nicaenus** *de schismate inter Ecclesiam Graecam et Romanam.*

232. **Nicetas** monachus Acapniotarum monasterii, *disputatio de controversiis fidei inter Latinos et Graecos.*

233. **Nicetas Myrsionita.**

234. **Theodorus Smyrnaeus** *defensio ecclesiae graecae adversus dogmata latinorum.*

235—240. Anonymi: *de separatione Romae veteris ab ecclesia graeca; — de initio haeresis apud Latinos; — de separatione Latinorum a Graecis; de dissidio Graecorum ac Latinorum; — de haeresibus Latinorum; — tractatus de vitandis haereticis.* Auctores horum tractatuum, prout et superiores inde ab Athanasio Cydonio nominati incertae sunt aetatis.

---

g) *Graeci pro Primatu et Unione.*

CCXLII. **Maximus** monachus, ‚Damylae' supra memorati adversarius, pro Latinis acriter dimicans, plures quaquaversum, sed inprimis CPlim misit eruditas epistolas. 1400.

CCXLIII. **Simon Iacumaeus** alias *Sacumaeus*, CPnus, ad Ordinem Praedicatorum commigrans, unionem summopere promovere nitebatur. 1400.

CCXLIV. **Gregorius Kioviensis** Metropolita, pro exhibenda Romanae Sedi obedientia missus Romam, et abinde rediens, singulari sermone in festo SS. Petri et Pauli App. habito Primatum Petri eiusque successorum depraedicavit. 1423.

CCXLV. **Isaias Cyprius** ‚Nicolaum Sclengia' supra notatum impietatis et ineptiarum arguit, datis ad eum literis. 1430.

CCXLVI. **Manuel Peloponnensis,** edito singulari libello, refutavit *Georgium Gemistum* supra nominatum. 1440.

CCXLVII—CCLIV. **Bessarion** AEppus Nicaenus, dein Cardinalis, plures scripsit tractatus pro sacra unione promovenda: nimirum *oratio dogmatica in Syn. Florentina habita de causis schismatis et unione ineunda; — alia oratio dogmatica sive ad synodum Orientalem de unione ineunda; — responsio ad quatuor argumenta Maximi Planudis; — apologia pro Vecco* (Patriarcha CPno) *adversus Gregorium Palamam; — epistola prolixa ad Alexium Lascarim Philantropenum, Antidotus dicta, de successu Synodi Florentinae; — apologia pro Latinis, sive refutatio capitum Marci Ephesii contra Latinos; — epistola catholica sive encyclica ad Graecos Eccl. CPnae subiectos; — de Primatu Papae contra Marcum Ephesium.* 1449. ss.

CCLV. **Ioannes Colossensis** *contra Marcum Ephesium oratio.* 1449.

CCLVI. CCLVII. **Georgius Trapezuntinus** *liber de processione Sp. S. contra Graecos;* et: *epistola ad hieromonachos Cretenses et Sacerdotes de eadem re, et de una sancta et catholica Ecclesia.* 1449. ‚Credendum est, ait, fieri non posse, ut Romana Ecclesia, quae prima est, et per quam universalis ut una sit, habet, in haeresin labatur; — audiamus Christum Salvatorem: Tu es Petrus etc.

CCLVIII. CCLIX. **Iosephus Metonensis** Eppus, *apologeticus libellus pro Synodo Florentina adversus Marcum Ephesium.* 1449. Item: *antirrheticus secundus contra Marcum Ephesium.* Notatu digna sunt verba: ‚In Ecclesia Romana nec infidelitas nec turpe dogma unquam mansit. — A te (ad Marcum Ephesium scribit) emendari Romanam Ecclesiam nil opus erat; nam illa cunctarum est gubernatrix ecclesiarum, et aegrotantibus

ecclesiis peritissime medetur, cum potestatem a Christo acceperit regendi alias et gubernandi, confirmandi et corrigendi etc.'

CCLX. **Ioannes Plusiadenus** Archipresbyter, *dialogus de differentiis inter Graecos et Latinos et de ss. Synodo Florentina.* 1449.

CCLXI—CCLXIV. **Gregorius Melissenus,** dictus **Mammas,** Patr. CPnus *apologia pro Synodo Florentina adversus Marci Ephesii epistolam encyclicam; — confutatio Marci Ephesii capitum adversus Latinos syllogisticorum; apologia altera adversus Marci Ephesii confessionem; — apologia tertia pro 5 capitibus C. Florentini.* 1450.

CCLXV. **Ioannes Argyropulus** Byzantinus, *liber de processione Sp. S. et Concilii Florentini decreto.* 1450.

CCLXVI. **Ioannes Canabutius** in Codice, quem *Angelus Maius* in nova collectione Veterum Scriptorum, Vol. 2. Romae 1827. vulgavit, admodum religiose de Romana scribit sede: Romam ait a Deo sublimem factam, quia futura erat prima Ecclesiae sedes, eandem adhuc esse caput mundi propter Ecclesiae sedem et Papae dignitatem; testimonio orbis terrarum prorsus constare, regna gentesque christianas omnes Romanae Ecclesiae ceu reginae obtemperare, atque hunc Primatum idcirco esse institutum, ne salutaris finis, quem sibi Deus in fundanda Ecclesia proposuit, videlicet unitas, frustra sit.

CCLXVII. **Abrahamus Cretensis** Eppus, acta Concilii Florentini vertens, confessus fuit: Oecumenicam Synodum iniussu Romani Pontificis celebrari non posse, Romanam Ecclesiam caput et principem ceterarum ecclesiarum existere, idque ab ipsa Synodo probatum et susceptum esse.

CCLXVIII—CCLXXIII. **Georgius Scholarius,** sub nomine **Gennadii** Patr. CPnus, et in Synodo Florentina egregie peroravit, et plura scripsit pro Primatu Rom. Sedis opuscula, e Synodo Florentina reversus. Signanter *oratio de unione cum Latinis ineunda ad Eppos Orientales in Synodo Florentina; — aliae orationes ad omnes Synodi patres; — epistola in totum orbem missa ad Metropolitanos et Papam Romanum; — apologia pro Syn. Florentina; — explanatio ac defensio V capitum in Concilio contra Graecos definitorum; — responsio Capitis 5 Synodi Florentinae de Primatu Papae.* 1453. ‚Quomodo, inquit, Athanasius ad Iulium, Chrysostomus ad Innocentium, Ignatius ad

Nicolaum, Theodoretus ad Leonem, Maximus ad Martinum, et ceteri Orientis sacerdotes eiecti ac suis sedibus pulsi vel ipsi venientes confugerunt, vel literas dantes significaverunt, unde literis acceptis suas sedes receperunt: nisi ii Summum Pontificem ac Petri successorem agnovissent, ut qui poterat eis esse praesidio? quomodo Reges ac Principes inspectis Papae literis tacuissent, ac illis permisissent suas recipere sedes, si Petri tantum potestas fuisset, ac non eius successorum? — Pontifex Romanus est Petri successor et Vicarius Salvatoris nostri I. C. isque solus obtinet omnem potestatem ligandi atque solvendi vel arguendi etc.' —

Praeter Scriptores Graecos Latini quoque singularibus elucubratis opusculis errores Graecorum, cumprimis de Primatu confutabant, Unionemque promovere contendebant. Horum opusculorum praecipua memorabimus.

CCLXXIV. **Ioannes Gerson** *sermo de unione Graecorum,* sub Conc. Constantiensi habitus.

CCLXXV. **Iulianus Caesarinus** Card. *disceptationes in CC. Ferrariensi et Florentino cum Marco Ephesio.*

CCLXXVI. CCLXXVII. **Ioannes de Turrecremata** Card. *adparatus super decreto unionis Graecorum in SS. Oec. Concilio Florentiae celebrato ab Eugenio PP. IV promulgato.* Item plures *orationes ac dissertationes* in Concilio habitae.

CCLXXVIII. *Quatuor tractatus contra Graecos et alios Orientales schismaticos.* Hos tractatus evulgavit *Ioannes de Ragusio,* superius laudatus. Concinnati fuere inter annos 1433—1437. *)

CCLXXIX. **Ambrosius Camaldulensis**, in CC. Basileensi et Florentino praesens, et illic contra errores Graecorum disseruit, et in compositione formulae concordiae partem cepit, et *Manuelis Calecas* libros adversus errores Graecorum latinitate donavit. 1450.

CCLXXX. **Ludovicus Donatus** Bergomensis, *de potestate Romani Pontificis contra Graecos.* 1465.

---

h) *Scriptores post tempora Conciliorum Basil. et Flor. contra supremam R. P. pot.*

241. **Dionysius Leewis**, alias **Ryckel**, Carthusianus,

*) Vid. Monumenta Conciliorum Gener. Sec. XV. T. I. Vindobonae. 1857.

de auctoritate Papae et Concilii. 1462. Pro suprema auctoritate Concilii: ‚— Etiam Papa, inquit, tenetur stare determinationi Ecclesiae seu statuto Concilii tamquam ordinationi et sententiae Spiritus S. Cumque Papa possit errare in fide et moribus et ceteris, quae sunt de necessitate salutis: eius iudicio non videtur ultimate et certitudinaliter standum in istis, cum non sit infallibilis regula neque indeviabile fundamentum.'

242. **Fratricelli de opinione,** uti passim vocabantur, licet iam per bullam Ioannis XXII damnati, conservabant se adhuc Seculo XV. signanter a. 1466. contendentes, nullum esse verum Christi Vicarium ex iis, qui post Petrum fuere, nisi qui paupertatem Christi imitati sunt. *)

243. **Nicolaus Montacutius** Anglus, *de Romanis Pontificibus.* 1466.

244—246. **Ioannes Wessel,** etiam *Gansfort* dictus, inter Reformationis antesignanos collocari solitus, evulgavit contra potestatem R. P. sequentes tractatus: *propositiones XX de potestate Papae et Ecclesiae; — propositiones XIII de potestate Papae in materia indulgentiarum; — responsio de potestate Pontificis Romani in indulgentiis.* 1476. ss. ‚Summorum, inquit, Pontificum plerique pestilenter erraverunt, ut novissimis diebus nostris in Constantia celebri Concilio claruit, Benedictus etc. quam graviter fidem lacerarint. — Unitatem Ecclesiae sibi Spiritus S. fovendam, vivificandam, conservandam retinuit et augendam, non Romano Pontifici, saepe non curanti, reliquit.'

247. **Baptista Sacchus Platina,** *de vita Christi ac Pontificum omnium, qui hactenus 200 fuere usque Sixtum IV.* 1479. Auctor, a multis continuatus, et saepissime editus, exulcerato animo ac vehementi stylo pingit Summos Pontifices, frequentius bilem suam magis quam verae historiae vestigia secutus.

248. **Petrus Oxomensis,** Doctor Salmanticensis, contendit: *Ecclesiam Romanam in suis decisionibus errare posse,* et: *Papam in his, quae universa statuit Ecclesia, dispensare non posse.* 1479. Auctorem tamquam haereticum condemnavit AEppus Toletanus, Sixto IV Papa sententiam AEppi confirmante.

249. 250. **Ioannes de Wesalia,** Concionator Wormatiensis, in tractatibus: *disputatio adversus indulgentias,* et:

*) *Bonner* Zeitschrift für Philos. u. Theol. Neue Folge. IV. J. 1843. Viertes Heft. p. 90. ss.

de auctoritate, officio, et potestate pastorum eccl. 1479. non negavit equidem Romanum Pontificem esse Vicarium Christi, et unum Caput esse Ecclesiae necessarium; plura tamen asserebat potestati Rom. Pontificis adversa, indulgentiarum iure penitus negato. Subin coram Universitatibus Heidelbergensi et Coloniensi palinodiam cecinit.

251. **Theodoricus Schernberk** presbyter, *apotheosis Ioannis VIII Pontificis Romani.* 1480. Satyra de Ioanna Papissa primum a. 1565. typo vulgata.

252. **Andreas Craynensis** AEppus (fors Labacensis) a. 1482. edidit folium, valvis Ecclesiae Basileensis affixum contra Curiam Romanam, eiusque reformationem in convocando quo ocyus Generali Concilio pertractari voluit. Imo et appellationem adversus Sixtum IV Papam adiecit, conviciis plenam. Obiit auctor in carceribus Basileensibus.

253. **Ulricus de Reichenthal** historiam Concilii *Constantiensis* vulgavit in sensu potestati supremae R. P. nequaquam favente, Aug. Vindel. 1483.

254. **Theodoricus Vrie** *historia C. Constantiensis,* libris 8 descripta. Coloniae. 1484.

255. **Bernardi Claraevallensis** *de consideratione item de conflictu Babylonis et Hierusalem.* 1484. Liber in odium Romanae Sedis evulgatus.

256. **Ioannes Laillier** in sua Sorbonica, ut dicitur, plures tuebatur propositiones Primatui adversas: Petrum non habuisse primatum, omnes in Hierarchia aequali gaudere potestate, etc. 1484. Propositiones has, per Facultatem Theol. Parisiensem mox proscriptas auctor retractare debuit. *)

257—259. **Hieronymus Savonarola** O. Praed. tum alios vulgavit errores, tum de potestate Rom. Pontificis minus recte scripsit, in opusculis: *triumphus crucis; — de simplicitate christianae vitae libri IV; — expositio orationis dominicae.* 1496. ss. Ei suppetias tulit

260. 261. **Picus Mirandola,** *apologia pro Hier. Savonarolae viri prophetae innocentia;* et: *Vita H. Savonarola.* 1497. s.

262. Anonymus: *compendium de vita antichristi.* Paris. 1498.

263. Anonymus: *Historia Romana ab urbe condita usque*

*) *Argentre* Coll. iudiciorum. I. 2. p. 308.

Constantinum M. 1499. Auctor in opusculo suo mentionem iniicit fabulae de *Ioanna Papissa*, eamque pro vera habet historia.

264. **Nicolaus Russ** Professor Rostochiensis, *de triplici funiculo, symbolo, decalogo, et oratione dominica.* Liber lingva Saxonica Seculo XV, ut in *Gerdesii* florilegio hist. crit. libr. rariorum notatur, scriptus, multa continet contra Primatum R. P.

---

i) *Scriptores post Concilia Basil. et Flor. pro Rom. Pontifice.*

CCLXXXI. **Bernardinus de Rosergio** AEppus Tolosanus, *dissertationes de auctoritate Pontificis, Legatorum et Cardinalium.* 1452.

CCLXXXII. **Antoninus Florentinus** AEppus, *de Romano Pontifice.* 1452.

CCLXXXIII—CCLXXXVI. **Ioannes Hagen de Indagine** Carthusianus, foecundus Scriptor, *de auctoritate Summi Pontificis in Concilio; — de auferibilitate Sponsi ab Ecclesia; — de schismate; — de potestate ecclesiastica.* 1458. In omnibus his opusculis supremam tuetur Rom. Pont. auctoritatem.

CCLXXXVII. **Ioannes Kaneman** O. S. Fr. *de potestate Papae.* 1460.

CCLXXXVIII—CCXCI. **Dominicus de Dominicis** Eppus Brixiensis, *de potestate Papae; — tractatus de potestate Papae et Cardinalium; — de Concilio ac ipsius Summi Pontificis potestate; — liber apologeticus pro Imperio Ecclesiastico.* 1460. Non agnoscit quidem personalem Papae infallibilitatem, probat tamen eius superiorem auctoritatem, qua duntaxat accedente possit Concilii determinatio vim habere.

CCXCII. **Gabriel Biel** *defensio obedientiae apostolicae ad Pium II P. M.* 1460.

CCXCIII. **Ioannes Molitor** O. Praed. propugnavit: *Apostolos immediate a Petro suam accepisse potestatem.* 1470. Verum hanc sententiam, postulante Facultate Theol. Parisiensi revocare debuit.

CCXCIV. **Iacobus de Ferraria** O. Praed. *de Romani Pontificis potestate.* 1470.

CCXCV. **Iacobus Zenus** patritius Venetus, Eppus Patavinus, *Romanorum Pontificum successiones et res gestas* copiose ac diligenter exposuit. 1471.

CCXCVI. **Augustini de Ancona** *Summa de ecclesiastica potestate*, cuius Sec. XIV meminimus, Augustae Vind. 1472. impressa est, Romae 1484. reimpressa.

CCXCVII. CCXCVIII. **Aegidius Carlerius** duobus inprimis inclaruit opusculis: *Sporta*, seu tractatus de conservatione bonorum Ecclesiae, et *Sportula* seu de Hierarchia Eccl. 1472.

CCXCIX. **Alphonsus de Spina** *fortalitium fidei.* 1472.

CCC. **I. Phil. de Lignamine** *Chronica Summorum Pontificum, Imperatorumque.* Romae. 1473.

CCCI. **Ioannes Stanberg** Carmelita Oxoniensis, *de sanctionibus ecclesiasticis et potestate Pontificia.* 1474.

CCCII. CCCIII. **Rodericus Portuensis** Eppus, *de monarchia orbis, in qua ostenditur, apud Romanum Pontificem residere veram orbis monarchiam;* item *libellus ad Paulum II, in quo testimoniis iuris divini, naturalis, et humani damnatur appellatio a sententia Romani Pontificis non bene, ut aiunt, informati ad eundem bene informatum.* 1476.

CCCIV. **Barthol. de Bellentzenis** *Apostillae ad lecturas Panormitani.* 1477.

CCCV. **Franc. Brevius** Eppus Cesenas, *de auctoritate Summi Pontificis.* 1477.

CCCVI. **Martini Poloni** *chronica Summorum Pontificum Imperatorumque, ac de septem aetatibus mundi, ex S. Hieronymo, Eusebio aliisque eruditis excerpta.* Taurini. 1477.

CCCVII. **Petri a Monte** Eppi Brixiensis, celebre opus *de monarchia Rom. Pont.* iam superius (ad a. 1442.) citatum, a. 1478. cum additionibus *Felyni Sanderi* vulgatum fuit.

CCCVIII—CCCX. **Gualterus Hunte** seu *Venantius,* Anglus Carmelita, *Actorum Synodi Ferrariensis et Florentinae libri sex; — de Pontificum iurisdictione atque universali dominio; — de praecellentia Petri.* 1478.

CCCXI. **Iacobus Amanatus** Cardinalis, *de vitis Rom. Pontificum* ligata oratione. 1479. Opus deperditum.

CCCXII. **Iacobus de Ancharano** ADiaconus Aversanus, *tractatus monarchialis de monarchia Papae.* 1482.

CCCXIII. **Flavius Blondus,** *Roma triumphans.* Brixiae. 1482.

CCCXIV. **Henricus Institoris**, Inquisitor in Germania superiore, *epistola contra quemdam conciliistam*, *AEppum vi-*

delicet Craynensem, adversus citationem et libellum infamiae ipsius, quem contra SS. D. N. Sixtum Papam IV modernum Summum Pontificem edidit. 1482. ‚Clamat, inquit, mundus pro Concilio: sed quomodo congregabitur, ubi dispersi sunt lapides sanctuarii eius; — cuiusmodi reformatio? dic, ubi obedientia Principum, ubi zelus fidei? et quia ista deficiunt, quaeso, ex Conciliis cuiusmodi reformatio proveniet? Ecclesiam per Concilium reformare non poterit omnis humana facultas: sed alium modum Altissimus procurabit etc.'

CCCXV. **Elias de Bordeilles** O. S. Fr. Cardinalis, plurium tractatuum pro potestate Papae auctor. 1483.

CCCXVI. **Ioannes Angeli** O. S. Fr. supremam Papae potestatem, vi cuius is a nemine reprehendi possit, et cui contradicere sit ipso facto excommunicari, defendens, per Parisiensem Facultatem sacram ad revocanda sua asserta compulsus fuit. 1483.

CCCXVII. **Philippus Kersbeelius** Carmelita, *de potestate Summi Pontificis.* 1486.

CCCXVIII. **Troyli de Malvitiis** Canonici Bononiensis, *de canonisatione — Sanctorum opusculum.* Bononiae. 1487.

CCCXIX. **Ludovicus Bologninus** Bononiensis, *additiones et correctiones ad tractatum Cataldini de Boncompagnis de translatione S. Concilii Basilea ad inclytam civitatem Ferrariae.* 1488.

CCCXX. **Ioannis de Turrecremata** Cardinalis, *summa contra Ecclesiae et Primatus Ap. Petri adversarios* intitulata, per Ioannem Eppum Tornacensem recognita prodiit Romae. 1489.

CCCXXI. **Rodericus Lenzolius** *(Alexander VI PP.) Clypeus defensionis fidei Romanae Ecclesiae.* Argentorati. 1492.

CCCXXII. **Simonetta** *commentarii persecutionum christianarum, Pontificumque historia a S. Petro usque Innocentium VIII.* Mediolani. 1492.

CCCXXIII. **Angelus Politianus** *oratio de potestate Papae.* 1492.

CCCXXIV. **Guilelmus Bechius** *de potestate ecclesiastica et pontificia.* 1495.

CCCXXV. **Raymundus Martinus** O. Praed. *Pugio fidei ad impiorum perfidiam iugulandam.*

CCCXXVI. **Ioannes Poggius** *refutatorium errorum fratris Hier. Savonarolae.* 1497.

CCCXXVII. **Henricus Institoris** paulo ante laudatus, prolixis commentariis refutavit errores Picardorum in Bohemia et Moravia contra Pontificem vulgatos. 1498.

CCCXXVIII. CCCXXIX. Ad Seculum XV referuntur adhuc duo Scriptores, **Ioannes Nauclerus** Praepositus et Professor Tubingensis, et **Valeo** Theologus: quorum uterque *appellationes a iudicio Pontificum ad futurum Concilium* solidissimis argumentis evertit. Verba prioris (in *monarchia ecclesiastica)* sunt: ‚Postremum de praecipuis privilegium illud est, quod supra tetigimus, (de iudicio supremo Romani Pontificis) contra quod ridiculae fiunt a quibusdam schismaticorum partes suas partim malitia partim imperitia foventibus obiectiones, nonnullaque ad suam confirmandam rebellionem exempla producuntur, quae a doctissimo nostrae aetatis theologo *Valeo* erudite refutata et explosa lector videre poterit. Tot sacris Ecclesiae decretis canonibusque veluti divinis S. Spiritus oraculis rite consideratis iustoque rationis theologicaeque sapientiae examine trutinatis, quam iuste anathematis gladium contra provocantes a pontificio iudicio ad futurum concilium a Sedis Apostolicae Praesulibus evaginatum fuisse credere debemus!‘

2. Pontificatus et Imperium.

a) *Literatura generalis.*

Equidem omnes fere Scriptores, quos superius occasione schismatis pontificii et celebratorum Conciliornm tractatus concinnasse memoravimus, relationem quoque inter Ecclesiam et Pontificem ex una et Imperium ex altera parte attigerunt: erant nihilominus nonnulli, qui specialiter quaestionem hanc suis in disquisitionibus pertractandam susceperunt.

59. **Iordanus** Augustinianus Argentinensis, *chronica: qualiter Romanum Imperium translatum fuit in Germanos?* 1400. Pro defensione iuris imperialis quoad temporalia a Pontifice haud dependentis.

60—62. **Theodorus de Niem,** Eppus Verdensis et Ca-

meracensis, libro tertio de schismate (quod opus iam suo loco recensuimus) inserit *tractatum de potestate Pontificis et Imperatoris, et an Imperator in temporalibus subsit Pontifici?* item, *exhortationem ad Rupertum, Regem Romanorum*, ut surgat a diuturno somno, agatque, ut exstirpetur schisma, iura imperii reformentur etc. Elucubravit insuper *tractatum de privilegiis seu iuribus imperii circa investituras Eppatuum et Abbatiarum.* 1406.

63. **Augustinus de Favaronibus** *de potestate Principum in collatione bonorum suorum Ecclesiis facta.* 1435. Pro iuribus Principum in rebus ecclesiasticis.

64. **Aeneas Sylvius Piccolomini** (Pius II. PP.) *de ortu et auctoritate Imperii Romani ad Fridericum Romanorum Regem.* 1439. Pro summa potestate Imperatoris quoad temporalia. Errores suos, ut iam innuimus, retractavit.

65. **Antonius de Rosellis,** etiam *Russellus*, vel *Rossellus*, ICtus Aretinus, *monarchia seu de potestate Imperatoris et Papae, et an apud Papam sit potestas utriusque gladii.* Tractatus adhuc sub Sigismundo Imp. compositus, post obitum auctoris Venetiis a. 1487. vulgatus impugnat potestatem Papae in temporalia, Caesarique hoc sub respectu Papam ipsum subiicit. Nova editio facta est a. 1499. cum *replica Inquisitoris Germaniae Henrici.*

66. *Disputatio inter clericum et militem super potestate praelatis Ecclesiae atque principibus terrarum commissa sub forma dialogi. Accedit compendium de vita Antichristi.* Coloniae. 1470. Altera editio hunc praesefert titulum: *Dialogus inter clericum et militem super dignitate papali et regia. Et de nativitate et moribus Antichristi.* Coloniae. 1490. reimpressus 1491. Daventriae.

67. **Guilelmi Ockami** opus, suo loco iam commemoratum, quippe *dialogus una cum compendio errorum Ioannis XXII Papae et opere 90 dierum* — typis excusum fuit Lugduni. 1495.

68. **Facultas Theologica Parisiensis** ad propositas per Carolum VIII Regem quaestiones respondens, declaravit: *casum in eum, si Pontifex Concilium Generale quovis decennio congregare negligeret, Principes et partes Ecclesiae notabiles posse congregari et deliberare, atque Ecclesiae providere. 1497.* *)

*) *Argentre* collectio iudiciorum. I. 2. p. 335.

CII. **Rodericus Sancius** Eppus Zamorensis, *de origine et differentia Principatuum.* 1425. propugnat: ‚Esse naturaliter, moraliter et divino iure cum recta fide tenendum, Principatum Romani Pontificis esse verum, unicum, immediatum principatum totius orbis, nedum quoad spiritualia, sed quoad temporalia; et principatum imperialem esse ab ipso dependentem et mediatum, — et ad iussum Principatus Papalis mobilem, revocabilem, corrigibilem, et punibilem.‘

CIII. **Ioan. Savageti** Can. Constantiensis et Basileensis, *oratio lamentabilis ad Sixtum IV Papam, una cum tractatu sex dubiis iuris clauso: in quo ostenditur, reservationes et provisiones apostolicas de dicta Ecclesia factas fuisse et esse validas, et Concordata Nationis Germanicae illis in nullo obstare.*

CIV. **Phil. de Franchis** de Imola, *lectura super titulo de Appellationibus.*

CV. **Ioannes de Turrecremata** in praeclaro suo opere: *Summa de Ecclesia et eius auctoritate*, iam supra celebrato, pertractat relationem Summi Pontificis ad Principes, et asserit: ‚Spirituali potestati secularem in Papa coniungi, eumque utriusque apicem tenere; iurisdictionem autem in temporalibus orbis catholici in tantum habere, quantum necesse est pro bono spirituali conservando ipsius et aliorum, sive quantum Ecclesiae necessitas exigit aut debitum pastoralis officii in correctione peccatorum exposcit. — Potestatis porro spiritualis Papae, qui est universalis dux et rector populi christiani, esse: dirigere et regulare, praecipere atque leges dare potestati seculari, quibus in administratione sui officii dirigatur in finem ultimum felicitatis aeternae. — Papam non solum posse principes seculares circa usum suae iurisdictionis delinquentes per censuram eccles. coërcere, verum etiam notabiliter negligentes a dignitate deponere.‘

CVI. **Petrus de Monte** Eppus Brixiensis, in laudato a nobis opere, *Monarchia,* de potestate Imperatoris disserens, Papae tribuit potestatem, Principes iudicandi, qui ecclesiasticam perturbant iurisdictionem.

CVII. **Alexandri ab Elpidio** AEppi Ravennatensis opus, iam laudatum, *de eccles. potestate*, Ioanni XXII Papae inscriptum, prodivit Taurini. 1496. in quo Pontificis auctoritatem adversus Theologos et Canonistas Imperii tuetur.

CVIII. **Henricus Institoris,** *de potestate Papae contra*

Antonium Rosellium Patavinum. Venet. 1499. Defendit auctoritatem supremam Papae respectu Imperii.

CIX. **De Sabonde** Hispanus Philosophus, et Medicus, in libro: *Theologia naturalis*, pluribus capitibus disputat de independentia potestatis ecclesiasticae a civili, et de suprema auctoritate Romani Pontificis, cui etiam Imperatores obedire et subiici teneantur.

CX. **Fernandus Cordubensis** Sedis Ap. subdiaconus et in orbe terrarum famosissimus magister, *de iure medios exigendi fructus, quos vulgo Annatas dicunt, et Rom. Pontificis in temporalibus potestate. Ad Sixtum IV P. M.*

---

b) *Literatura specialis de Sanctione pragmatica in Gallia.*

Sanctio pragmatica sub Carolo VII Galliarum Rege in Conventu *Bituricensi* 1438. condita, et ex decretis Synodi Basileensis, Summi Pontificis auctoritati iniuriosis, contexta, diutius non modo litibus involvit Reges Galliae ac Summos Pontifices, sed et opusculis literariis occasionem subministravit. Eam impugnabant, et defendebant plures usque finem Seculi: quorum scripta chronologice recensemus.

69—72. **Guilelmus de Monserrat** in defensionem Sanctionis pragmaticae scripsit commentarios ac tractatus: *Super pragmaticam sanctionem Caroli VII Gall. Regis; — de potestate Gen. Concilii; — de reservationibus per Papam ex rationabili causa factis; — de Regia praerogativa in electivis dignitatibus.* 1439. Tractatus hos ex parte iam superius memoravimus.

CXI—CXIII. **Eugenius IV, Nicolaus V, Callistus III** Summi Pontifices per epistolas ad Regem Galliarum exaratas Sanctionem graviter redarguebant, abrogarique urgebant.

CXIV. **Pius II** Papa tum per literas, tum *orationem pro auctoritate Romani Pontificis contra Austriales* 1452; tum in *Concilio Mantuano* 1459. celebri ac valida oratione eandem Sanctionem impugnabat.

73. *Rex Galliae* una cum *Parlamento* pro tuenda Sanctione per Generalem Procuratorem duplicem interposuere *appellationem a Romano Pontifice ad Gen. Concilium.* A. 1460. et 1461.

CXV. **Ludovicus XI** Rex, Carolo succedens, et iam ante adeptum regnum Sanctioni pragmaticae haud favens, ac-

cedente opera Eppi Atrebatensis *Ioannis Iufridi*, datis die 27 Nov. 1461. ad Pium II PP. literis eandem Sanctionem abrogavit.

74. **Ioannes de Rely** Eppus Andegavensis, porro quoque pro Sanctione signanter pro electionibus Praesulum, et contra Annatas, pugnavit edito libello: *Les Remontrances faites a Louis XI par sa Cour du Parlement sur les Libertes de l' Eglise Gallicane.* 1461.

CXVI. **Theodorus Laelius** Eppus Feltrensis, *tractatus contra Pragm. Sanctionem et de Annatis.* 1464.

CXVII. Eodem fere tempore **Andreas Contrarius** tres ad Pium II P. M. in hoc merito vulgavit epistolas.

75. 76. Post obitum Pii II Papae Sanctio per **Parlamentum Parisiense** denuo ad vitam revocari videbatur, vulgata in lucem *Defensione Sanctionis pragmaticae* 1464. Imo et **Universitas Parisiensis** *appellationem* interposuit *a Paulo II ad Gen. Concilium pro Sanctione pragmatica.* 1467. Reipsaque Sanctio haec non tantum per Carolum VIII Regem A. 1484. sed et per Ludovicum XII Regem A. 1499. ac deinceps partim tacite partim palam in usum revocata fuit.

CXVIII. **Elias de Bordeille** O. S. Fr. Cardinalis, libellus pragmaticam Gallorum sanctionem confutans. Romae. 1486.

CXIX. CXX. **Cosmas Guymier** *pragmatica sanctio commentariis illustrata.* 1486. Item: *Decreta Basileensia et Bituricensia, quae Pragmaticam vocant, glossata per Cosmam Guymier.* Lugduni. 1488.

---

c) *Literatura de controversia Pii II. cum Sigismundo Austriaco.*

Controversia Pii II cum ADuce Austriae Sigismundo ob Cardinalem Cusanum Eppum Brixinensem suscitata, de qua in Monumentis plura occurrunt, scripta quaepiam peperit, quorum seriem teximus.

77. et: CXXI—CXXIII. Praecessit hanc controversiam uno alterove anno commercium epistolare inter **Aeneam Sylvium** (Pium II.) et **Martinum Mayer** Cancellarium Moguntinum. Posterior a. 1457. literas scripsit ad Aeneam Sylvium *pro decretis Basileensibus, et gravaminibus nationis Germanicae contra Curiam Romanam.* Literis his opposuit Aeneas magni voluminis apologiam sub titulo: *descriptio de ritu, situ, moribus et conditione Germaniae,* item: *Germania Aeneae Sylvii.* Praeterea

novam expositionem gravaminum a **Wigando** Secretario Moguntinensi factam, datis ad Mayerum literis (ep. 352.) refutavit. Erant hae expositiones gravaminum, paulo post ab AEppis Germaniae iteratae, velut totidem tentamina condendae in Germania Sanctionis Pragmaticae, illi Galliae haud absimilis. Aenea Sylvio ad Pontificatum promoto, mox secuta fuit controversia cum ADuce Austriae, quae sequentia scripta peperit:

78. **Sigismundi** *ADucis Austriae processus contra Papam Pium II.* 1460.

79. **Gregorius de Heimburg** Consiliarius Austriacus, *admonitio de iniustis usurpationibus Paparum Romanorum ad Imperii Reges et Principes christianos.* 1460.

80. Eiusdem *Scholia in Breve Pii Papae II super excommunicatione.*

81. Eiusdem *appellatio duplex Sigismundi Ducis et proprio nomine ab excommunicatione Pii II ad Concilium Generale.*

CXXIV. **Pii II** *epistola ad Magistratum Norimbergensem* de 18 Oct. 1460. contra Gregorium Heimburgum, ut eum qua in excommunicationem incidentem vitent, et eiiciant.

82. **Heimburgi** *apellatio ad Conc. Generale a bulla Pii 2 contra se emissa.*

CXXV. **Theodorus Laelius** Eppus Feltrensis, *confutatio, sive replica pro Pio Papa II et Sede Romana ad scriptum Gregorii Heimburgi.*

83. **Heimburgii** *apologia contra detractiones et blasphemias Theodori Laelii.*

84. Eiusdem *invectiva in Nicolaum Cusanum Cardinalem papalis plenitudinis defensorem.*

CXXVI. **Pii II.** *rescriptum de Sigismundo ADuce,* qua de damnatissima haeresi suspecto et maculato, ad tribunal S. Sedis Ap. evocando. 1462. ADux dein a. 1464. ante genua Legati Apostolici procidens, poenituit, et pro iniuriis satisfaciens absolutionem obtinuit: quam et Heimburgus a. 1472. ante obitum, facta sua retractans consecutus est.

---

d) *Literatura de bonis ecclesiasticis, item immunitate eccles.*

Seculo XV quaestio de bonorum Ecclesiae proprietate et de immunitate ac libertate eccles. aliquot scriptis ex utraque parte vulgatis discussa fuit.

Proprietatem Ecclesiae oppugnarunt:

85. **Ioan. Huss** *determinatio de ablatione temporalium a Clericis.* 1410.

86. **I. Gerson** *disceptatio mendicitatis et proprietatis, sive de utili dominio bonorum eccles.* 1414.

87. *Disputatio Bohemica cum Hussitis.* a. 1465. Eius caput unum bona ecclesiastica constituebant. Historiam disputationis paucis exponit: *Nova Bibliotheca eccl. Friburgensis. Ulmae. 1776. Vol. II. fasc. 2. p. 186.*

88. *Dialogus super libertate ecclesiastica inter Hugonem Decanum et Oliverium burgimagistrum, et Catonem Secretarium.* Rychenstein. 1477.

Pro immunitate ac proprietate bonorum:

CXXVII. **Anonymus Ord. Cisterc.** *propositio affirmativa in Constantiensi Concilio a. 1417 oblata et examinata, quod monachi Cistercienses possint propria possidere bona.* Scriptum istud refutare adnisus est:

89. **Magnus Monachorum Visitator**, *constitutio negativa, quod monachi propria non debeant possidere bona. 1417.*

CXXVIII. **Raphael de Soncino** O. Praed. *tractatus de interdicto, immunitate ecclesiastica, et voto.*

CXXIX. **Coelestinus Bosta** O. S. B. *de non alienandis bonis eccles. 1427.*

CXXX. **Ioan. de Polemar** ADiaconus Barcinonensis et Apost. Pallatii causarum auditor, *sermo de Civili dominio Clericorum.* 1433. in Conc. Basileensi adversus Bohemos praesertim articulum IV a *Petro Rayne* propositum, per triduum habitus.

CXXXI. **Hubertus Leonardus** Eppus Dariensis, *de immunitate eccles. libri III. adversus haereticos Nivellenses, 1492.*

CXXXII. **Hadrianus VI** in *quaestionibus quodlibeticis, qu. V. de decimis.* 1495.

CXXXIII. **Conradus a Summenhart** *tractatus bipartitus de decimis, defensivus opinionis theologorum adversus Canonistas de quota decimarum, si debita sit iure divino vel humano, in Universitate Tubingensi lectus, solenniterque a. 1497. disputatus.* Hagenoae. 1497. Decimas iuris divini, quotam vero iuris humani esse tenet auctor.

Errata:			Corrigenda:
Pag.	7.	lin. 22. vesimilitudines	verisimilitudines.
—	30.	— penult. solemnitatis	solemnitas.
—	37.	— 18. statisfacere	satisfacere.
—	46.	— 9. et 16. *Et lib.*	*Ex lib.*
—	49.	— 29. dessideatis	dissideatis.
—	58.	— 8. et purum	ut purum.
—	62.	— 27. mensura	mansura.
—	85.	— 30. sola	soli.
—	107.	— ult. ad	ac.
—	129.	— penult. ecces.	eccles.
—	131.	— 28. incitatione	imitatione.
—	146.	— 6. quo	quos.
—	178.	— 8. penissime	plenissime.
—	202.	— 2. doceatur	docendi.
—	217.	— 31. admonitis	admonitio.
—	234.	— ult. episcopo	episcope.
—	412.	— 35. P. Petri	S. Petri.
—	—	— ult. Setri	Petri.
—	457.	— 5. devisione	divisione.
—	465.	— 12. rodolerent	redolerent.
—	527.	— 8. impigunt	impingunt.
—	574.	— 1. 681—683	681—693.
—	617.	— 30. Ad	At.
—	635.	— 6. Lieratura	Literatura.
—	645.	— 17. XXIII	XXXIII.
—	647.	— 34. 1189	1198.

213
R732

4457

AUTHOR ROSKOVÁNY, AUGUSTINUS DE

TITLE Romanus Pontifex Eccle
Primas Et Princeps Civilis

Tomus I.

DATE DUE

BORROWER'S

Mar

STOR

FEB 15 1992

44575

U. S. A